17

I



Em. Handmann Basil. pinxit. Frid. Weber Basil. sculpsit.

LEONARDI EULERI BASILIENSIS

imaginem
aeri incidendam curavit
grata Civitas
MDCCCLI

LEONHARDI EULERI

OPERA POSTUMA

MATHEMATICA ET PHYSICA

ANNO MDCCCXLIV DETECTA

QUAE

ACADEMIAE SCIENTIARUM PETROPOLITANAE

OBTULERUNT EJUSQUE AUSPICIIS EDIDERUNT

AUCTORIS PRONEPOTES

PAULUS HENRICUS FUSS ET **NICOLAUS FUSS.**

TOMUS PRIOR.

PETROPOLI, 1862.

Petropoli apud Eggers et Socios; **Rigae** apud Samuelem Schmidt; **Lipsiae** apud Leopoldum Voss.

Pretium: 6 Rub. 85 Cop. = 7 Thlr. 18 Ngr.

Consensu Academiae impressum.

C. Vesselofski, Academiae secretarius perpetuus.

Mense Decembri a. 1861.

Typis Academiae Imperialis Scientiarum Petropolitanae.

PRAEFATIO.

Anno 1844, tum in tabulario Academiae scientiarum Petropolitanae, tum inter privatas gentis Eulerianae schedas, inventi sunt Leonhardi Euleri tractatus complures, bene limati et ad umbilicum adducti. Primum quidem his manuscriptis nulla tribuebatur attentio, quae jamdudum publici juris facta esse nemo non putaret; mox vero nihildum earum commentationum typis descriptum esse diligentiore inquisitione facta intellectum est. Proinde ne viri docti carerent tanti auctoris operibus postumis, Paulus Henricus Fuss, Academiae scientiarum Petropolitanae secretarius perpetuus, coetui auctor fuit ut editio operum omnium Euleri institueretur.

Arridebat sane hoc consilium, sed, ratione habita magnarum ejus rei impensarum, melius visum est edere collectionem non omnium sed minorum tantum Euleri operum, ita ut his recens detecta adderentur. Itaque congestae sunt et suo ordine dispositae commentationes Euleri tam editae quam ineditae; et ex omnibus eae quae de theoria numerorum agunt prelo subjectae sunt. Tandem anno 1849 in lucem prodierunt volumina duo sic inscripta:

Leonhardi Euleri commentationes arithmeticae collectae. Auspiciis Academiae Imperialis scientiarum Petropolitanae ediderunt auctoris pronepotes P. H. Fuss et Nicolaus Fuss. Insunt plura inedita.

Neque tamen inchoata tali modo minorum Euleri operum collectio continuari potuit, quippe cum neque statuti Academiae reditus sumptibus operis pares essent, neque extraordinarias opes tum temporis sperare liceret. Videlicet per Academiam non stetit, quominus expleret pietatis quoddam officium viro debitum, qui per plus quam quinquaginta annos coetus Academici quondam fuérat sodalis optime de litteris meritus. At si coepta editio ad finem perduci non potuit, illis tamen quae Eulerus reliquerat scriptis viros doctos destitui minime fas erat; quare Academia opera postuma Euleri seorsum edenda statuit. Facta est negotio longior mora varias per causas, sed jam lector ante oculos habet hos tomos duos operum postumorum Euleri. Quae his continentur, erant hucusque inedita, exceptis nonnullis quae ex altero tomo commentationum arithmeticarum repetenda erant et quorum conspectum subjicimus:

Praeter scripta postuma ab Eulero ipso elaborata et maximam partem ipsius manu exarata exstant volumina tria, quibus titulus est: *Adversaria mathematica.* His adversariis administri et discipuli Euleri inferre solebant theses quasdam et sententias breves, quas quidem a magistro acceptas ipsi fusius et accuratius explicaverant. Ex his thesibus selectae sunt graviores, quae operibus postumis suo loco insererentur, et primum quidem nonaginta dignae visae sunt quae typis describerentur. Deinde clarissimus Tschebyscheff, perlustratis iterum dictis voluminibus, invenit alias sex theses quas addendas esse censuit; has tomus

---

*) Haec duo problemata novum poscebant examen, quod suscepit clarissimus Tschebyscheff, uti dictum est in praefatione ad Commentationes arithmeticas.

prior exhibet sub Numero XXIII, pagg. 487—493. In hunc praeterea ex adversariis illatae sunt theses geometricae octo, theses analytici argumenti quatuor et duae ad calculum integralem spectantes: ita ut omnino tomo priori 110 theses ex adversariis depromptae contineantur.

Complectitur igitur tomus prior ea quae de theoria numerorum et de analysi Eulerus scripta reliquerat; tomus alter scripta de mechanica, de astronomia et de physica. Quum vero tomus alter multo plures impleturus esset plagulas quam prior, placuit Paulo Henrico Fuss adjicere huic tomo litteras quasdam Euleri ad N. Bernoullium, Fridericum II Borussiae regem et Lagrangium datas, quas quidem litteras editor alio consilio collectas habuit.

Jam totius operis haec est dispositio. Tomus prior sistit sectiones tres, quarum I^mam^ efficiunt *a*) Arithmetica, quae quidem in «Commentationibus» jam habebantur, in hac autem collectione operum postumorum Euleri omnium repeti debebant. *b*) Nonaginta theses ex adversariis supra dictis depromptae ac secundum materias digestae. Harum singulae nomen prae se ferunt discipuli, qui unamquamque exposuit et codici intulit.

Sectio II^da^ pertinet ad analysin et comprehendit undecim dissertationes varii argumenti, porro commentationem majorem, cui titulus: «Institutiones calculi differentialis. Sectio III» Commentatio haec praebet continuationem operis jam dudum typis vulgati «de calculo differentiali».

Sectio III^tia^ affert varia. Leguntur hic viginti theses, ex illis, quae supra commemoravimus, adversariis transcriptae. Harum sex de theoria numerorum agunt, octo sunt geometrici argumenti, quatuor analytici et duae calculum integralem spectant. Tum sequuntur litterae illae ab Eulero datae ad N. Bernoullium (6), ad Fridericum regem (2) et ad Lagrangium (18).

Tomus alter exhibet commentationes de mechanica, de astronomia mechanica, de astronomia (pura), de physica; in fine adduntur varia.

Hoc loco non possumus non laudare studium a civibus Basileae exornando huic operi adhibitum. Curaverunt enim imaginem Leonhardi Euleri, viri immortalis et civis olim Basileensis, de tabula picta, quae in eorum urbe servatur, aeri incidendam: exemplaria chartis impressa Academiae dono miserunt, quae in fronte operis collocarentur. Ita hoc opus quasi monumentum exstat communi duarum splendidarum urbium opera Euleri memoriae dedicatum, qui utriusque urbis decus fuit et gloria.

*

In edendo opere frater meus Paulus Henricus Fuss, Academiae scientiarum Petropolitanae secretarius perpetuus, atque ego versati sumus. Quum jam in eo esset ut tomus prior prelum relinqueret, frater meus praematura morte litteris, officio et suis ereptus est.

Paulus Henricus Fuss die 10mo Januarii anno 1855, aetatis 56mo, gravi morbo, quo per sex menses continuos laboraverat, succubuit. Gesserat per 29 annos studio indefesso munus illud gravissimum perpetui Academiae secretarii; rebus Academiae prudentissime et impigerrime consulendo laudem et gratiam sodalium sibi comparaverat. In testimonium grati animi collegae voluerunt imaginem defuncti tomo alteri operis nostri praefigi; cujus adspectum speramus jucundissimum fore plurimis qui memoriam fratris dilectissimi colunt.

Mihi superstiti petenti mandavit Academia, ut editionem operis ad finem perducerem; neque ego labori peperci ad rem ea qua par erat fide ac diligentia absolvendam.

Nicolaus Fuss.

L. Euleri Operum postumorum Tomi I Index.

Arithmetica. p. 1 — 266

Varia. p. 487 — 588

ARITHMETICA.

I.

Tractatus de numerorum doctrina Capita XVI, quae supersunt.

Caput I.

De compositione numerorum.

1. *Numerus* est multitudo unitatum.

2. Quilibet ergo numerus indicat, quot unitates in eo contineantur.

3. Ab unitate incipiendo numeri sunt 1, 2, 3, 4, 5, 6, etc., quorum quisque praecedentem unitate superat.

4. Quia quemque numerum unitate augere licet, series numerorum in infinitum progreditur.

5. Cum primus, scilicet unitas, praecedentem etiam unitate superet, praecedens nihilum 0 sit necesse est.

6. Hic tantum de numeris integris sermo est, ad quos definitio est restricta, unde fractos multoque magis surdos hinc excludi oportet.

7. Si numerus quicunque sit a, erunt eum sequentes $a+1$, $a+2$, $a+3$, $a+4$, etc., quorum primus $a+1$ datum a superat unitate, secundus $a+2$ duobus unitatibus, tertius $a+3$ tribus, etc.

8. Simili modo, proposito numero a, antecedentes erunt $a-1$, $a-2$, $a-3$, $a-4$, etc., quorum primus $a-1$ a dato a unitate deficit, secundus $a-2$ duabus unitatibus, tertius $a-3$ tribus, et ita porro.

9. Si numero a tot unitates addantur, quot numerus b continet, oritur $a+b$; sin autem a numero a tot unitates auferantur, quot numerus b continet, oritur $a-b$: illo casu numerus b numero a *additus*, hoc vero ab eo *subtractus* dicitur.

10. Si idem numerus a sibi ipsi addatur, oritur ejus duplum $a+a$, quod ita scribitur $2a$: si idem denuo addatur, prodit triplum $3a$; tum eodem numero a insuper addito, ejus quadruplum $4a$, et ita porro, quae in genere vocantur ejus *multipla*.

11. Multipla ergo numeri a sunt $2a$, $3a$, $4a$, $5a$, etc., quorum quodque praecedens superat ipso numero a; horumque respectu ipse numerus a *simplum* vocatur.

12. Si a esset unitas, ejus multipla omnes plane numeros praeberent; at si a non est unitas, sed multitudo unitatum, ejus multipla non omnes numeros praebebunt: hocque casu dabuntur numeri, qui non sunt multipla ipsius a.

*

13. Cum multipla ipsius a sint $2a$, $3a$, $4a$, $5a$, etc., inter ea primo non reperiuntur omnes numeri ipso a minores, qui sunt $1, 2, 3, \ldots (a-1)$; totidemque non-multipla occurrent a quovis multiplo usque ad sequens.

14. Si ergo fuerit α numerus minor quam a, tum neque α neque hi numeri $a+\alpha$, $2a+\alpha$, $3a+\alpha$, $4a+\alpha$, etc. inter multipla ipsius a reperiuntur.

15. Quia ob $\alpha < a$, est $2a-\alpha$ minus quam $2a$, simulque majus quam a, numerus $2a-\alpha$ non erit multiplum ipsius a, neque ullus horum numerorum $a-\alpha$, $2a-\alpha$, $3a-\alpha$, $4a-\alpha$, etc. inter multipla ipsius a continetur.

16. Proposito ergo quocunque numero b, qui non sit multiplum ipsius a, is vel ipso a erit minor, vel ita superabit aliquod ejus multiplum, ut tamen minor sit multiplo sequente.

17. Cum multipla binarii sint 2, 4, 6, 8, 10, etc. (ejus simplo non excluso), numeri reliqui ab his unitate differunt. Simili modo ob ternarii multipla: 3, 6, 9, 12, 15, etc. reliqui numeri ab his vel unitate, vel binario distant.

18. Duplum cujusque numeri a, scilicet $2a$, est etiam multiplum binarii. Cum enim a sit multitudo unitatum $1+1+1+1$ etc. duplicatio ita repraesentetur

$$a = 1+1+1+1+\text{etc.}$$
$$a = 1+1+1+1+\text{etc.}$$

unde additione prodit

$$2a = 2+2+2+2+\text{etc.}$$

19. Vel cum numerus a sit multitudo unitatum, numerus a duplicabitur singulis unitatibus bis sumendis, unde oritur multitudo binariorum. Ex quo patet duplum $2a$ toties continere binarium, quoties a continet unitatem.

20. Simili modo triplum $3a$ toties continebit ternarium, quoties ipse numerus a continet unitatem, eritque itaque $3a$ multiplum ternarii, quod etiam de omnibus multiplis est intelligendum.

21. *Index* multipli vocatur numerus indicans, quoties multiplum in se contineat simplum, ita index dupli est binarius, tripli ternarius, quadrupli quaternarius, etc.

22. Si numerus a toties sumatur, quot numerus n continet unitates, multipli inde orti index est n, ipsum autem multiplum hoc ita exprimitur na, ita ut na denotet multiplum ipsius a, cujus index sit n.

23. Tale ergo multiplum na ipsius a est etiam multiplum indicis n, quandoquidem toties in se continet indicem, quoties ipse numerus a continet unitatem.

24. Hinc ergo patet multiplum numeri a, cujus index sit n, congruere cum eo multiplo numeri n, cujus index sit a; quare cum illud multiplum per na, hoc vero per an exprimatur, erit $na = an$.

25. Cum in quovis multiplo na tam numerus a, cujus multiplum sumitur, quam index multipli n inter se permutari queant, hi duo numeri a et n sine discrimine *factores* appellantur, multiplo autem ipsi na nomen *producti* seu *facti* indi solet.

26. Quemadmodum quisque numerus est multiplum unitatis, cujus ipse est index, ita etiam est sui ipsius simplum, indice existente unitate. In posterum ergo tam multipla unitatis quam simpla cujusque numeri a denominatione multiplorum segregabimus.

27. Multipla ergo nobis erunt ejusmodi numeri, qui cujuspiam numeri, praeter unitatem, sunt multipla (excluso simplo), constabunt ergo duobus factoribus, quorum alter alterius respectu tanquam index spectari potest.

28. Factum ergo ab, cujus factores sunt a et b, est multiplum tam ipsius a quam ipsius b. Quatenus est multiplum ipsius a, index est b, quatenus autem est multiplum ipsius b, index est a.

29. Multipla hujus facti ab simul erunt multipla tam ipsius a, quam ipsius b. Sit nab tale multiplum, cujus index sit n, et quia etiam est multiplum ipsius n, erit multiplum uniuscujusque horum numerorum n, a et b.

30. Hinc patet etiam in facto ex tribus factoribus constante, tres factores inter se esse permutabiles, atque tale factum abc non solum esse multiplum singulorum a, b, c, sed etiam factorum ex binis ab, ac, bc.

31. Si in serie numerorum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, etc. omnia multipla deleantur, reliqui numeri non erunt multipla ullius numeri (quandoquidem simpla excludimus), hique numeri vocantur *simplices*, vel *primi*.

32. Deletis scilicet multiplis binarii 4, 6, 8, 10, 12, etc. restat haec series 1, 2, 3, 5, 7, 9, 11, 13, 15, 17, 19, 21, etc.; hinc porro extinguantur multipla ternarii 6, 9, 12, 15, 18, 21, etc. quae quidem adhuc adsunt, et restat 1, 2, 3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, 23, etc.; ita relinquentur tandem numeri primi 1, 2, 3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, 23, 29, 31, 37, 41, 43, 47, 53, 59, etc.

33. Si ergo p sit numerus primus, is neque inter multipla binarii neque inter multipla cujusquam alius numeri occurrit, neque ergo hujusmodi facto ab ullo modo exhiberi potest, nisi sit vel $a = 1$, vel $b = 1$, quos autem casus exclusimus (26).

34. Omnes numeri, qui non sunt primi, vocantur *compositi*; unde patet omnes numeros compositos esse multipla aliorum numerorum minorum, qui cum iterum sint primi, vel multipla aliorum denuo minorum, multipla autem cujusvis producti sint simul multipla singulorum ejus factorum, sequitur omnes numeros compositos tandem reduci ad multipla numerorum primorum.

35. Omnis ergo numerus est vel primus, vel multiplum cujuspiam numeri primi; quo posteriori casu cum numerus sit compositus, omnis numerus compositus exhiberi potest producto, cujus singuli factores sint numeri primi.

36. Inter numeros compositos primum occurrunt ii, qui constant duobus tantum factoribus primis. Veluti si p et q denotent duos numeros primos quoscunque, productum pq in genere exhibebit ejusmodi numeros compositos primae speciei, qui duobus tantum constant factoribus primis.

37. Talis ergo numerus compositus pq erit tam multiplum numeri q, indice existente p, quam multiplum ipsius p, indice existente q, neque vero ullius alius numeri erit multiplum. Si enim esset multiplum alius cujuspiam numeri a, indice existente b, hi numeri a et b ejus essent factores, contra hypothesin.

38. Hujusmodi autem productum pa, cujus quidem factor p est primus, alter vero a compositus, factores habens α, β, γ, etc., non solum erit multiplum numerorum p et a, sed etiam inter multipla numerorum α, β, γ, etc. occurret.

39. Post numeros compositos, duobus factoribus primis constantes, considerandi veniunt ii, qui tribus factoribus primis constant, cujus ergo speciei forma est pqr, denotantibus p, q, r numeros primos quoscunque.

40. Tum vero sequentur numeri compositi, qui sunt producta ex quaternis numeris primis, quorum forma erit $pqrs$. Sequentes autem species erunt producta vel ex quinis, vel senis, vel septenis etc. numeris primis constantia.

41. Hinc omnes numeri ita in classes distribuentur, ut prima contineat omnes numeros primos singulos; secunda, producta ex binis primis; tertia, producta ex ternis primis; quarta, ex quaternis; quinta, ex quinis, et ita porro.

42. Post unitatem ergo numeri primae classis, seu primi centenario non majores sunt:
2, 3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, 23, 29, 31, 37, 41, 43, 47, 53, 59, 61, 67, 71, 73, 79, 83, 89, 97.

43. Numeri vero secundae classis centenario minores sunt

$2.2 = 4$,	$3.3 = 9$,	$5.5 = 25$,	$7.7 = 49$,
$2.3 = 6$,	$3.5 = 15$,	$5.7 = 35$,	$7.11 = 77$,
$2.5 = 10$,	$3.7 = 21$,	$5.11 = 55$,	$7.13 = 91$.
$2.7 = 14$,	$3.11 = 33$,	$5.13 = 65$,	
$2.11 = 22$,	$3.13 = 39$,	$5.17 = 85$,	
$2.13 = 26$,	$3.17 = 51$,	$5.19 = 95$,	
$2.17 = 34$,	$3.19 = 57$,		
$2.19 = 38$,	$3.23 = 69$,		
$2.23 = 46$,	$3.29 = 87$,		
$2.29 = 58$,	$3.31 = 93$,		
$2.31 = 62$,			
$2.37 = 74$,			
$2.41 = 82$,			
$2.43 = 86$,			
$2.47 = 94$,			

44. Tum vero numeri tertiae classis centenario inferiores sunt

$2.2.2 = 8$,	$2.3.3 = 18$,	$3.3.3 = 27$,
$2.2.3 = 12$,	$2.3.5 = 30$,	$3.3.5 = 45$,
$2.2.5 = 20$,	$2.3.7 = 42$,	$3.3.7 = 63$,
$2.2.7 = 28$,	$2.3.11 = 66$,	$3.3.11 = 99$,
$2.2.11 = 44$,	$2.3.13 = 78$,	
$2.2.13 = 52$,		$3.5.5 = 75$.
$2.2.17 = 68$,	$2.5.5 = 50$,	
$2.2.19 = 76$,	$2.5.7 = 70$,	
$2.2.23 = 92$,	$2.7.7 = 98$,	

45. Quartae autem classis numeri infra 100 sunt

$2.2.2.\ 2=16$,	$2.2.3.3=63$,	$2.3.3.3=54$,
$2.2.2.\ 3=24$,	$2.2.3.5=60$,	$2.3.3.5=90$,
$2.2.2.\ 5=40$,	$2.2.3.7=84$,	
$2.2.2.\ 7=56$,		$3.3.3.3=81$.
$2.2.2.11=88$,	$2.2.5.5=100$,	

46. Quintae classis numeri centenario non majores sunt

$$2.2.2.2.2=32,\qquad 2.2\ 2.2.5=80,$$
$$2.2.2.2.3=48,\qquad 2.2.2.3.3=72,$$

47. In sexta classe hujusmodi numeri duo occurrunt

$$2.2.2.2.2.2=64,\qquad 2.2.2.2.2.3=96.$$

Sequentes autem classes nullos continent numeros centenario minores.

48. Cujusque classis numeri charactere peculiari distinguuntur a numeris aliarum classium, et quilibet numerus ita ad certam quandam classem pertinet, ut non simul ad ullam aliam referri possit.

49. Quodsi ergo p, q, r, s, etc. denotent numeros primos, formae harum classium ita exhiberi possunt:

Forma classis I....p
« II...pq,
« III...pqr,
« IV...$pqrs$,
« V...$pqrst$,
« VI...$pqrstu$,
etc.

50. Quoniam in his classibus omnes numeri continentur, si seriem numerorum naturalem 1, 2, 3, 4, etc. usque ad n continuemus, ita ut multitudo numerorum sit $=n$, ac multitudo numerorum primorum in hac serie contentorum sit $=\alpha$, multitudo numerorum secundae classis $=\beta$, tertiae classis $=\gamma$, quartae $=\delta$, et ita porro, necesse est sit $\alpha+\beta+\gamma+\delta+$ etc. $=n$. Ita vidimus, si sumatur $n=100$, fore $\alpha=26$ (unitate inter numeros primos comprehensa), $\beta=34$, $\gamma=22$, $\delta=12$, $\varepsilon=4$, $\zeta=2$, $\eta=0$, estque utique $26+34+22+12+4+2=100$.

51. Si n denotet potestatem binarii, multitudo numerorum cujusque classis ad numerum n usque ita se habebit:

numerus	*multitudo numerorum*									
n	α	β	γ	δ	ε	ζ	η	ϑ	ι	$\varkappa$
2	2									
4	3	1								
8	5	2	1							
16	7	6	2	1						
32	12	10	7	2	1					
64	19	22	13	7	2	1				
128	32	42	30	14	7	2	1			
256	55	82	60	34	15	7	2	1		
512	98	157	125	71	36	15	7	2	1	
1024	173	304	256	152	77	37	15	7	2	1

52. Si indolem numerorum attentius contemplemur, facile percipiemus, ab initio numeros primos frequentissime occurrere, compositos autem rarissime interspersos esse debere. Quo longius autem progrediamur, eo plures reperientur numeri compositi, contra autem pauciores primi.

53. Deinde etiam notari oportet in progressione numerorum primorum 1, 2, 3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, etc. nullum plane ordinem apparere, unde lex hujus progressionis definiri possit, etiamsi in genere certum sit, quo longius progrediamur, minus frequentes eos esse debere.

54. Tabulae habentur, in quibus numeri primi secundum centurias sunt dispositi; atque in prima centuria ab 1 ad 100 sunt 26 numeri primi, in secunda 21, in sequentibus vero pauciores; neque tamen eorum multitudo continuo minuitur, sed potius admodum irregulariter modo crescit, modo decrescit. Sic a 200 ad 300 occurrunt 16 numeri primi, at a 400 ad 500 sunt 17, totidemque adhuc a 1400 ad 1500. Porro a 79700 ad 79800 tres tantum reperiuntur numeri primi; hoc tamen non obstante in centuria a 90000 ad 90100 adhuc 13 numeri primi deprehenduntur.

Caput II.

De divisoribus numerorum.

55. Quatenus quidam numerus est multiplum alius numeri, eatenus hic illius dicitur *divisor*, et index multiplicitatis vocari solet *quotus* ex divisione ortus.

56. Ita si numerus N fuerit multiplum ipsius a, indice existente n, ut sit $N = na$, numerus a erit divisor numeri N, et index n praebebit quotum. Scilicet si numerus $N = na$ per a dividatur, quotus erit n.

57. Cum numeri n et a inter se sint permutabiles, hocque respectu factores appellentur, numerus $N = na$ etiam divisorem habebit n, quotusque tum erit a. In genere ergo divisor per quotum multiplicatus ipsum numerum divisum reproducit.

58. Cum quilibet numerus sit sui ipsius simplum, unitas cujusque numeri est divisor, ipseque numerus quotus. Tum vero quilibet numerus est sui ipsius divisor, quoto existente unitate.

59. Quilibet ergo numerus N primo unitatem pro divisore habet, eritque tum ipse numerus N quotus. Deinde etiam quilibet numerus N se ipsum habet pro divisore, quoto existente unitate.

60. Nullus numerus alios habet divisores, nisi quorum est multiplum (simplo ex idea multipli hic non excluso); si enim alium haberet divisorem, eo ipso hujus futurus esset multiplum, quoto praebente indicem multipli.

61. Cum igitur numerus primus nullius alius numeri, praeter unitatem, sit multiplum, numerus primus alios non habet divisores, praeter unitatem et se ipsum. Scilicet si p denotet numerum primum, ejus divisores erunt 1 et p, neque praeter hos ullos habet alios.

62. Numeri ergo primi, seu primae classis, duos tantum habent divisores, excepta unitate, quippe quae unicum habet; quam ob causam etiam unitas numeris primis non accenseri solet.

63. Numeri secundae classis, qui constant duobus factoribus primis pq, quia sunt multipla utriusque, praeter divisores 1 et pq etiam divisores habent p et q, ita ut omnes eorum divisores sint 1, p, q et pq.

64. Casus autem hic seorsim est perpendendus, quo ambo factores p et q sunt inter se aequales, quoniam eundem numerum non bis inter divisores numerare licet. Hinc numeri pp, qui sunt quadrata numerorum primorum, tres tantum habent divisores 1, p et pp.

65. Hanc ob causam numeros secundae classis in duas species subdividi convenit, quarum prior continet numeros formae pp et divisores habet tres $1, p, pp$; altera vero species continet numeros formae pq, denotantibus litteris p, q numeros primos diversos. Hujusque speciei numeri habebunt quaternos divisores $1, p, q, pq$.

66. Simili modo classis tertia subdividi debet in tres species, quarum formae sunt p^3, p^2q, pqr, siquidem p, q, r denotent numeros primos diversos, vel enim omnes tres factores sunt aequales vel bini tantum, vel omnes tres inaequales.

67. Pro tertia autem classe numerorum

speciei primae	p^3 divisores erunt	quatuor	$1, p, p^2, p^3$,
secundae	p^2q	sex	$1, p, q, p^2, pq, p^2q$,
tertiae	pqr	octo	$1, p, q, r, pq, pr, qr, pqr$,

neque praeterea alii divisores locum habere possunt.

68. Classis quarta, quae numeros quatuor factoribus primis constantes continet, prout horum factorum bini, vel tres, vel omnes quatuor fuerint aequales, subdividenda est in quinque species, quarum formae sunt I. p^4, II. p^3q, III. p^2q^2, IV. p^2qr, V. $pqrs$.

69. Jam facile erit omnes divisores cujusque speciei in classe quarta enumerare:

Speciei:		divisores erunt
I. p^4	quinque:	$1, p, p^2, p^3, p^4$,
II. p^3q	octo:	$1, p, q, p^2, pq, p^3, p^2q, p^3q$,
III. p^2q^2	novem:	$1, p, q, p^2, pq, q^2, p^2q, pq^2, p^2q^2$,
IV. p^2qr	duodecim:	$1, p, q, r, p^2, pq, pr, qr, p^2q, p^2r, pqr, p^2qr$,
V. $pqrs$	sedecim:	$1, p, q, r, s, pq, pr, ps, qr, qs, rs, pqr, pqs, prs, qrs, pqrs$.

70. In classe quinta, quae numeros ex quinque factoribus primis compositos complectitur, ob aequalitatem aliquot factorum, sequentes species constitui oportebit:

I. p^5, II. p^4q, III. p^3q^2, IV. p^3qr, V. p^2q^2r, VI. p^2qrs, VII. $pqrst$.

71. Tum vero singularum harum specierum divisores ita enumerabuntur:

Speciei:			divisores erunt
I.	p^5	sex:	$1, p, p^2, p^3, p^4, p^5$,
II.	p^4q	decem:	$1, p, q, p^2, pq, p^3, p^2q, p^4, p^3q, p^4q$,
III.	p^3q^2	duodecim:	$1, p, q, p^2, pq, q^2, p^3, p^2q, pq^2, p^3q, p^2q^2, p^3q^2$,
IV.	p^3qr	sedecim:	$1, p, q, r, p^2, pq, pr, qr, p^3, p^2q, p^2r, pqr, p^3q, p^3r, p^2qr, p^3qr$,
V.	p^2q^2r	octodecim:	$1, p, q, r, p^2, pq, pr, q^2, qr, p^2q, p^2r, pq^2, pqr, q^2r, p^2q^2, p^2qr, pq^2r, p^2q^2r$,
VI.	p^2qrs	viginti quatuor:	$1, p, q, r, s, p^2, pq, pr, ps, qr, qs, rs, p^2q, p^2r, p^2s, pqr, pqs, prs, qrs, p^2qr, p^2qs, p^2rs, pqrs, p^2qrs$,

VII. $pqrst$ triginta duo: $1, p, q, r, s, t, pq, pr, ps, pt, qr, qs, qt, rs, rt, st, pqr, pqs, pqt, prs, prt, pst, qrs, qrt, qst, rst, pqrs, pqrt, pqst, prst, qrst, pqrst$.

72. Simili modo reliquarum classium species constituentur, singularumque specierum divisores omnes assignabuntur. Simul autem hac ratione patebit natura singulorum divisorum, atque tam classis quam species, quorsum singuli sunt referendi.

73. Si numeri N divisores sint: $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta, \ldots N$, isque multiplicetur per numerum primum p, qui in eo nondum contineatur, tum productum Np praeter illos divisores $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta, \ldots N$ insuper eosdem per p multiplicatos $p, \alpha p, \beta p, \gamma p, \delta p \ldots Np$ pro divisoribus habebit, ideoque numerus divisorum duplo erit major.

74. At si ille numerus N per quadratum numeri primi p, qui in ipso non insit tanquam factor, multiplicetur, numerus divisorum triplicabitur. Primo enim productum Np^2 eosdem habebit divisores quos numerus N, tum vero eosdem per p multiplicatos, ac tertio eosdem per p^2 multiplicatos.

75. Simili modo si p sit numerus primus in N non contentus, numerusque N per p^3 multiplicetur, productum Np^3 habebit primo omnes divisores numeri N, deinde eosdem per p, porro eosdem per p^2, ac denique eosdem per p^3 multiplicatos, quo pacto multitudo divisorum producti Np^3 quadruplo major est quam numeri N.

76. Atque in genere si numeri N multitudo divisorum sit $= m$, isque per potestatem p^λ numeri primi p multiplicetur, producti Np^λ multitudo divisorum erit $(\lambda + 1)\, m$; ubi notasse juvabit ipsius potestatis p^λ multitudinem divisorum esse $\lambda + 1$.

77. Hinc patet regula facilis multitudinem divisorum cujuscunque numeri definiendi: Sit enim $p^\lambda q^\mu r^\nu s^\xi$ forma numeri propositi; et quia numeri p^λ multitudo divisorum est $\lambda + 1$, erit numeri $p^\lambda q^\mu$ multitudo divisorum $(\lambda + 1)(\mu + 1)$, hujus vero numeri $p^\lambda q^\mu r^\nu$ erit

$(\lambda + 1)(\mu + 1)(\nu + 1)$, porroque hujus $p^\lambda q^\mu r^\nu s^\xi$ erit $(\lambda + 1)(\mu + 1)(\nu + 1)(\xi + 1)$.

Classis autem, ad quam hic numerus est referendus, indicatur numero $\lambda + \mu + \nu + \xi$, qui est summa exponentium.

78. Infiniti ergo numeri exhiberi possunt, quorum multitudo divisorum sit data. Si enim multitudo divisorum sit $= a$, existente a numero primo, numeri quaesiti in hac forma p^{a-1} continentur, denotante p numerum primum quemcunque.

79. Si a, b, c, d, etc. denotent numeros primos, pariter ac litterae p, q, r, s, etc., numeri, quorum multitudo divisorum est ab, sunt vel p^{ab-1}, vel $p^{a-1}q^{b-1}$; quorum autem multitudo divisorum est abc, ii sunt vel p^{abc-1}, vel $p^{ab-1}q^{c-1}$, vel $p^{ac-1}q^{b-1}$, vel $p^{bc-1}q^{a-1}$, vel $p^{a-1}q^{b-1}r^{c-1}$, ubi litterae a, b, c, etc. eundem quoque numerum primum significare possunt, dummodo litterae p, q, r, etc. significent diversos.

80. Hinc si multitudo divisorum sit $= 2$, soli numeri primi satisfaciunt, seu numeri in hac forma p contenti. Tum vero si fuerit

multitudo divisorum:	erit forma numerorum:
3	p^2
4	p^3, pq
5	p^4
6	p^5, p^2q
7	p^6
8	p^7, p^3q, pqr
9	p^8, p^2q^2
10	p^9, p^4q
11	p^{10}
12	p^{11}, p^5q, p^3q^2, p^2qr.

81. Cognita ergo forma cujusque numeri, classe scilicet ejusque specie, quo est referendus, non solum multitudo divisorum, sed etiam ipsi divisores ope regularum traditarum assignari possunt.

Caput III.

De summa divisorum cujusque numeri.

82. Proposito quocunque numero n, summam omnium ejus divisorum hoc modo $\int n$ designemus, ita ut haec scriptura $\int n$ denotet summam divisorum numeri n.

83. Cum ergo unitas alium divisorem praeter se ipsam non habeat, erit $\int 1 = 1$; cujusque vero alius numeri summa divisorum se ipso erit major, erit scilicet $\int n > n$, nisi sit $n = 1$.

84. Pro numeris primis p, quia alios non agnoscunt divisores praeter se ipsos et unitatem, erit $\int p = p + 1$. Tum vero pro potestatibus numerorum primorum erit

$$\int p^1 = p + 1 = \frac{pp - 1}{p - 1},$$

$$\int p^2 = pp + p + 1 = \frac{p^3 - 1}{p - 1},$$

$$\int p^3 = p^3 + p^2 + p + 1 = \frac{p^4 - 1}{p - 1},$$

et in genere

$$\int p^n = p^n + p^{n-1} + p^{n-2} + \ldots + 1 = \frac{p^{n+1} - 1}{p - 1}.$$

85. Cum numerorum in forma pq contentorum divisores sint 1, p, q, pq, erit eorum summa

$$1 + p + q + pq = (1 + p)\,(1 + q), \quad \text{ideoque} \quad \int pq = (p + 1)\,(q + 1).$$

Simili modo erit ex classe tertia

$$\int p^2q = (pp + p + 1)\,(q + 1) \quad \text{et} \quad \int pqr = (p + 1)\,(q + 1)\,(r + 1).$$

86. Eodem modo in reliquis classibus divisores in unam summam colligere liceret; verum quo indoles harum summarum clarius perspiciatur, consideremus in genere numerum N, cujus divisores sint 1, α, β, γ, δ,...N, quorum summa sit $\int N$. Multiplicetur ille per numerum primum p,

in eo non contentum, et productum Np praeter illos divisores insuper eosdem, per p multiplicatos, habebit, quorum ergo summa erit $p\int N$, unde colligitur fore $\int Np = (p+1)\int N = \int p.\int N$.

87. Eodem modo ex § 74 colligitur, si numerus N per quadratum numeri primi p, in ipso non contenti, multiplicetur, producti Np^2 summam divisorum fore

$$(1+p+p^2)\int N, \quad \text{seu} \quad \int Np^2 = \int N.\int p^2; \quad \text{eodemque modo fore} \quad \int Np^3 = \int N.\int p^3$$

et ita porro.

88. Hinc pro singulis classibus et speciebus, divisorum summae ita exprimentur

$$\begin{aligned}
\int p &= 1+p \\
\int p^2 &= 1+p+p^2 \\
\int pq &= (1+p)\,(1+q) \\
\int p^3 &= 1+p+p^2+p^3 \\
\int p^2q &= (1+p+p^2)\,(1+q) \\
\int pqr &= (1+p)\,(1+q)\,(1+r) \\
\int p^4 &= 1+p+p^2+p^3+p^4 \\
\int p^3q &= (1+p+p^2+p^3)\,(1+q) \\
\int p^2q^2 &= (1+p+p^2)\,(1+q+q^2) \\
\int p^2qr &= (1+p+p^2)\,(1+q)\,(1+r) \\
\int pqrs &= (1+p)\,(1+q)\,(1+r)\,(1+s)
\end{aligned}$$

etc.

89. Ex his formulis deducimus sequentes conclusiones:

$$\begin{aligned}
&\int p^2 = p^2 + \int p = 1 + p\int p \\
&\int p^3 = p^3 + \int p^2 = 1 + p\int p^2 = 1 + p + p^2\int p \\
&\int p^4 = 1 + p\int p^3 = 1 + p + p^2\int p^2 = 1 + p + p^2 + p^3\int p \\
&\int p^5 = 1 + p\int p^4 = 1 + p + p^2\int p^3 = 1 + p + p^2 + p^3\int p^2 = 1 + p + p^2 + p^3 + p^4\int p
\end{aligned}$$

etc.

unde patet esse in genere

$$\int p^n = 1 + p\int p^{n-1} = 1 + p + p^2\int p^{n-2} = 1 + p + p^2 + p^3\int p^{n-3} \text{ etc.}$$

90. Proposito ergo numero N, cujus summam divisorum assignare oporteat, resolvatur is in suos factores primos, sitque

$$N = p^\lambda q^\mu r^\nu s^\xi, \quad \text{quo facto erit} \quad \int N = \int p^\lambda.\int q^\mu.\int r^\nu.\int s^\xi.$$

91. Dummodo ergo tam numerorum primorum ipsorum, quam eorum potestatum summae divisorum assignari queant, omnium plane numerorum summae divisorum definiri poterunt.

92. Pro ipsis numeris primis p, cum sit $\int p = p+1$, summa divisorum semper erit numerus par, nisi sit $p=2$, quo casu est $\int 2 = 3$. Si enim sit $p = 2a-1$, erit $\int(2a-1) = 2a$. At ob $\int p^2 = p^2+p+1$, summa divisorum quadrati cujusvis numeri primi semper erit numerus impar, ac subinde adeo numerus primus, veluti $\int 2^2 = 7$, $\int 3^2 = 13$, $\int 5^2 = 31$.

93. Deinde si N sit cubus numeri primi, seu

$$N = p^3, \quad \text{erit} \quad \int p^3 = 1 + p + pp + p^3 = (1 + p)\ (1 + pp),$$

ideoque numerus compositus, ac nisi sit $p = 2$, ad minimum erit summa divisorum divisibilis per 4, quia uterque factor $1 + p$ et $1 + pp$ est par. Erit ergo $\int p^3 = (1 + pp) \int p$.

94. Si numerus N sit potestas quarta numeri primi, seu $N = p^4$, erit summa divisorum $\int p^4 = 1 + p + pp + p^3 + p^4$, ideoque semper impar, fierique adeo poterit, ut ea sit numerus primus, veluti $\int 2^4 = 31$.

95. Si sit $N = p^5$, quia est $\int p^5 = 1 + p + pp + p^3 + p^4 + p^5$, erit summa divisorum

$$\int p^5 = (1 + p + pp)\ (1 + p^3) = (1 + p)\ (1 + p + pp)\ (1 - p + pp),$$

ideoque numerus compositus, qui ex summis inferiorum potestatum ita componitur, ut sit

$$\int p^5 = (1 - p + pp) \int p \cdot \int p^2.$$

96. Proposito autem producto MN, cujus factores M et N nullum habeant factorem primum communem, erit $\int MN = \int M \cdot \int N$, quae ergo summa divisorum eo magis erit composita, quo plures numeri primi dispares ingrediantur.

97. Proposito numero quocunque N, cujus summa divisorum sit $\int N$, si is per numerum primum p multiplicetur, summa divisorum producti Np semper major est quam $p \int N$. Nam $\int Np$ primum complectitur omnes divisores numeri N per p multiplicatos, quorum summa est $p \int N$, ac praeterea etiam eos divisores numeri N, qui per p non sunt affecti.

98. Hoc etiam ita bipartito ostenditur. Primo si numerus primus p non contineatur in N, erit utique $\int Np = \int p \cdot \int N = (1 + p) \int N = p \int N + \int N$, quo casu sine dubio est $\int Np > p \int N$.

99. At si p jam contineatur in N, ut sit $N = Mp^n$, erit $\int N = \int M \cdot \int p^n$; sed $\int Np = \int M\ \int p^{n+1}$. Ex superioribus vero constat esse $\int p^{n+1} = 1 + p \int p^n$, unde colligitur $\int Np = \int M + p \int p^n \int M$, ita ut sit $\int Np = p \int N + \int M$, ideoque $\int Np > p \int N$.

100. Numerorum naturali ordine progredientium summae divisorum ita se habebunt:

$\int 1 = 1$	$\int 13 = 14$	$\int 25 = 31$	$\int 37 = 38$	$\int 49 = 57$
$\int 2 = 3$	$\int 14 = 24$	$\int 26 = 42$	$\int 38 = 60$	$\int 50 = 93$
$\int 3 = 4$	$\int 15 = 24$	$\int 27 = 40$	$\int 39 = 56$	$\int 51 = 72$
$\int 4 = 7$	$\int 16 = 31$	$\int 28 = 56$	$\int 40 = 90$	$\int 52 = 98$
$\int 5 = 6$	$\int 17 = 18$	$\int 29 = 30$	$\int 41 = 42$	$\int 53 = 54$
$\int 6 = 12$	$\int 18 = 39$	$\int 30 = 72$	$\int 42 = 96$	$\int 54 = 120$
$\int 7 = 8$	$\int 19 = 20$	$\int 31 = 32$	$\int 43 = 44$	$\int 55 = 72$
$\int 8 = 15$	$\int 20 = 42$	$\int 32 = 63$	$\int 44 = 84$	$\int 56 = 120$
$\int 9 = 13$	$\int 21 = 32$	$\int 33 = 48$	$\int 45 = 78$	$\int 57 = 80$
$\int 10 = 18$	$\int 22 = 36$	$\int 34 = 54$	$\int 46 = 72$	$\int 58 = 90$
$\int 11 = 12$	$\int 23 = 24$	$\int 35 = 48$	$\int 47 = 48$	$\int 59 = 60$
$\int 12 = 28$	$\int 24 = 60$	$\int 36 = 91$	$\int 48 = 124$	$\int 60 = 168.$

101. Inter has divisorum summas non omnes occurrunt numeri, sed usque ad 60 excluduntur sequentes:

2, 5, 9, 10, 11, 16, 17, 19, 21, 22, 23, 25, 26, 27, 29, 33, 34, 35, 37, 41, 43, 45, 46, 47, 49, 50, 51, 52, 53, 55, 58, 59.

Numeri autem, qui summas divisorum exprimunt, sunt:

1, 3, 4, 6, 7, 8, 12, 13, 14, 15, 18, 20, 24, 28, 30, 31, 32, 36, 38, 39, 40, 42, 44, 48, 54, 56, 57, 60.

102. Hinc patet duos pluresve numeros quandoque eandem divisorum summam praebere, veluti

$$\begin{array}{ll} \int 6 = \int 11 = 12 & \int 14 = \int 15 = \int 23 = 24 \\ \int 10 = \int 17 = 18 & \int 20 = \int 26 = \int 41 = 42 \\ \int 16 = \int 25 = 31 & \int 33 = \int 35 = \int 47 = 48 \\ \int 21 = \int 31 = 32 & \int 24 = \int 38 = \int 59 = 60. \\ \int 34 = \int 53 = 54 & \\ \int 28 = \int 39 = 56 & \end{array}$$

103. Problema hic proponi solet, quo quaeritur numerus, qui ad summam divisorum suorum habeat datam rationem: scilicet ut sit $N : \int N = n : m$, sive $\frac{\int N}{N} = \frac{m}{n}$, ubi quidem primo necesse est ut sit $m > n$; si enim esset $m = n$, foret $N = 1$.

104. Ratione $m : n$ in minimis terminis expressa, numerus N vel ipsi n, vel cuipiam ejus multiplo aequalis erit. Statuatur ergo $N = an$, eritque $\int N = \int an = am$. At nisi sit $a = 1$, est $\int an > a \int n$, hinque $m > \int n$. Quocirca si fuerit $m < \int n$, nulla solutio locum habet, sin autem $m = \int n$, unica datur solutio, scilicet $N = n$.

105. Nisi ergo sit vel $m = \int n$, vel $m > \int n$, problema solutionem non admittit. Priori quidem casu numerus quaesitus N ipsi n aequabitur, neque praeterea ulla alia dabitur solutio. Posteriori vero casu, quo $m > \int n$, numerus N aequabitur multiplo cuipiam ipsius n, puta $N = an$, siquidem ulla solutio locum habet. Dantur enim utique ejusmodi rationes $m : n$, quibus nequaquam satisfieri potest, etiamsi sit $m > \int n$.

106. Numerus *perfectus* est, cujus summa divisorum ipso duplo est major. Ita si fuerit $\int N = 2N$, erit N numerus perfectus. Qui si sit par, erit hujusmodi $2^n A$, existente A numero impari, sive primo, sive composito. Cum ergo sit

$$N = 2^n A, \quad \text{erit } \int N = (2^{n+1} - 1) \int A = 2^{n+1} A, \quad \text{unde fit } \frac{\int A}{A} = \frac{2^{n+1}}{2^{n+1} - 1}.$$

107. Quia hujus fractionis $\frac{2^{n+1}}{2^{n+1}-1}$ numerator unitate tantum superat denominatorem, excedere nequit summam divisorum denominatoris; erit ergo vel aequalis, vel minor. Posteriori casu nulla datur solutio, prior vero existere nequit, nisi sit $2^{n+1} - 1$ numerus primus. Quare quoties $2^{n+1} - 1$ fuerit numerus primus, ei A aequalis capi debet, eritque numerus perfectus $= 2^n (2^{n+1} - 1)$.

108. Omnes ergo numeri perfecti pares in hac formula $2^n (2^{n+1} - 1)$ continentur, siquidem $2^{n+1} - 1$ fuerit numerus primus, quod quidem evenire nequit nisi $n + 1$ sit numerus primus; etiamsi non omnes primi pro $n + 1$ assumti praebeant $2^{n+1} - 1$ primum. Utrum vero praeter hos numeros perfectos pares, dentur quoque impares, nec ne? nemo adhuc demonstravit.

109. Si daretur numerus perfectus impar, omnes ejus factores impares sint necesse est. Sit ergo $= ABCD$ etc. oportetque fieri $\int A . \int B . \int C . \int D = 2ABCD$ numero impariter pari. Quare inter

summas divisorum $\int A$, $\int B$, $\int C$, $\int D$ unica debet esse impariter par, reliquae omnes impares: omnes ergo factores A, B, C, D, praeter unum, erunt potestates pares numerorum primorum, unus autem ille vel numerus primus formae $4n+1$, vel ejusdem potestas, cujus exponens sit $4\lambda+1$. Sicque talis numerus perfectus hujusmodi habebit formam $(4n+1)^{4\lambda+1} PP$, existente P numero impari, et $4n+1$ primo.

110. Plurima alia problemata huc referenda, quibus alia proponitur relatio inter numeros investigandos eorumque summas divisorum hic praetermitto, quoniam ex traditis principiis methodus ea solvendi non difficulter elicitur.

Caput IV.

De numeris inter se primis et compositis.

111. Duo numeri, qui praeter unitatem nullum alium habent factorem seu divisorem communem, vocantur numeri *primi inter se*; qui autem praeter unitatem alium habent divisorem communem, vocantur *compositi inter se.* Ita 8 et 15 sunt numeri inter se primi, at 9 et 15 numeri inter se compositi.

112. Unitas ergo est ad omnes numeros primus. Scilicet denotante n numerum quemcunque, numeri 1 et n sunt numeri primi inter se, quia praeter unitatem nullum alium admittunt divisorem communem.

113. Pari modo duo numeri unitate differentes n et $n+1$ sunt primi inter se; quoscunque enim divisores habuerit numerus n, nullus eorum dividere potest numerum $n+1$. Namque si p sit divisor numeri n, numerus proxime major per p divisibilis erit $n+p$, neque vero $n+1$ divisionem per p admittet.

114. Numerus primus p ad omnes numeros, nisi qui ejus sunt multipla, est primus; hinc numeri a et p sunt primi inter se, nisi sit vel $a=p$, vel $a=np$. Ergo numerus primus p ad omnes numeros se minores est primus.

115. Multitudo numerorum, dato numero a minorum, est $a-1$, inter quos quot sint ad a vel primi, vel compositi, operae pretium est definire; quoniam inde judicium ad omnes numeros ipso a majores facile extenditur.

116. Sit enim $b < a$, ac si b et a fuerint primi inter se, etiam omnes hi numeri $b+a$, $b+2a$, $b+3a$, etc. ad a erunt primi; ac si b et a habuerint communem divisorem, idem erit divisor numerorum $b+a$, $b+2a$, etc.

117. Si ergo a sit numerus primus $=p$, quia omnes numeri ipso minores ad eum sunt primi, horum multitudo est $=p-1$.

118. Si sit $a=2p$, ab 1 ad a dantur p numeri pares, qui ergo ad a non sunt primi, deinde ipse numerus p ad a etiam non est primus. Auferantur hi a numeris omnibus ab 1 usque ad a, quorum multitudo est $=p$, ac relinquentur $p-1$, totidemque ad a erunt primi.

119. Si sit $a=3p$, inter numeros ipso non majores primum ii, qui sunt per 3 divisibiles, ad eum non sunt primi, quorum multitudo est $=p$, deinde insuper p et $2p$ ad a non sunt primi; reliqui, quorum multitudo est $3p-p-2=2(p-1)$, omnes ad $a=3p$ erunt primi.

120. Simili modo si $a = 5p$, numeri, qui cum a communem habent divisorem, sunt primo omnes per 5 divisibiles, quorum multitudo est $= p$, ac praeterea qui per p sunt divisibiles, nempe p, $2p$, $3p$ et $4p$; ipse enim numerus $5p$ jam ante est notatus: unde multitudo numerorum ad a compositorum est $p + 4$, ideoque multitudo numerorum ad a primorum $= 4p - 4 = 4\ (p - 1)$, qui scilicet ipso a non sunt majores.

121. Generalius si sit $a = pq$, existente utroque factore p et q primo, ab unitate ad a dantur p numeri per q divisibiles, scilicet q, $2q$, $3q \ldots pq$; deinde dantur q numeri per p divisibiles, scilicet p, $2p$, $3p, \ldots qp$, quorum ultimus qp jam est numeratus. Multitudo ergo omnium numerorum a non superantium, qui ad a sunt compositi, erit $= p + q - 1$, unde reliqui, quorum multitudo est

$$= qp - p - q + 1 = (p - 1)\ (q - 1),$$

ad a erunt primi.

122. Hic autem pro p et q numeros primos diversos sumsimus. Nam si esset $a = pp$, alii numeri ad a non essent compositi, nisi qui sunt per p divisibiles, quorum multitudo cum sit $= p$, reliquorum, qui ad a sunt primi, multitudo erit $= pp - p = p\ (p - 1)$.

123. Simili modo si sit $a = p^3$, quia alium divisorem primum praeter p non habet, omnes numeri ab 1 ad a, ad a compositi sunt p, $2p$, $3p \ldots p^2p$, quorum multitudo cum sit p^2, reliqui numeri omnes, quorum multitudo est $p^3 - p^2 = p^2\ (p - 1)$, ad a erunt primi.

124. Hinc in genere patet, si a fuerit potestas quaecunque p^n numeri primi p, multitudinem numerorum ad a primorum, qui quidem ipso a non sint majores, fore $= p^{n-1}\ (p - 1)$.

125. Sit $a = p^2 q$, existentibus p et q numeris primis diversis, et cum a alios non habeat divisores primos praeter p et q, numeri ad a compositi vel erunt per p divisibiles, qui sunt p, $2p$, $3p \ldots pq.p$, multitudine $= pq$, vel per q divisibiles, qui sunt q, $2q$, $3q, \ldots p^2.q$ multitudine $= p^2$. Inter hos vero occurunt, qui ibi jam sunt numerati pq, $2pq$, $3pq \ldots p.pq$ multitudine $= p$, ita ut multitudo omnium ad a compositorum sit $= pq + p^2 - p$. Quare reliqui, quorum multitudo est $= ppq - pq - pp + p = p\ (p - 1)\ (q - 1)$, omnes ad a erunt primi.

126. Sit $a = pqr$, existentibus p, q, r numeris primis diversis, ac numeri ad a compositi sunt divisibiles

1) per p,	scilicet	p, $2p$, $3p \ldots qr.p$	multitudine	qr
2) per q,	«	q, $2q$, $3q \ldots pr.q$	«	pr
3) per r,	«	r, $2r$, $3r \ldots pq.r$	«	pq.

Hic autem bis numerantur divisibiles per pq multitudine r, tum divisibiles per pr multitudine q, ac denique divisibiles per qr multitudine p, qui inde auferantur; at hoc modo numerus ipse pqr penitus tolleretur, qui ergo iterum est adjiciendus. Sicque multitudo numerorum ad a compositorum erit $qr + pr + pq - r - q - p + 1$; unde reliqui, quorum multitudo est

$$pqr - qr - pr - pq + r + q + p - 1 = (p - 1)\ (q - 1)\ (r - 1),$$

ad numerum $a = pqr$ erunt primi.

127. Ex his colligetur pro omnibus numerorum generibus fore

si sit numerus propositus	multitudinem numerorum ipso a minorum ad cumque primorum
$a=p$	$p-1$
$a=p^2$	$p(p-1)$
$a=pq$	$(p-1)(q-1)$
$a=p^3$	$p^2(p-1)$
$a=p^2q$	$p(p-1)(q-1)$
$a=pqr$	$(p-1)(q-1)(r-1)$
$a=p^4$	$p^3(p-1)$
$a=p^3q$	$p^2(p-1)(q-1)$
$a=p^2q^2$	$p(p-1)q(q-1)$
$a=p^2qr$	$p(p-1)(q-1)(r-1)$
$a=pqrs$	$(p-1)(q-1)(r-1)(s-1)$

128. Quo autem haec conclusio firmius corroboretur neque inductioni nimium indulgeatur, consideremus hanc formam $a=Mp$, ubi M sit numerus quicunque, et p primus in M non contentus. Ponamus autem ad 1 ab M multitudinem numerorum ad M primorum esse $=\mu$, ideoque multitudinem numerorum ad M compositorum $=M-\mu$.

129. Cum ergo ab 1 ad M sint $M-\mu$ numeri compositi ad M, ab 1 ad Mp erunt $p(M-\mu)$ numeri compositi ad M, qui ergo etiam erunt compositi ad Mp, sed praeterea ad Mp compositi sunt isti: p, $2p$, $3p\ldots Mp$, multitudine M, unde autem expungendi sunt ii, qui jam ad M sunt compositi, quorum multitudo est $M-\mu$; sicque tantum relinquentur μ numeri, qui tantum ad Mp, non vero ad M sunt compositi. Quare ab 1 ad Mp omnino ad Mp compositi erunt tot: $p(M-\mu)+\mu$, et reliqui, quorum multitudo est $Mp-p(M-\mu)-\mu=\mu(p-1)$, ad numerum Mp erunt primi.

130. Simili modo ostenditur, si numerus propositus sit $=Mp^n$, existente p numero primo in M non contento, atque μ fuerit multitudo numerorum ad M primorum, qui quidem inter limites 1 et M contineantur, tum multitudinem omnium numerorum infra Mp^n, ad hunc ipsum numerum Mp^n primorum, fore $=p^{n-1}\mu(p-1)$.

131. Quaeramus enim numeros compositos ad Mp^n, qui vel ad M, vel ad p erunt compositi. At ab 1 ad Mp^n multitudo numerorum ad M compositorum est $=p^n(M-\mu)$, qui vero ad p sunt compositi erunt: p, $2p$, $3p\ldots Mp^{n-1}.p$, multitudine $=Mp^{n-1}$. Hinc autem excludi oportet eos, qui jam ad M sunt compositi, quorum multitudo est $p^{n-1}(M-\mu)$: sicque multitudo eorum, qui ad Mp^n, non vero ad M sunt compositi, erit $=Mp^{n-1}-p^{n-1}(M-\mu)=p^{n-1}\mu$, unde omnino ab 1 ad Mp^n multitudo numerorum ad Mp^n compositorum est $=p^n(M-\mu)+p^{n-1}\mu$. Quocirca reliqui, quorum multitudo est $Mp^n-p^n(M-\mu)-p^{n-1}\mu=p^{n-1}\mu(p-1)$ erunt ad Mp^n primi.

132. Cum ergo multitudo numerorum ad p^n primorum ipsoque minorum sit $=p^{n-1}(p-1)$, ex praecedente propositione summo rigore concludimus: Si numerus propositus sit $=p^\lambda q^\mu r^\nu s^\xi$ etc. fore multitudinem omnium numerorum ad eum primorum ipsoque minorum

$$=p^{\lambda-1}(p-1).q^{\mu-1}(q-1).r^{\nu-1}(r-1).s^{\xi-1}(s-1) \text{ etc.}$$

133. Si igitur M et N fuerint numeri inter se primi, atque multitudo numerorum ab 1 ad M, primorum ad M, sit $=m$, multitudo vero numerorum ab 1 ad N, primorum ad N, sit $=n$, tum multitudo numerorum ad productum MN primorum ipsoque non majorum, erit $=mn$.

134. Hinc patet multitudinem omnium numerorum primorum, quemadmodum jam Euclides demonstravit, finitam esse non posse. Si enim ultimus et maximus numerus primus esset $=p$, statuatur numerus M aequalis producto omnium numerorum primorum $M=2.3.5.7\ldots p$, qui ergo ad omnes plane numeros esset compositus: cum igitur idem numerus M ad $M-1$, vel $M+1$ certe sit primus, patet assertionem esse absurdam.

135. Ex superioribus autem patet, inter numeros ipso M minores non solum numerum $M-1$, sed etiam plures alios ad M certe esse primos, cum multitudo horum numerorum ad M primorum sit $=1.2.4.6\ldots(p-1)$, quae eo est major, quo plures numeri primi in se invicem multiplicentur.

136. Ponamus $m=1.2.4.6\ldots(p-1)$, existente $M=2.3.5.7\ldots p$; et cum ab 1 ad M tot sint numeri ad M primi, quot m continet unitates, hi vel ipsi erunt primi, vel compositi ex primis, qui sint ipso p majores.

137. Si ab 1 ad M fuerint m numeri ad M primi, ab 1 ad $2M$ erunt $2m$ numeri ad M primi, et in genere ab 1 ad NM erunt Nm numeri ad M primi. In quovis enim intervallo

$$1\ldots M,\quad M+1\ldots 2M,\quad 2M+1\ldots 3M,\quad 3M+1\ldots 4M,\ \text{etc.}$$

multitudo numerorum ad M primorum est eadem.

138. Si N designet alium numerum quemcunque, atque ab 1 ad N fuerint n numeri ad N primi, ab 1 ad MN erunt Mn numeri ad N primi. At in eodem intervallo sunt Nm numeri ad M primi. Qui autem sunt primi ad MN, ii quoque sunt primi tam ad M quam ad N.

139. Ante autem ostendimus, si hi numeri M et N fuerint primi inter se, tum in intervallo $1\ldots MN$ tot dari numeros ad MN primos, quot mn contineat unitates; hique numeri in utraque praecedente multitudine Mn et Nm occurrunt. (*)

Caput V.

De residuis ex divisione natis.

140. Si numerus a non sit multiplum numeri b, divisio illius per hunc non succedit, et excessus numeri a supra multiplum ipsius b proxime minus vocatur *residuum* ex divisione ortum. Ita si sit $a=mb+r$, erit r residuum ex divisione numeri a per b natum.

(*) *Notae Ill. Auctoris margini adscriptae.* De maximo communi divisore ejusque inventione. — Si A et B sint numeri primi, inveniri potest multiplum ipsius A, quod per B divisum relinquat datum numerum C. — Qui numeri inter se fuerint primi, eorum potestates quaecunque inter se erunt primi. — Si A sit primus ad B, atque etiam ad C, erit quoque ad BC primus. — Si productum AB sit divisibile per primum p, alteruter factor per eum erit divisibilis. — Si A et B sint primi inter se, inveniri possunt numeri m et n, ut fiat $mA-nB=1$, vel alii cuivis numero dato. — Si sit φ maximus communis factor numerorum A et B, tum $\frac{A}{\varphi}$ et $\frac{B}{\varphi}$ erunt primi inter se. — Si a per b divisum det residuum r, tum na per nb divisum dabit residuum nr. — Si a per b divisum det residuum r, communis factor numerorum a et b, si quem habent praeter unitatem, simul erit factor residui r. Vicissim, si b et r habeant communem factorem, idem quoque factor erit ipsius a. — Si a et b sint numeri inter se primi et $a>b$, erit $a=mb+p$; et $b>p$, tum vero $b=np+q$ et $p>q$, sicque tandem ad unitatem pervenietur.

141. Hinc patet residuum r semper minus esse numero b seu divisore; si enim esset aequale, seu $r=b$, aucto indice multipli m unitate, foret a verum multiplum ipsius b, scilicet $a=(m+1)b$; et si esset $r>b$, augendo indicem m reduceretur infra b.

142. Proposito ergo divisore quocunque b, si dividendus a fuerit multiplum ipsius b, residuum erit $=0$; sin autem a non fuerit multiplum ipsius b, residuum erit vel 1, vel 2, vel 3, vel quicunque alius numerus minor quam b, ita ut multitudo residuorum, quae oriri possunt, sit $b-1$, vel adeo b, si cyphra simul numeretur.

143. Pro quovis ergo divisore b omnes numeri in tot classes distribui possunt, quot b continet unitates. Prima nempe classis continebit omnes numeros multiplos ipsius b, seu formae mb; secunda eos, qui per b divisi pro residuo relinquunt 1, tertia eos, qui 2, quarta eos, qui 3, et denique ultima, qui relinquunt $b-1$.

144. Ita sumto 2 pro divisore, duae habentur classes, quarum prima continet numeros formae $2m$, altera vero numeros formae $2m+1$. Numeri prioris classis vocantur *pares*, posterioris vero *impares*.

145. Si ternarius pro divisore assumatur, omnes numeri in tres classes distinguentur: prima complectitur numeros formae $3m$, secunda numeros formae $3m+1$, ac tertia numeros formae $3m+2$.

146. Si divisor statuatur $=4$, quaternae classes omnium numerorum his quatuor formis comprehenduntur: I. $4m$, II. $4m+1$, III. $4m+2$, IV. $4m+3$, ubi prima classis nomen sortita est numerorum *pariter parium*; tertia vero numerorum *impariter parium*. At secunda et quarta numeros impares in duas classes subdivisos exhibent.

147. Simili modo divisor 5 has quinque numerorum classes suppeditat: I. $5m$, II. $5m+1$, III. $5m+2$, IV. $5m+3$, V. $5m+4$: ac divisor 6 praebet has sex classes:

I. $6m$, II. $6m+1$, III. $6m+2$, IV. $6m+3$, V. $6m+4$, VI. $6m+5$,

et ita porro pro quovis alio divisore.

148. Sic igitur quilibet numerus pro quovis divisore ad certam quandam classem refertur, seu certa quadam forma exprimitur, quod, cum divisorum numerus in infinitum augeri queat, infinitis modis fieri potest.

149. Si enim numerus fuerit minor divisore proposito, ipse ut residuum spectari potest, indice multipli evanescente: ita si sit $a<b$, erit $a=mb+a$ existente $m=0$, numerus ergo 3 respectu divisoris 5 pertinet ad classem $5m+3$.

150. Quaelibet classis infinitos continet numeros in arithmetica progressione crescentes, secundum differentiam divisori aequalem. Ita in genere si divisor sit b et residuum r, omnes numeri ad classem $mb+r$ relati sunt: r, $b+r$, $2b+r$, $3b+r$, $4b+r$, $5b+r$, etc. cujus progressionis arithmeticae terminus generalis est ipsa formula $mb+r$, unde est nata.

151. Formula $mb+r$ etiam hoc modo $(m+1)b-b+r$ potest repraesentari, sicque residuo positivo r aequivalens censendum est residuum negativum $-(b-r)$, unde patet ideam residuorum latius extensam etiam numeros negativos complecti.

*

152. Hinc divisore b existente $= 2$, formula numerorum imparium $2m + 1$ etiam ita $2m - 1$ repraesentari potest; atque si divisor b sit $= 3$, classis numerorum, qui per 3 divisi relinquunt binarium, etiam formula $3m - 1$ continetur; sicque omnes numeros in una harum trium formularum $3m$, $3m + 1$ et $3m - 1$ contineri necesse est.

153. Quare si residua negativa admittere velimus, omnes formulas $mb \pm r$ ita repraesentare poterimus, ut residuum r semissem divisoris b non superet. Si enim esset $r > \frac{1}{2}b$, pro r sumamus $-(b - r)$ eritque $b - r < \frac{1}{2}b$.

154. Simili modo cum sit $mb + r = (m - 1)b + b + r$, residuo r etiam aequivalet residuum $b + r$, vocabulo in latiori sensu accepto. Generatim ergo residua minus proprie ita dicta $b + r$, $2b + r$, $3b + r$, etc. aequivalent residuo r proprie sic dicto.

155. Scilicet divisore existente b, omnis numerus, etiamsi sit major quam b, tanquam residuum spectari potest, qui ad residuum proprie ita dictum reducetur, divisorem b inde toties auferendo, quoties fieri licet, quod adeo negativa admittendo infra semissem ipsius b deprimi poterit.

156. Ita si divisor sit 6 et residuum 16, hoc residuum improprium reducetur ad proprium 4, atque adeo ad negativum -2, sive istae formulae $6m + 16$, $6m + 4$, $6m - 2$ pro aequivalentibus sunt habendae, quia omnes numeri in una contenti simul in reliquis continentur.

157. Circa residua plures insignes proprietates perpendi oportet. Si numerus A per divisorem d divisus, praebeat residuum α, numeri quoque $A + d$, $A + 2d$, $A + 3d$, etc. idem relinquent residuum α, at numerus $A + 1$ per eundem divisus dabit residuum $\alpha + 1$, et generaliter numerus $A + n$ residuum dabit $\alpha + n$, quod si excedat divisorem d, eo subtrahendo quoties fieri potest, ad minimam formam reducetur.

158. Simili modo, si sumto divisore d, numero A residuum conveniat α, numeri quoque $A - d$, $A - 2d$, $A - 3d$, etc. idem relinquent residuum, at numero $A - 1$ residuum conveniet $\alpha - 1$, et numero $A - n$ residuum $\alpha - n$, quod si forte sit negativum, additione divisoris d ad positivum reducetur.

159. Sumto divisore d, si numero A conveniat residuum α, numero vero B residuum β, aggregato horum numerorum $A + B$ conveniet residuum $\alpha + \beta$, quod congruit cum $\alpha + \beta - d$, si forte sit $\alpha + \beta > d$. Hinc patet si sit $\alpha + \beta = d$, fore $A + B$ multiplum ipsius d.

160. Iisdem positis, differentiae numerorum $A - B$ conveniet residuum $\alpha - \beta$, vel etiam $\alpha - \beta + d$, si forte sit $\beta > \alpha$. Unde si sit $\alpha = \beta$, seu si numeri A et B paria relinquant residua, eorum differentia erit per divisorem d divisibilis.

161. Sumto divisore d, si numerus A praebeat residuum α, ejus duplum $2A$ dabit residuum 2α, vel etiam $2\alpha - d$, triplum vero $3A$ dabit residuum 3α, cujus, si sit majus quam d, minima forma erit vel $3\alpha - d$, vel $3\alpha - 2d$. Atque in genere multipli cujusvis nA residuum erit $n\alpha$, sive $n\alpha - md$.

162. Si divisore posito $= d$, numero A respondeat residuum α, numero vero B residuum β, producto AB residuum conveniet $\alpha\beta$, quod si forte majus fuerit quam divisor d, reducitur ad $\alpha\beta - d$, vel $\alpha\beta - md$.

163. Erit enim $A = md + \alpha$ et $B = nd + \beta$, unde fit productum

$$AB = mnd^2 + (m\beta + n\alpha)\, d + \alpha\beta,$$

cujus partes priores cum sint per d divisibiles, postrema $\alpha\beta$ pro residuo haberi potest.

164. Hinc colligimus, si numerus A per d divisus relinquat residuum α, ejus quadrato A^2 respondere residuum $\alpha\alpha$, ejusque cubo A^3 residuum α^3, et potestati cuicunque A^n residuum α^n, quod, divisione per d facta, porro ad minimam formam reducetur.

165. Quare si numero A per d diviso relinquatur residuum $= 1$, omnes ejus potestates A^2, A^3, A^4, etc. per eundem divisorem d divisi idem residuum relinquent $= 1$. At si residuum numeri A sit -1, aequipollens ipsi $d - 1$, potestatum parium A^2, A^4, A^6, A^8, etc. residua erunt $+1$, imparium vero -1.

166. Denique notandum est, si numerus A per d divisus praebeat residuum α, tum fore $A - \alpha$ per numerum d divisibile. Unde cum A^n pro divisore d det residuum α^n, erit quoque $A^n - \alpha^n$ per d divisibile.

Caput VI.

De residuis ex divisione terminorum progressionis arithmeticae ortis.

167. Incipiamus a serie numerorum naturalium, cujus termini 1, 2, 3, 4, etc. per divisorem quemcunque d divisi, dabunt residua 1, 2, 3, 4, etc. donec perveniatur ad terminum d, cui residuum convenit $= 0$, sequentes vero termini $d + 1$, $d + 2$, $d + 3$, etc. eodem ordine residua 1, 2, 3, etc. reddent, usque ad $2d$, cujus residuum iterum evanescit, et ita porro.

168. Sit jam proposita progressio arithmetica quaecunque

$$a,\ a + b,\ a + 2b,\ a + 3b,\ a + 4b,\ a + 5b,\ \text{etc.}$$

cujus singuli termini per divisorem d dividantur, et ex primo oritur residuum a, quod idem ante non recurret, quam perveniatur ad terminum $a + nb$, cujus pars nb per d divisibilis existat, et post hunc terminum residua eodem ordine prodibunt atque ab initio (*).

169. Primo quidem statim liquet, hinc plura diversa residua resultare non posse, quam divisor d contineat unitates. Unde, si ab initio jam tot diversa residua prodierint, necesse est, ut deinceps priores iterum redeant. Semper autem terminus $a + db$, cujus index est $d + 1$, idem praebet residuum ac primus a.

170. Si differentia progressionis b fuerit factor divisoris d, vel si saltem b et d communem habeant factorem φ, ut sit $b = B\varphi$ et $d = D\varphi$, tum antequam ad terminum $a + db$ perveniatur, primum residuum a revertetur, scilicet hoc continget in termino $a + Db$, cujus index est $D + 1$, quoniam $Db = BD\varphi = Bd$ per d est divisibile.

171. Hic ergo duos casus evolvi conveniet, alterum, quo divisor d et differentia progressionis a sunt numeri inter se primi, alterum vero, quo sunt numeri inter se compositi, seu quo habent quempiam factorem communem, praeter unitatem.

(*) *Script. ad marg.* Haec residua excedent numero a residua orta ex progressione 0, b, $2b$, $3b$, $4b$, etc. quare hanc evolvisse sufficiet.

172. Si divisor d et differentia progressionis b fuerint numeri primi inter se, primum residuum a ante non recurrit, quam in termino $a+db$; si enim ex termino quodam antecedente resultaret, puta $a+(d-n)b$, esset $(d-n)b$, ac proinde etiam nb per d divisibile, ideoque etiam n, quod foret absurdum.

173. Ad definienda ergo residua considerari oportet terminos progressionis, a primo a usque ad $a+(d-1)b$, quorum multitudo est d, quos terminos ordine dispositos cum suis residuis ita repraesentemus:

Indices:	1,	2,	3,	4,	5,		d
Progressio:	a,	$a+b$,	$a+2b$,	$a+3b$,	$a+4b$,	....	$a+(d-1)b$
Residua:	α,	β,	γ,	δ,	ε,		λ

174. Primum ergo observo cuncta haec residua, quorum multitudo est $=d$, inter se esse diversa. Quemadmodum enim primum α non amplius occurrere ostensum est, ita etiam secundum β semel tantum adesse docetur. Si enim ex termino $a+nb$, existente $n<d$, idem oriretur residuum, foret differentia terminorum $(n-1)\ b$ per d divisibilis, ideoque et $n-1$, quod repugnat.

175. Cum igitur omnia residua $\alpha, \beta, \gamma, \delta, \ldots \lambda$ sint inter se diversa, eorumque multitudo sit $=d$, inter ea omnes numeri ipso d minores una cum cyphra occurrent, numeri scilicet $0, 1, 2, 3, \ldots (d-1)$ occurrent, quorum multitudo pariter est $=d$.

176. Quare si r fuerit numerus quicunque minor quam divisor d, dabitur certe progressionis terminus $a+nb$, existente $n<d$, qui per d divisus relinquat residuum r. Ac sumto $r=0$, dabitur ejusmodi terminus $a+nb$ per d divisibilis.

177. Si terminus $a+nb$ residuum praebeat r, erit $a+nb-r$ per d divisibile. Unde si b et d sint numeri inter se primi, et $a-r$ denotet numerum quemcunque, semper dabitur numerus n minor quam d, ita ut numerus $a-r+nb$ fiat per d divisibilis.

178. Sit $a+mb$ terminus per d divisibilis, existente $m<d$, ac terminus sequens $a+(m+1)\,b$ residuum dabit b, praecedens vero $a+(m-1)\ b$ residuum $-b$, seu $d-b$. Sit porro $a+nb$ terminus, qui per d divisus unitatem relinquat, atque illo numero hinc ablato differentia $(n-m)\ b$ etiam unitatem relinquet.

179. Ponamus $n-m=p$, ut numerus pb per d divisus unitatem relinquat, sumtoque termino $a+mb$ per d divisibili, termino $a+(m+p)\,b$ conveniet residuum $=1$, termino $a+(m+2p)\ b$ residuum $=2$, termino $a+(m+3p)\,b$ residuum $=3$, et in genere termino $a+(m+np)\,b$ residuum $=n$.

180. Si $m+np$ fuerit majus divisore d, hic toties inde auferatur, donec remaneat numerus $k<d$, et terminus $a+kb$ per d divisus relinquet residuum $=n$.

181. Facilius autem termini data residua relinquentes definiri possunt, dum innotuerit productum pb, quod per d divisum relinquat unitatem. Cum enim terminus primus a relinquat α, terminus $a+npb$ relinquet $\alpha+n$.

182. Si ergo datum residuum fuerit $=r$, ponatur $\alpha+n=r$, et ob $n=r-\alpha$, invento p, terminus residuum r praebens erit $a+(r-\alpha)\,pb$; vel etiam generaliter $a+((r-\alpha)\,p\pm\mu d)\ b$, ubi μ ita assumere licet, ut fiat $(r-\alpha)\ p\pm\mu d<d$.

183. Totum ergo negotium huc redit, ut numeri b id investigetur multiplum pb, quod per d divisum unitatem relinquat. Cum itaque $pb - 1$ per d sit divisibile, posito $pb - 1 = qd$, numeros p et q investigari oportet, ut fiat $pb - qd = 1$. Semper autem p infra d assignari poterit.

184. Saepe ejusmodi productum πb facilius reperitur, quod per d divisum relinquat $d - 1$, seu $- 1$; tum autem hoc productum $(d - \pi) b$ residuum praebebit $= + 1$, ita ut invento π futurum sit $p = d - \pi$. Tum igitur terminus $a + ((\alpha - r) \pi \pm \mu d) b$ datum residuum r relinquat.

185. Consideremus nunc etiam residua, quae oriuntur si differentia progressionis b et divisor d non fuerint numeri inter se primi. Atque jam vidimus, si factor communis sit φ, ut sit $b = B\varphi$ et $d = D\varphi$, jam terminum $a + Db$ idem praebere residuum, quod primus a.

186. Quare si φ fuerit maximus factor communis numerorum b et d, quoniam primum residuum a, vel α demum in termino $a + Db$ recurrit, plura residua diversa locum habere nequeunt, quam numero D: neque ergo omnes numeri divisore d minores inter residua occurrent.

187. Quo haec residua facilius scrutemur, ponamus esse $a = 0$, sintque termini progressionis cum suis residuis:

Indices	1	2	3	4	D
Termini	0,	$B\varphi$,	$2B\varphi$,	$3B\varphi$	$(D - 1) B\varphi$
Residua	0,	$\beta\varphi$,	$\gamma\varphi$,	$\delta\varphi$,	$\lambda\varphi$

manifestum enim est, si hi termini per $d = D\varphi$ dividantur, residua quoque per φ esse divisibilia.

188. Nam si mB divisum per D praebeat residuum r, erit $mB = nD + r$, ideoque $mB\varphi = nD\varphi + r\varphi$. Unde si $mB\varphi$ per $D\varphi = d$ dividatur, residuum erit $r\varphi$, multiplum ipsius φ. Cum igitur pro r omnes numeri ipso D minores prodire queant, etiam inter illa residua omnia multipla ipsius φ, quae quidem divisorem $d = D\varphi$ non superant, occurrere debent, quorum multitudo utique est $= D$.

189. Si ad singulos terminos adjiciamus numerum a, eodem singula residua augebuntur, quae ergo ita se habebunt, existente $b = B\varphi$ et $d = D\varphi$:

Indices	1	2	3	4	5	D
Termini	a,	$a + b$,	$a + 2b$,	$a + 3b$,	$a + 4b$	$a + (D - 1) b$
Residua	a,	$a + \beta\varphi$,	$a + \gamma\varphi$,	$a + \delta\varphi$,	$a + \varepsilon\varphi$,	$a + \lambda\varphi$

ubi series β, γ, δ, $\varepsilon \ldots \lambda$ omnes numeros ipso D minores continet.

190. Hoc ergo casu ex serie residuorum excluduntur omnes numeri, qui numero a minuti non sunt divisibiles per φ, seu maximum communem divisorem differentiae b et divisoris d.

191. Cum numeri B et D sint primi inter se, ejusmodi multiplum prioris, puta mB, exhiberi potest, quod per D divisum, datum relinquat residuum r; tum autem nostrae progressionis terminus $a + mB\varphi$, seu $a + mb$ per $D\varphi = d$ divisus, relinquet residuum $a + r\varphi$ (*).

Caput VII.

De residuis ex divisione terminorum progressionis geometricae ortis.

192. Progressionem geometricam in genere ita repraesentamus: a, ab, ab^2, ab^3, ab^4, ab^5, etc.

(*) *Script. ad marg.* Methodus definiendi formulam $ax + b$, ut ea per datum numerum d fiat divisibilis.

cujus termini, si per numerum quemcunque d dividantur, ejusmodi dabunt residua, quae facile ex residuis hujus progressionis 1, b, b^2, b^3, etc. colligi possunt, his scilicet per a multiplicandis.

193. Haec ergo de residuis quaestio ad meras potestates revocatur, ita ut residuum definiendum sit, quod potestas quaecunque b^n per datum numerum d divisa relinquit. Ubi quidem casus distingui convenit, quibus numeri b et d sunt vel primi inter se, vel compositi.

194. Si sit $b = p\varphi$ et $d = q\varphi$, quaeratur residuum ex $p^n\varphi^{n-1}$ ortum, si per q dividatur; illudque per φ multiplicatum dabit residuum ortum ex divisione numeri $p^n\varphi^n$ per $q\varphi$, hocque modo deducimur ad divisionem ejusmodi potestatis b^n per d, ubi b et d sint numeri inter se primi.

195. Sint ergo b et d numeri inter se primi, et residua ex divisione potestatum ipsius b oriunda ita indicentur:

Potestates	1,	b,	b^2,	b^3,	b^4,	b^5,	b^6,	b^7,	etc.
Residua	1,	α,	β,	γ,	δ,	ε,	ζ,	η,	etc.

quae omnia ad divisorem d quoque erunt prima, quia d ad omnes potestates ipsius b est primus.

196. Quia haec residua 1, α, β, γ, δ, etc. omnia sunt minora quam d, ea omnia a se invicem diversa esse non possunt. Quin si multitudo numerorum, ad d primorum eoque simul minorum, sit μ, plura residua diversa resultare nequeunt, quam μ continet unitates.

197. Cum ergo innumerabiles potestates paria praebeant residua, si ponamus b^m et b^{m+n} idem dare residuum, harum potestatum differentia $b^{m+n} - b^m = b^m(b^n - 1)$ per d erit divisibilis. Quia igitur b^m ad d est primus, sequitur $b^n - 1$ per d esse divisibile, seu potestatem b^n dare residuum $= 1$.

198. Quia plura quam μ residua diversa occurrere nequeunt, si progressio ad terminum b^μ continuetur, ob terminorum numerum $= \mu + 1$, unum saltem residuum bis occurret, sicque casus ante positus contingat, antequam $m + n$ superet μ, unde potestas b^n residuum $= 1$ reproducens dabitur, ita ut n non superet μ.

199. Ponamus post unitatem b^n infimam esse potestatem, quae per d divisa unitatem relinquat, atque sequentes potestates b^{n+1}, b^{n+2}, b^{n+3}, etc. eadem praebebunt residua, quae potestates initiales b, b^2, b^3, etc. donec perveniatur ad potestatem b^{2n}, quae iterum unitatem pro residuo relinquet.

200. Cum igitur a potestate b^n progrediendo eadem residua recurrant, atque ab initio, non solum omnes potestates b^0, b^n, b^{2n}, b^{3n}, b^{4n}, etc. idem relinquent residuum 1, sed etiam hae b^1, b^{n+1}, b^{2n+1}, b^{3n+1}, b^{4n+1}, etc. idem habebunt residuum, quin etiam istae b^m, b^{n+m}, b^{2n+m}, b^{3n+m}, etc. per d divisae aequalia residua relinquent.

201. Posita ergo b^n infima potestate unitatem pro residuo relinquente, ita ut n non excedat μ, multitudinem numerorum ipso d minorum ad eumque primorum, omnes antecedentes potestates 1, b, b^2, b^3, ... b^{n-1} disparia praebebunt residua, quae deinceps eodem ordine recurrent. Si enim duo eorum essent paria, minor valor pro n haberetur, contra hypothesin.

202. Quodsi ergo in residuis omnes numeri ad divisorem d primi eoque minores occurrant, quorum multitudo est $= \mu$, erit $n = \mu$, atque $b^\mu - 1$ per d erit divisibile. Sin autem non omnes illi numeri ad d primi inter residua occurrant, necesse est, ut sit $n < \mu$. Ostendemus autem his casibus n esse partem aliquotam ipsius μ.

203. Si non omnes numeri ad d primi eoque minores, quorum multitudo est $=\mu$, inter residua, quorum multitudo est $=n$, occurrant, eos, qui ex ordine residuorum excluduntur, nomine *non-residuorum* appellabo, ita ut multitudo residuorum n cum multitudine non-residuorum exhaurire debeat numerum μ.

204. Si in serie residuorum 1, α, β, γ, etc. occurrant numeri r et s, in ea quoque occurret numerus rs, seu residuum ipsi aequivalens. Si enim residua r et s respondeant potestatibus b^ρ et b^σ, potestati $b^{\rho+\sigma}$ respondebit residuum rs. Hincque inter residua occurret numerus $r^f s^g$, sumtis exponentibus f et g utcunque.

205. Vicissim si potestati b^ρ conveniat residuum r, potestati vero $b^{\rho+\sigma}$ residuum rs, vel $rs-\lambda d$, tum potestati b^σ conveniet residuum s. Nam producto $b^\rho s$ conveniet residuum rs, idem quod potestati $b^{\rho+\sigma}$; hinc differentia $b^{\rho+\sigma}-b^\rho s=b^\rho(b^\sigma-s)$ per d erit divisibilis. Quare cum b^ρ ad d sit primus, necesse est sit $b^\sigma-s$ per d divisibile, sicque potestati b^σ respondebit residuum s.

206. Si ergo numeri r et rs inter residua reperiantur, certum est et numerum s ibidem repertum iri. Quodsi jam series residuorum 1, α, β, γ, δ, etc., quorum numerus est $=n$, non omnes numeros ipso d minores, ad eumque primos complectatur, quorum multitudo est $=\mu$, dabitur unus pluresve, quos in classem non-residuorum referri oportet.

207. Sit x tale non-residuum, ac manifestum est etiam hos numeros αx, βx, γx, δx, etc. inter non-residua reperiri, nam si αx in residuis inveniretur, quia α ibidem extat, etiam x ibidem reperiri deberet, contra hypothesin. Ex unico ergo non-residuo necessario sequuntur tot non-residua quot habentur residua, scilicet numero n. Sunt enim haec non-residua inter se aeque disparia ac ipsa residua 1, α, β, γ, δ, etc. ac si ibi duo aequalia darentur, etiam hic talia esse deberent, quod foret absurdum (*).

208. Statim ergo atque est $n<\mu$, ad minimum dantur n non-residua, quae si omnia complectantur, erit tam residuorum quam non-residuorum numerus $=n+n$, ipsi μ aequandus, unde fit $n=\frac{\mu}{2}$; hinc si $n<\mu$, fieri nequit, ut numerus residuorum n semissem numeri μ superet.

209. Si in modo expositis non-residuis x, αx, βx, γx, etc. non omnia occurrant, sit y numerus $<d$ ad eumque primus, qui neque in his non-residuis neque residuis reperiatur, atque simili modo etiam hi numeri αy, βy, γy, etc. a praecedentibus diversi, ad non-residua referri debent, sicque denuo n numeri ad non-residua accedunt.

210. Si his duobus ordinibus nondum omnia non-residua exhauriantur, novus ordo accedet, pariter n terminis constans, ac fortasse denuo novus totidem constans terminis; unde colligitur numerum omnium non-residuorum, nisi sit nullus, vel ipsi numero n, vel ejus duplo, vel triplo, vel in genere multiplo cuicunque aequari.

211. Cum igitur omnia non-residua una cum residuis multitudinem omnium numerorum ipso divisore d minorum ad eumque primorum exhaurire debeant, erit vel $n=\mu$, vel $2n=\mu$, vel $3n=\mu$ etc. sicque semper exponens n est pars aliquota numeri μ.

(*) *Script. ad marg.* Si x et y non-residua, erit $y=\alpha x$ et $xy=\alpha xx$; jam si numerus non-residuorum $=$ numero residuorum, demonstrandum est xx inter residua contineri.

212. Quodsi ergo b et d sint numeri inter se primi, et μ denotet multitudinem omnium numerorum ad d primorum ipsoque minorum, tum vero b^n fuerit minima potestas post casum $n=0$, quae per d divisa unitatem relinquat, tum erit vel $n=\mu$, vel n aequabitur parti cuipiam aliquotae ipsius μ, ita ut sit $n=\frac{\mu}{m}$, existente m divisore quopiam ipsius μ.

213. Cum autem post potestatem b^n etiam omnes istae b^{2n}, b^{3n}, b^{4n}, etc. unitatem pro residuo agnoscant, semper potestas $b^{mn}=b^\mu$ per d divisa unitatem relinquet. Hinc dum b et d fuerint numeri inter se primi, haec formula $b^\mu-1$ semper per numerum d erit divisibilis.

214. Si praeterea etiam c et d fuerint numeri inter se primi, quoniam $c^\mu-1$ divisionem per d admittit, harum formularum differentia $b^\mu-c^\mu$ semper per numerum d erit divisibilis, dummodo uterque numerus b et c ad d fuerit primus.

215. Si pro d sumamus numerum primum p, erit $\mu=p-1$, atque haec formula $b^{p-1}-1$ semper erit per p divisibilis, nisi ipse numerus b fuerit multiplum ipsius p. Fieri autem potest, ut forma simplicior b^n-1 etiam divisionem per p admittat, ubi autem necessario requiritur, ut exponens n sit pars aliquota ipsius $p-1$.

216. Si divisor sit $d=pq$, existentibus p et q numeris primis inaequalibus, neque b alterutrum horum numerorum complectatur, tum ob $\mu=(p-1)(q-1)$, haec forma $b^{(p-1)(q-1)}-1$ per d erit divisibilis.

217. Ac si existentibus p, q, r, s numeris primis inaequalibus, fuerit $d=p^\lambda q^\mu r^\nu s^\xi$, ac b numerus quicunque ad d primus, tum posito

$$m=p^{\lambda-1}(p-1)\,q^{\mu-1}(q-1)\,r^{\nu-1}(r-1)\,s^{\xi-1}(s-1),$$

haec forma b^m-1 semper per d erit divisibilis, atque interdum fieri potest, ut formula simplicior b^n-1, existente n parte quapiam aliquota ipsius m, divisibilis evadat.

218. Sed retineamus divisorem generalem d, sitque μ multitudo numerorum ipso minorum ad eumque primorum, pro b autem sumatur numerus quicunque ad d primus, cujus minima potestas per d divisa unitatem relinquens sit b^n, atque vidimus necessario fore vel $n=\mu$, vel $n=\frac{1}{2}\mu$, vel $n=\frac{1}{3}\mu$, vel $n=\frac{1}{4}\mu$, vel $n=\frac{1}{5}\mu$, siquidem μ tales partes aliquotas admittat; quos casus diligentius evolvi conveniet.

219. Statim quidem suspicari licet, hoc discrimen ab indole numeri b pendere, ita ut pro dato divisore d, certi numeri pro b sumti praebeant $n=\mu$, alii $n=\frac{1}{2}\mu$, alii $n=\frac{1}{3}\mu$, alii $n=\frac{1}{4}\mu$, seu adhuc minori parti aliquotae ipsius μ.

220. Quaecunque autem n sit pars aliquota ipsius μ, si binae potestates b^n et c^n unitatem relinquant, etiam composita $(bc)^n$ unitatem relinquet. Deinde etiam manifestum est potestatem $(b\pm\lambda d)^n$ per d divisam, esse relicturam unitatem.

221. Cum potestas b^μ semper unitatem relinquat, quaeramus numeros pro b sumendos, ut etiam $b^{\frac{1}{2}\mu}$ unitatem relinquat, quo casu ante omnia necesse est ut μ sit numerus par, quod quidem semper evenit nisi sit $d=2$.

222. Si jam capiatur $b = ee$, ita ut e sit numerus ad d primus, certum est $b^{\frac{1}{2}\mu} = e^{\mu}$ unitatem relinquere, quod etiam evenit si $b = ee \pm \lambda d$. Minores ergo numeri pro b sumendi sunt residua, quae ex divisione numerorum quadratorum per d resultant, si modo quadrata ad d fuerint prima.

223. Simili modo potestas $b^{\frac{1}{3}\mu}$ per d divisa unitatem relinquet, si fuerit $b = e^3$, et generalius si $b = e^3 \pm \lambda d$. Minores ergo valores ipsius b idonei sunt residua, ex divisione cuborum ad d primorum per ipsum numerum d orta. Evidens autem est hoc evenire non posse, nisi numerus μ sit per 3 divisibilis.

224. Si μ per 4 sit divisibile, tum potestas $b^{\frac{1}{4}\mu}$ per d divisa unitatem relinquet, si fuerit $b = e^4$, et generalius $b = e^4 \pm \lambda d$. Minores ergo numeri sunt residua, quae ex divisione biquadratorum per d oriuntur, iis scilicet tantum biquadratis sumendis, quae ad d sunt prima.

225. In genere ergo, si numerus μ divisibilis sit per ν, potestas $b^{\frac{\mu}{\nu}}$ per d divisa unitatem relinquet, si capiatur $b = e^{\nu}$, vel adeo $b = e^{\nu} \pm \lambda d$, ita ut idonei numeri pro b substituendi sint residua, quae ex divisione potestatum ordinis ν per numerum d oriuntur, potestatibus illis ad d existentibus primis.

226. Sufficit ergo pro b numeros sumsisse ipso d minores, qui quidem ad eum sint primi; atque unitas quidem pro b sumta omnia residua unitati aequalia reddit, ita ut hoc casu semper sit $n = 1$, seu $n = \frac{\mu}{\mu}$. Casus autem iste solus relinquitur, si capiatur divisor $d = 2$, quippe quo fit $\mu = 1$.

227. Sit divisor $d = 3$, erit $\mu = 2$, et praeter casum $b = 1$, quo $n = 1$, habebimus casum $b = 2$, unde oritur progressio geometrica cum suis residuis:

Progr. geom.	1,	2,	2^2,	2^3,	2^4,	etc.,	ubi est $n = 2$,
Residua	1,	2,	1,	2,	1,	etc.,	seu $n = \mu$.

228. Sit divisor $d = 4$, erit $\mu = 2$, et praeter casum $b = 1$, quo $n = 1 = \frac{1}{2}\mu$, habemus casum $b = 3$.

Progr. geom.	1,	3,	3^2,	3^3,	3^4,	etc.,	hinc ergo fit $n = 2 = \mu$
Residua	1,	3,	1,	3,	1,	etc.	

229. Sit divisor $d = 5$, erit $\mu = 4$, et habebimus hos casus

	$b = 1$	$b = 2$	$b = 3$	$b = 4$
Progr. geom.	1, 1	1, 2, 2^2, 2^3, 2^4	1, 3, 3^2, 3^3, 3^4	1, 4, 4^2
Residua	1, 1	1, 2, 4, 3, 1	1, 3, 4, 2, 1	1, 4, 1
	$n = 1$	$n = 4$	$n = 4$	$n = 2$

duobus ergo casibus hic est $n = 4$, uno $n = 2$ et uno $n = 1$.

230. Si divisor $d = 6$, erit $\mu = 2$, et duo erunt casus

	$b = 1$	$b = 5$
Progr. geom.	1, 1	1, 5, 5^2
Residua	1, 1	1, 5, 1
	$n = 1$	$n = 2$

*

231. Si divisor $d = 7$, erit $\mu = 6$ totidemque habentur casus

	$b = 1$	$b = 2$	$b = 3$	$b = 4$
Progr. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 2^2,\ 2^3$	$1,\ 3,\ 3^2,\ 3^3,\ 3^4,\ 3^5,\ 3^6$	$1,\ 4,\ 4^2,\ 4^3$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 4,\ 1$	$1,\ 3,\ 2,\ 6,\ 4,\ 5,\ 1$	$1,\ 4,\ 2,\ 1$
	$n = 1$	$n = 3$	$n = 6$	$n = 3$

	$b = 5$	$b = 6$
Progr. geom.	$1,\ 5,\ 5^2,\ 5^3,\ 5^4,\ 5^5,\ 5^6$	$1,\ 6,\ 6^2$
Residua	$1,\ 5,\ 4,\ 6,\ 2,\ 3,\ 1$	$1,\ 6,\ 1$
	$n = 6$	$n = 2$

232. Si divisor $d = 8$, erit $\mu = 4$ totidemque casus

	$b = 1$	$b = 3$	$b = 5$	$b = 7$
Prog. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 3,\ 3^2$	$1,\ 5,\ 5^2$	$1,\ 7,\ 7^2$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 3,\ 1$	$1,\ 5,\ 1$	$1,\ 7,\ 1$
	$n = 1$	$n = 2$	$n = 2$	$n = 2$

nullo ergo casu erit $n = \mu$, sed tribus $n = \frac{1}{2}\mu$, et uno casu $n = \frac{1}{4}\mu$.

233. Si divisor sit $d = 9$, erit $\mu = 6$ totidemque casus

	$b = 1$	$b = 2$	$b = 4$
Prog. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 2^2,\ 2^3,\ 2^4,\ 2^5,\ 2^6$	$1,\ 4,\ 4^2,\ 4^3$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 4,\ 8,\ 7,\ 5,\ 1$	$1,\ 4,\ 7,\ 1$
	$n = 1$	$n = 6$	$n = 3$

	$b = 5$	$b = 7$	$b = 8$
Progr. geom.	$1,\ 5,\ 5^2,\ 5^3,\ 5^4,\ 5^5,\ 5^6$	$1,\ 7,\ 7^2,\ 7^3$	$1,\ 8,\ 8^2$
Residua	$1,\ 5,\ 7,\ 8,\ 4,\ 2,\ 1$	$1,\ 7,\ 4,\ 1$	$1,\ 8,\ 1$
	$n = 6$	$n = 3$	$n = 2$

234. Si sit divisor $d = 10$, erit $\mu = 4$

	$b = 1$	$b = 3$	$b = 7$	$b = 9$
Progr. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 3,\ 3^2,\ 3^3,\ 3^4$	$1,\ 7,\ 7^2,\ 7^3,\ 7^4$	$1,\ 9,\ 9^2$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 3,\ 9,\ 7,\ 1$	$1,\ 7,\ 9,\ 3,\ 1$	$1,\ 9,\ 1$
	$n = 1$	$n = 4$	$n = 4$	$n = 2$

235. Sit $d = 11$, erit $\mu = 10$ totidemque casus

	$b = 1$	$b = 2$	$b = 3$
Progr. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 2^2,\ 2^3,\ 2^4,\ 2^5,\ 2^6,\ 2^7,\ 2^8,\ 2^9,\ 2^{10}$	$1,\ 3,\ 3^2,\ 3^3,\ 3^4,\ 3^5$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 2,\ 4,\ 8,\ 5,\ 10,\ 9,\ 7,\ 3,\ 6,\ 1$	$1,\ 3,\ 9,\ 5,\ 4,\ 1$
	$n = 1$	$n = 10$	$n = 5$

	$b=4$	$b=5$
Progr. geom.	$1,\ 4,\ 4^2,\ 4^3,\ 4^4,\ 4^5$	$1,\ 5,\ 5^2,\ 5^3,\ 5^4,\ 5^5$
Residua	$1,\ 4,\ 5,\ 9,\ 3,\ 1$	$1,\ 5,\ 3,\ 4,\ 9,\ 1$
	$n=5$	$n=5$

	$b=6$	$b=7$
Progr. geom.	$1,\ 6,\ 6^2,\ 6^3,\ 6^4,\ 6^5,\ 6^6,\ 6^7,\ 6^8,\ 6^9,\ 6^{10}$	$1,\ 7,\ 7^2,\ 7^3,\ 7^4,\ 7^5,\ 7^6,\ 7^7,\ 7^8,\ 7^9,\ 7^{10}$
Residua	$1,\ 6,\ 3,\ 7,\ 9,\ 10,\ 5,\ 8,\ 4,\ 2,\ 1$	$1,\ 7,\ 5,\ 2,\ 3,\ 10,\ 4,\ 6,\ 9,\ 8,\ 1$
	$n=10$	$n=10$

	$b=8$
Progr. geom.	$1,\ 8,\ 8^2,\ 8^3,\ 8^4,\ 8^5,\ 8^6,\ 8^7,\ 8^8,\ 8^9,\ 8^{10}$
Residua	$1,\ 8,\ 9,\ 6,\ 4,\ 10,\ 3,\ 2,\ 5,\ 7,\ 1$
	$n=10$

	$b=9$	$b=10$
Progr. geom.	$1,\ 9,\ 9^2,\ 9^3,\ 9^4,\ 9^5$	$1,\ 10,\ 10^2$
Residua	$1,\ 9,\ 4,\ 3,\ 5,\ 1$	$1,\ 10,\ 1$
	$n=5$	$n=2$

236. Sit $d=12$, erit $\mu=4$ totidemque casus

	$b=1$	$b=5$	$b=7$	$b=11$
Progr. geom.	$1,\ 1$	$1,\ 5,\ 5^2$	$1,\ 7,\ 7^2$	$1,\ 11,\ 11^2$
Residua	$1,\ 1$	$1,\ 5,\ 1$	$1,\ 7,\ 1$	$1,\ 11,\ 1$
	$n=1$	$n=2$	$n=2$	$n=2$

hic ergo semper est $n<\mu$, tribus casibus scilicet $n=\frac{1}{2}\mu$, et uno $n=\frac{1}{4}\mu$.

237. Si sit divisor $d=13$, erit $\mu=12$, et pro minima potestate b^n, quae per 13 divisa relinquit unitatem, reperitur

$$\begin{array}{ll} \text{si} & b=1,\ 2,\ 3,\ 4,\ 5,\ 6,\ 7,\ 8,\ 9,\ 10,\ 11,\ 12, \\ \text{est} & n=1,\ 12,\ 3,\ 6,\ 4,\ 12,\ 12,\ 4,\ 3,\ 6,\ 12,\ 2. \end{array}$$

238. Quemadmodum semper si $b=1$ fit $n=1$, quicunque fuerit divisor d, ita etiam sumto $b=d-1$, fit $n=2$, seu $(d-1)^2$ per d divisum relinquit unitatem, quod in potestate prima nunquam contingit. De reliquis autem valoribus pro b assumtis difficilius est judicium.

239. Quoniam potestas $(kd+1)^n$ per d divisa relinquit 1, si fuerit $kd+1=bc$, et potestas b^n per d divisa relinquat etiam unitatem, tum quoque potestas c^n unitatem relinquet. Cum enim b^n relinquat 1, productum b^nc^n relinquet c^n, ac per hypothesin b^nc^n relinquit 1; ergo in aestimatione residuorum c^n aequivalet unitati, seu c^n per d divisum unitatem relinquet.

240. Quare si b^n fuerit minima potestas per d divisa unitatem relinquens, sitque $bc=kd+1$, minima potestas ipsius c unitatem relinquens vel erit c^n, vel adhuc minor, exponente existente parte

aliquota ipsius n. At si minor potestas ipsius c, puta $c^{\frac{n}{\nu}}$, relinqueret unitatem, etiam talis potestas ipsius b relinqueret unitatem, quod cum sit contra hypothesin, sequitur, si b^n fuerit minima potestas unitatem relinquens, etiam c^n fore minimam potestatem 1 relinquentem.

241. Ita posito $d = 13$, quia 5^4 est minima potestas unitatem relinquens, si sit $5c = 13k + 1$, erit quoque c^4 minima potestas unitatem relinquens. Verum ut fiat $13k + 1$ per 5 divisibile, sumi debet $k = 5\lambda - 2$, eritque $c = 13\lambda - 5$, cujus minimus valor est $c = 8$, ita ut etiam 8^4 sit minima potestas per 13 divisa unitatem relinquens.

242. Quicunque autem fuerit numerus b minor quam d ad eumque primus, semper quoque dabitur numerus c, etiam minor quam d ad eumque primus, ut sit $bc = kd + 1$, neque plures. Si enim duo dentur, ut esset tam $bc = kd + 1$, quam $be = ld + 1$, foret $bc - be = b(c - e)$ per d divisibile, unde ob b et d primos, esset $c - e$ per d divisibile, quod cum c et e sint minores quam d, fieri nequit, nisi sit $e = c$. Hoc autem evenire potest, ut fiat $c = b$, quod semper contingit, si sit vel $b = 1$, vel $b = d - 1$.

Caput VIII.

De potestatibus numerorum, quae per numeros primos divisae, unitatem relinquunt.

243. Quodcunque residuum potestas a^n per numerum d divisa relinquit, idem etiam relinquent omnes potestates ejusdem exponentis $(a + \lambda d)^n$, atque si n fuerit numerus par, idem residuum relinquet etiam potestas $(\lambda d - a)^n$, unde judicium residuorum ad numeros a divisore d minores revocatur.

244. Sit jam divisor d numerus primus quicunque, et quia binarius nullam habet difficultatem, ponatur $d = 2p + 1$, eritque $2p$ multitudo numerorum ipso d minorum ad eumque primorum. Jam si a sit numerus quicunque ad d primus, quod fit dummodo a non sit d ejusve multiplum, vidimus ejus potestatem a^{2p} per $d = 2p + 1$ divisam semper unitatem relinquere.

245. Saepe autem evenire potest, ut etiam potestas inferior a^n, existente $n < 2p$, per eundem numerum $d = 2p + 1$ divisa unitatem relinquat; tum autem exponens n certo est pars aliquota ipsius $2p$. Quod ergo si evenit, non solum formula $a^{2p} - 1$, sed etiam formula $a^n - 1$ per numerum primum $2p + 1$ erit divisibilis.

246. Quod si ergo formula $a^n - 1$ fuerit divisibilis per numerum primum $2p + 1$, erit etiam formula $a^{mn} - 1$ divisibilis, unde cum formula $a^{2p} - 1$ certo sit etiam per $2p + 1$ divisibilis, erit etiam differentia $a^{mn} - a^{2p}$, seu $a^{2p}(a^{mn-2p} - 1)$ divisibilis; quare cum factor a^{2p} divisionen non admittat, alter $a^{mn-2p} - 1$ divisibilis sit necesse est, quicunque numerus pro m sumatur.

247. Sit λ maximus communis divisor numerorum n et $2p$; ac si formula $a^n - 1$ fuerit divisibilis per numerum primum $2p + 1$, etiam haec formula $a^\lambda - 1$ per $2p + 1$ erit divisibilis. Sit enim $n = \alpha\lambda$ et $2p = \beta\lambda$, ut α et β sint numeri primi inter se, et quoniam tam $a^{\alpha\lambda} - 1$ quam $a^{\beta\lambda} - 1$ sunt multipla ipsius $2p + 1$, etiam hae formulae $a^{\mu\alpha\lambda} - 1$ et $a^{\nu\beta\lambda} - 1$ erunt multipla. At ob α et β numeros primos, μ et ν ita accipi possunt, ut fiat $\mu\alpha = \nu\beta + 1$, unde differentia erit

$a^{\nu\beta\lambda+\lambda}-a^{\nu\beta\lambda}=a^{\nu\beta\lambda}(a^{\lambda}-1)$, quae cum sit divisibilis per $2p+1$, necesse est sit $a^{\lambda}-1$ per $2p+1$ divisibile.

248. Si ergo n sit numerus ad $2p$ primus, forma a^n-1 divisibilis esse nequit per numerum primum $2p+1$, nisi sit $a-1$ per eundem divisibile. Unde si $a-1$ non sit multiplum numeri primi $2p+1$, formula a^n-1 per eum divisibilis esse nequit, nisi n et $2p$ sint numeri inter se compositi, quorum si maximus communis divisor sit λ, adeo haec formula $a^{\lambda}-1$ per $2p+1$ erit divisibilis.

249. Si igitur a^n fuerit minima potestas ipsius a, quae per numerum primum $2p+1$ divisa unitatem relinquit, tum certe est n pars aliquota numeri $2p$. Tum autem si fuerit $ab=k(2p+1)+1$, erit etiam b^n minima potestas ipsius b, quae per $2p+1$ divisa unitatem relinquit.

250. Si n sit numerus primus et formula a^n-1 divisibilis per numerum primum $2p+1$, vel erit n pars aliquota ipsius $2p$ (quia alius communis divisor locum non habet), vel si fuerit ad $2p$ primus, numerus $a-1$ per $2p+1$ erit divisibilis. Quare praeter divisores ipsius $a-1$ formula a^n-1 alios divisores primos non admittit, nisi hujusmodi formae $2p+1$, ut $2p$ sit multiplum ipsius n. Unde omnes ejus divisores primi in hac forma $2mn+1$ continebuntur.

251. Quare haec forma a^3-1 praeter divisorem $a-1$ alios divisores primos non admittit nisi formae $6m+1$, qui sunt 7, 13, 19, 31, 37, 43, 61, 67, 73, 79, 97 etc. Cum ergo $aa+a+1$ sit factor ipsius a^3-1, etiam is per nullos alios numeros primos est divisibilis.

252. Simili modo forma a^5-1 praeter divisorem $a-1$ alios non habet, nisi qui in forma $10m+1$ contineantur, quales sunt 11, 31, 41, 61, 71 etc. Quare etiam tales numeri

$$a^4+a^3+a^2+a+1,$$

nisi sint primi, alios divisores non admittunt.

253. Quoniam numeri perfecti inveniuntur, quoties formula 2^n-1 est numerus primus, primum patet hoc evenire non posse, nisi n sit numerus primus. At si n fuerit talis, formula 2^n-1 certe alios non habet divisores nisi formae $2mn+1$, unde exploratio utrum sit primus, nec ne? faciliori negotio absolvitur.

254. Cum $a^{2p}-1$ semper sit divisibile per numerum primum $2p+1$, illa autem forma constet factoribus a^p-1 et a^p+1, necesse est ut alteruter per $2p+1$ sit divisibilis. Vidimus autem, si sit $a=ee\pm\lambda(2p+1)$, fore a^p-1 divisibilem; his ergo casibus formula a^p+1 per $2p+1$ certe non est divisibilis.

255. Hic quaestio oritur, num forte semper formula a^p-1 per $2p+1$ sit divisibilis? ideoque nunquam altera a^p+1, quod casu, quo p est numerus impar, statim negandum esse patet. Quia enim tum a^p+1 factorem habet $a+1$, ista formula sumto $a=2p$ manifesto per $2p+1$ fit divisibilis.

256. In genere autem sequenti modo ostendi potest formulam a^n-1, existente $n<2p$, non semper divisibilem esse per numerum primum $2p+1$, sed dari utique ejusmodi numeros pro a adhibendos, quibus divisio formulae a^n-1 non succedat, quod per deductionem ad absurdum sic commodissime demonstrabitur.

257. Qui enim hoc negaverit, affirmare debet omnes has formulas 1^n-1, 2^n-1, 3^n-1, 4^n-1, $5^n-1, \ldots . n^n-1$ per $2p+1$ esse divisibiles, ideoque etiam earum differentias tam primas 2^n-1, 3^n-2^n, 4^n-3^n, 5^n-4^n, etc. quam secundas $3^n-2.2^n+1^n$, $4^n-2\,3^n+2^n$, $5^n-2.4^n+3^n$, etc. et sequentes omnes.

258. Differentiae autem ordine n sunt constantes, quae si littera N indicentur, ita exprimuntur ut sit $N=(n+1)^n-n.n^n+\frac{n(n-1)}{1.2}(n-1)^n-\frac{n(n-1)(n-2)}{1.2.3}(n-2)^n+$ etc. cujus expressionis valores pro variis valoribus ipsius n facile colliguntur:

Si $n=1$ est $N=2-1=1$

$n=2$ $N=3^2-2.2^2+1=2=1.2$

$n=3$ $N=4^3-3.3^3+3.2^3-1=6=1.2.3$

$n=4$ $N=5^4-4.4^4+6.3^4-4.2^4+1=24=1.2.3.4$

etc.

259. Ad quod clarius ostendendum sit, pro n scribendo $n+1$,

$$P=(n+2)^{n+1}-(n+1)\,(n+1)^{n+1}+\frac{(n+1)n}{1.2}n^{n+1}-\frac{(n+1)n(n-1)}{1.2.3}(n-1)^{n+1}+\text{etc.}$$

et a termino anteriori incipiendo

$$P=(n+1)^{n+1}-(n+1)\,n^{n+1}+\frac{(n+1)n}{1.2}(n-1)^{n+1}-\text{etc.}$$

At valor ipsius N ita repraesentari potest

$$N=(n+1)^n-n^{n+1}+\frac{n}{1.2}(n-1)^{n+1}-\frac{n(n-1)}{1.2.3}(n-2)^{n+1}+\text{etc.}$$

quae per $n+1$ multiplicata praebet valorem ipsius P, ita ut sit $P=(n+1)\,N$.

260. Cum igitur casu $n=1$ sit $N=1$, casu $n=2$ erit $N=1.2$, casu $n=3$ erit $N=1.2.3$, et in genere pro numero quocunque n erit $N=1.2.3\ldots.n$. At haec differentia ordinis n non est divisibilis per numerum primum $2p+1$, ob $n<2p$, unde sequitur non omnes terminos seriei § 257 expositae per eum esse divisibiles.

261. Sit $6p+1$ numerus primus, et cum forma $a^{6p}-1$ per eum sit divisibilis, nisi a ejus sit multiplum, dabuntur casus, quibus etiam $a^{2p}-1$ per eum dividi poterit, scilicet sumto $a=c^3\pm\lambda\,(6p+1)$. Tum vero etiam dantur casus, quibus formula $a^{2p}-1$ non erit divisibilis per istum numerum primum $6p+1$, uti ex demonstratione modo allata patet.

262. Cum ante ostenderimus formulam $a^{3p}-1$ fore per $6p+1$ divisibilem, si fuerit

$$a=cc\pm\lambda\,(6p+1),$$

nunc colligere licet, si numerus a simul in hac forma $cc\pm\lambda\,(6p+1)$ et in hac $c^3\pm\lambda\,(6p+1)$ contineatur, tum etiam formulam a^p-1 per $6p+1$ fore divisibilem, id quod quoque continget si fuerit $a=c^6\pm\lambda\,(6p+1)$.

263. Si sit $4p+1$ numerus primus, ut $a^{4p}-1$ per eum sit divisibile, tum adeo a^p-1 per eum dividi poterit, si fuerit $a=c^4\pm\lambda\,(4p+1)$. Dantur vero etiam casus, quibus formula a^p-1 divisionem non admittet: iis ergo vel a^p+1, vel $a^{2p}+1$ certe per $4p+1$ erit divisibile.

Caput IX.

De divisoribus numerorum formae $a^n \pm b^n$.

264. Posito $2p+1$ numero primo, dum a et b ejus non sint multipla, tam haec formula $a^{2p}-1$ quam ista $b^{2p}-1$ per eum erit divisibilis; ideoque etiam earum differentia $a^{2p}-b^{2p}$ semper per numerum primum $2p+1$ divisionem admittet.

265. Ponamus jam numerum a^n-b^n divisibilem esse per numerum primum $2p+1$, et ut exploremus, quomodo hoc fieri possit, ponamus φ esse maximum communem divisorem numerorum n et $2p$, ita ut posito $n=\alpha\varphi$ et $2p=\beta\varphi$, numeri α et β futuri sint primi inter se.

266. Cum autem α et β sint numeri primi inter se, fieri potest $\mu\alpha=\nu\beta+1$. Quare cum $a^{\alpha\varphi}-b^{\alpha\varphi}$ per $2p+1$ sit divisibilis, etiam $a^{\mu\alpha\varphi}-b^{\mu\alpha\varphi}$, hoc est $a^{(\nu\beta+1)\varphi}-b^{(\nu\beta+1)\varphi}$ erit divisibilis, tum vero ob $a^{\beta\varphi}-b^{\beta\varphi}$, quoque hic numerus $a^{\nu\beta\varphi}-b^{\nu\beta\varphi}$, nec non idem per a^φ multiplicatus, scilicet $a^{(\nu\beta+1)\varphi}-a^\varphi b^{\nu\beta\varphi}$.

267. Auferatur haec posterior forma a praecedente, et differentia $a^\varphi b^{\nu\beta\varphi}-b^{(\nu\beta+1)\varphi}=b^{\nu\beta\varphi}(a^\varphi-b^\varphi)$ divisibilis erit per numerum primum $2p+1$. At $b^{\nu\beta\varphi}$ per eum non est divisibilis, ergo alter factor $a^\varphi-b^\varphi$ divisibilis sit necesse est.

268. Quare si numerus a^n-b^n divisibilis sit per numerum primum $2p+1$, fueritque φ maximus communis divisor numerorum n et $2p$, etiam hic numerus $a^\varphi-b^\varphi$ per $2p+1$ divisibilis erit, et nisi posterior divisionem admittat, ne prior quidem admittet.

269. Quodsi ergo n et $2p$ fuerint numeri inter se primi, seu unitas maximus eorum communis divisor, nisi $a-b$ sit divisibile per $2p+1$, etiam a^n-b^n per hunc numerum primum divisionem non admittet.

270. Divisores ergo primos numeri a^n-b^n investigaturi, praeter divisores ipsius $a-b$, qui sponte se offerunt, reliquos quaerere debemus inter eos numeros primos $2p+1$, in quibus $2p$ ad n non est primus, sed compositus.

271. Unde si n sit numerus primus, omnes divisores numeri a^n-b^n praeter eos, quos $a-b$ continet, tantum inter numeros primos hujus formae $\lambda n+1$ quaerere debemus, siquidem a et b sint numeri primi inter se, quam conditionem adjici debere manifestum est.

272. Pro variis ergo valoribus ipsius n divisores primi formae a^n-b^n praeter $a-b$ quaeri debent, ut sequitur: (*)

formae	divisores quaeri debent inter hos numeros primos:
a^2-b^2	$2\lambda+1$...3, 5, 7, 11, 13, 17, 19, nullis exclusis
a^3-b^3	$3\lambda+1$...7, 13, 19, 31, 37, 43, 61, 67, 73, 79, 97, etc.
a^5-b^5	$5\lambda+1$...11, 31, 41, 61, 71, 101, etc.
a^7-b^7	$7\lambda+1$...29, 43, 71, 113, 127, etc.
$a^{11}-b^{11}$	$11\lambda+1$...23, 67, 89, 199, 331, etc.

etc.

(*) *Script. ad marg.* 1. Ad divisores formae a^n-b^n etiam accedere potest ipse numerus n. 2. Ex a^3-b^3 sequitur numerum $aa+ab+bb$ alios divisores habere non posse nisi $3\lambda+1$; ergo $3\lambda-1$ certe non sunt divisores.

273. Si n non sit numerus primus, sed productum duorum primorum, puta $n = \alpha\beta$, divisores primi formae $a^{\alpha\beta} - b^{\alpha\beta}$ praeter $a - b$ continentur in forma $2p + 1$, existente $2p$ ad $\alpha\beta$ non primo, unde, prout vel α, vel β, vel adeo $\alpha\beta$ fuerit maximus communis divisor, forma divisorum primorum erit vel $\lambda\alpha + 1$, vel $\lambda\beta + 1$, vel $\lambda\alpha\beta + 1$, in quarum prima λ non debet continere β, in secunda autem non α, in tertia vero non limitatur.

274. At divisores formae $\lambda\alpha + 1$ simul divident $a^{\alpha} - b^{\alpha}$, et divisores formae $\lambda\beta + 1$ simul hanc $a^{\beta} - b^{\beta}$, siquidem in priore λ sit numerus primus ad β, in posteriori autem ad α.

275. Quare si formulae $a^{\alpha\beta} - b^{\alpha\beta}$ ii tantum divisores desiderentur, qui non simul dividant vel $a^{\alpha} - b^{\alpha}$, vel $a^{\beta} - b^{\beta}$, ii quaeri debent inter numeros primos formae $\lambda\alpha\beta + 1$; sin autem tantum divisores formae $a^{\alpha} - b^{\alpha}$ excludere velimus, reliquos inter numeros primos $\lambda\beta + 1$ quaerere debemus.

276. Sit $\alpha = 2$ et $\beta = 2$, atque omnes divisores primi hujus numeri $a^4 - b^4$, qui non simul dividant $a^2 - b^2$, continebuntur in forma $4\lambda + 1$; hique ergo divisores erunt numeri $a^2 + b^2$; unde patet numeros formae $a^2 + b^2$ alios divisores primos non admittere, nisi qui sint formae $4\lambda + 1$.

277. Sit $\alpha = 3$ et $\beta = 2$, atque omnes divisores primi numerorum $a^6 - b^6$, qui non simul dividant $a^3 - b^3$, continentur in forma $2\lambda + 1$; qui autem insuper quoque non $a^2 - b^2$ dividant, in hac $6\lambda + 1$; hi ergo erunt divisores formae $a^2 - ab + b^2$, neque tales numeri alios divisores agnoscunt.

278. Ex his in genere colligimus, si definiendi sint divisores numeri $a^{2m} - b^{2m}$, qui non simul sint divisores numeri $a^m - b^m$; hoc est, si desiderentur divisores numeri $a^m + b^m$, eos inter numeros primos hujus formae $2\lambda m + 1$ quaeri oportere. Hinc autem excluditur divisor $a + b$, si m sit numerus impar.

279. Ita pro variis valoribus ipsius m faciamus hanc tabulam:

Numerorum formae	divisores quaeri debent inter numeros primos formae
$a^2 + b^2$	$4\lambda + 1$ qui sunt 5, 13, 17, 29, 37, 41, 53, 61, 73, 89, 97
$a^3 + b^3$	$6\lambda + 1$.........7, 13, 19, 31, 37, 43, 61, 67, 73, 79, 97
$a^4 + b^4$	$8\lambda + 1$.........17, 41, 73, 89, 97, 113, 137, 193
$a^5 + b^5$	$10\lambda + 1$.........11, 31, 41, 61, 71, 101, 131, 151, 181
$a^6 + b^6$	$12\lambda + 1$.........13, 37, 61, 73, 97, 109, 157, 181, 193
$a^7 + b^7$	$14\lambda + 1$.........29, 43, 71, 113, 127, 197, 211, 239
$a^8 + b^8$	$16\lambda + 1$.........17, 97, 113, 193, 241, 257, 337

etc.

hic casus, ubi exponens est potestas binarii, prae reliquis sunt notandi, quia in reliquis generatim divisores assignari possunt. Tales ergo numeri $a^{2^n} + b^{2^n}$ alios divisores primos non habent, nisi qui in forma $2^{n+1}\lambda + 1$ contineantur.

280. At $a^n - b^n$ dividi poterit per numerum primum $mn + 1$, si numeri a et b ita fuerint comparati, ut $ax^m - by^m$ fiat divisibile per $mn + 1$; dum scilicet pro x et y numeri assignari queant, quibus ista conditio adimpleatur, tum certe $a^n - b^n$ per $mn + 1$ erit divisibile.

281. Si enim $ax^m - by^m$ sit divisibile per $mn+1$, tum etiam $a^n x^{mn} - b^n y^{mn}$ erit divisibile. At semper divisibilis est haec forma $x^{mn} - y^{mn}$, ideoque etiam ista $a^n x^{mn} - a^n y^{mn}$, quamobrem etiam differentia $a^n y^{mn} - b^n y^{mn}$, ac proinde $a^n - b^n$ per numerum primum $mn+1$ divisibile erit.

282. Si ergo pro a et b ejusmodi numeri assumantur, ut $a^n - b^n$ non sit divisibilis per numerum quempiam primum $mn+1$, tum nulli numeri pro x et y assignari poterunt, ut $ax^m - by^m$ per eundem numerum primum $mn+1$ divisionem admittat, nisi quidem uterque numerus x et y sit ejusdem multiplum, statuuntur autem x et y primi inter se.

283. Sic cum $2^2 - 1$ tantum per 3 sit divisibile, fueritque $2m+1$ numerus primus, tum nisi sit $m = 1$, nullus numerus in hac forma contentus $2x^m - y^m$ per illum numerum primum $2m+1$ dividi poterit:

ita posito	nullus numerus	divisibilis erit per
$m = 2$	$2x^2 - y^2$	5
$m = 3$	$2x^3 - y^3$	7
$m = 5$	$2x^5 - y^5$	11
$m = 6$	$2x^6 - y^6$	13
	etc.	

Caput X.

De residuis ex divisione quadratorum per numeros primos ortis.

284. Quod residuum relinquitur, si quadratum a^2 per numerum quemvis d dividatur, idem quoque relinquitur, si haec infinita quadrata $(nd \pm a)^2$ per eundem numerum d dividantur.

285. Quare si residua examinare velimus, quae divisione numerorum quadratorum per datum numerum d relinquuntur, sufficiet quadrata considerasse, quorum radices sint ipso hoc divisore d minores, ideoque haec

$$1,\ 4,\ 9,\ 16 \ldots (d-4)^2,\ (d-3)^2,\ (d-2)^2,\ (d-1)^2,$$

quorum numerus est $d-1$.

286. At quadrata extrema 1 et $(d-1)^2$, et quaevis bina, ab extremis aeque remota, paria dant residua; unde si $d-1$ sit numerus par, plura residua diversa resultare nequeunt, quam $\frac{1}{2}(d-1)$, et si $d-1$ est numerus impar, ob unum in medio positum, quam $\frac{1}{2}d$.

287. Sit jam d numerus primus, et quia binarii judicium in promtu est, ponatur $d = 2p+1$, cum nunc omnia residua ex his quadratis resultent $1,\ 4,\ 9, \ldots (p-2)^2,\ (p-1)^2,\ p^2$, eorum numerus major esse nequit quam p, unde manifestum est non omnes numeros ipso $d = 2p+1$ minores, quorum multitudo est $2p$, inter residua occurrere, sed ad minimum eorum semissem excludi.

288. Primum autem dico, omnia residua ex his quadratis $1,\ 4,\ 9 \ldots p^2$ oriunda inter se esse inaequalia; si enim duo quadrata ipso p^2 non majora, puta m^2 et n^2, idem darent residuum, eorum differentia $m^2 - n^2$, ideoque vel $m-n$, vel $m+n$ per divisorem primum $d = 2p+1$ esset divisibilis, quod, cum, ob $m < \frac{1}{2}d$ et $n < \frac{1}{2}d$, sit $m+n$ minus quam d, fieri nequit.

*

289. Cum igitur omnia residua, ex divisione quadratorum $1, 4, 9 \ldots p^2$ per numerum primum $d = 2p + 1$ orta, sint inaequalia, ea ita repraesentemus:

radices	1	2	3	4	5	6	$\ldots\ldots p$
quadrata	1	4	9	16	25	36	$\ldots\ldots p^2$
residua	1	α	β	γ	δ	ε	$\ldots\ldots\pi$

et multitudo horum residuorum erit $= p$.

290. Cum jam multitudo omnium numerorum ipso divisore $2p + 1$ minorum, qui simul ad eum sunt primi, sit $= 2p$, patet horum numerorum semissem ex ordine residuorum excludi, quos ideo *non-residua* appellemus. Erit ergo multitudo non-residuorum pariter $= p$, quae litteris germanicis $\mathfrak{A}$, $\mathfrak{B}$, $\mathfrak{C}$, $\mathfrak{D}$, etc. indicemus.

291. Si ergo pro quovis divisore primo $2p + 1$ haec non-residua invenerimus, affirmare poterimus, nullum dari numerum quadratum xx, ita ut $xx - \mathfrak{A}$ esset per $2p + 1$ divisibile, denotante $\mathfrak{A}$ non-residuum quodcunque. Ac tales formulae $xx - \mathfrak{A}$ per $2p + 1$ individuae tot semper exhiberi possunt, quot p continet unitates.

292. Pro quovis ergo divisore primo $2p+1$ numeri ipso minores distinguuntur in duas classes, quarum altera residua, altera vero non-residua complectitur, et utraque totidem continet numeros, ita ut quasi cuivis residuo suum respondeat non-residuum. Indolem ergo harum duarum classium accuratius scrutari conveniet.

293. Si in ordine residuorum occurrant duo numeri m et n, in eodem quoque occurret eorum productum mn, seu residuum ei aequivalens. Oriatur enim residuum m ex quadrato a^2 et n ex b^2, atque ex producto a^2b^2, quod pariter est quadratum, orietur residuum mn.

294. Si ergo inter residua sit numerus quicunque m, ibidem quoque reperientur omnes ejus potestates m^2, m^3, m^4, etc., vel residua iis aequivalentia. Tum vero si praeterea adsit numerus n, in eodem residuorum ordine quoque aderunt numeri mn, m^2n, mn^2 et in genere $m^\mu n^\nu$.

295. Ordo ergo residuorum $1, \alpha, \beta, \gamma \ldots \pi$, pro quovis divisore primo $2p + 1$, hanc insignem habet proprietatem, ut in eodem quoque producta ex binis pluribusve terminis quibuscunque occurrant, siquidem secundum indolem residuorum ad minimos valores revocentur.

296. Hoc eo magis est notatu dignum, quod ordo residuorum determinato terminorum numero constat, quorum scilicet numerus tantum sit $= p$, exclusis totidem numeris non-residuis. Hoc tamen non obstante, quomodocunque residua per multiplicationem inter se combinentur, tamen perpetuo numeri in eodem ordine jam contenti occurrunt.

297. Sit m numerus quicunque in ordine residuorum occurrens, divisore primo existente $2p + 1$, ac supra vidimus, si termini progressionis geometricae $1, m, m^2, m^3, m^4$, etc. per $2p + 1$ dividantur, inter residua quoque omnia producta ex binis contineri; sicque in residuis harum potestatum nulli occurrent numeri, qui non simul in residuis quadratorum reperiantur.

298. Cum igitur multitudo residuorum, ex potestatibus oriundorum, superare nequeat multitudinem ex quadratis ortorum, quae est $= p$, manifestum est vel potestatem m^p, vel adhuc inferiorem residuum

praebere $=1$. Quod quidem jam ostendimus, nam si m ex quadrato aa oriatur, erit $m=aa-k(2p+1)$; et m^p-1 manifesto per numerum primum $2p+1$ est divisibile.

299. Sed ad residua quadratorum revertentes notemus, si ibi occurrant numeri m et mn, tum etiam necessario ibidem numerum n reperiri debere. Si enim residuum m oriatur ex quadrato aa, et mn ex quadrato bb, ex naa quoque residuum mn nascetur, unde $bb-naa$ per $2p+1$ erit divisibile, existentibus a et b ad $2p+1$ primis.

300. At si $bb-naa$ divisibile est per $2p+1$, etiam $(b+k(2p+1))^2-naa$ erit divisibile. Semper autem k ita assumere licet, ut fiat $b+k(2p+1)=ac$, seu ut $k(2p+1)$ per a divisum relinquat b. Dabitur ergo numerus c, ut sit $aacc-naa$, hoc est $cc-n$ per $2p+1$ divisibile, quare quadratum cc dabit residuum n.

301. Si in ordine residuorum sit numerus α, non-residuorum vero numerus $\mathfrak{A}$, productum $\alpha\mathfrak{A}$ in ordine non-residuorum certe reperietur. Si enim in ordine residuorum esset, ibidem quoque foret $\mathfrak{A}$, contra hypothesin.

302. Si in ordine residuorum occurrat productum mn, ejusque alter factor m in ordine non-residuorum, alter quoque n certo in eodem ordine non-residuorum reperietur; si enim hic n esset in residuis, eodem quoque m pertineret.

303. Si duo non-residua $\mathfrak{A}$ et $\mathfrak{B}$ in se ducantur, productum incidet in ordinem residuorum. Nam cum in ordine residuorum omnia quadrata occurrant, primo evidens est omnia quadrata $\mathfrak{A}^2$, $\mathfrak{B}^2$, $\mathfrak{C}^2$, etc. ibi esse; quod vero etiam producta binorum $\mathfrak{A}\mathfrak{B}$ ibidem reperiantur, ulteriori indiget probatione jam instituenda.

304. Cognitis residuis 1, α, β, γ, etc., quorum numerus est $=p$, divisore primo existente $2p+1$, non-residua quidem eo ipso dantur, cum sint reliqui numeri minores quam $2p+1$, quorum numerus itidem est $=p$. At dato uno non-residuo $\mathfrak{A}$, reliqua omnia ex ipsis residuis ita determinantur, ut sint $\mathfrak{A}$, $\alpha\mathfrak{A}$, $\beta\mathfrak{A}$, $\gamma\mathfrak{A}$, etc., reductione scilicet ad minimos terminos facta. Sunt enim hi numeri inaequales inter se, et eorum multitudo $=p$.

305. Duo igitur quaecunque non-residua $\mathfrak{D}$ et $\mathfrak{E}$ spectari possunt tanquam hujusmodi producta $\delta\mathfrak{A}$ et $\varepsilon\mathfrak{A}$, existentibus δ et ε residuis, $\mathfrak{A}$ vero non-residuo; unde productum duorum quorumvis non-residuorum erit $\mathfrak{D}\mathfrak{E}=\delta\varepsilon\mathfrak{A}\mathfrak{A}$, ubi $\delta\varepsilon$ utpote productum duorum residuorum in ordine residuorum reperitur.

306. Tum vero in ordine residuorum occurrit etiam $\mathfrak{A}\mathfrak{A}$, quia in eo omnia plane quadrata, seu residua aequivalentia reperiuntur. Quare cum tam $\delta\varepsilon$ quam $\mathfrak{A}\mathfrak{A}$ sit residuum, eorum productum quoque $\mathfrak{D}\mathfrak{E}$ residuum sit necesse est, sicque productum duorum quorumvis non-residuorum certe in ordine residuorum continetur.

307. Combinatio ergo duorum numerorum pro indole residuorum et non-residuorum ita se habet:

1. Productum ex duobus residuis est residuum.
2. Productum ex residuo et non-residuo est non-residuum.
3. Productum ex duobus non-residuis est residuum.

308. Non mediocriter haec illustrabuntur, si residua et non-residua ex divisione quadratorum per numeros primos contemplemur:

divisor	3	5	7	11
residua	1	1, 4	1, 4, 2	1, 4, 9, 5, 3
non-residua	2	2, 3	3, 5, 6	2, 6, 7, 8, 10

divisor	13	17
residua	1, 4, 9, 3, 12, 10	1, 4, 9, 16, 8, 2, 15, 13
non-residua	2, 5, 6, 7, 8, 11	3, 5, 6, 7, 10, 11, 12, 14

divisor	19	23
residua	1, 4, 9, 16, 6, 17, 11, 7, 5	1, 4, 9, 16, 2, 13, 3, 18, 11, 8, 6
non-residua	2, 3, 8, 10, 12, 13, 14, 15, 18	5, 7, 10, 12, 14, 15, 17, 19, 20, 21, 22

divisor	29
residua	1, 4, 9, 16, 25, 7, 20, 6, 23, 13, 5, 28, 24, 22
non-residua	2, 3, 8, 10, 11, 12, 14, 15, 17, 18, 19, 21, 26, 27(*).

309. *Complementum* residui vocemus numerum, qui cum residuo faciat divisorem; ita si divisore existente $=d$, sit quodpiam residuum $=r$, ejus complementum erit $d-r$.

310. Si cujuspiam residui complementum occurrat in ordine residuorum, etiam omnium residuorum complementa ibidem occurrent. Nam si in ordine residuorum $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. occurrat $d-\alpha$, divisore existente d; hoc residuum $d-\alpha$ etiam per $-\alpha = -1.\alpha$ repraesentari potest, quare cum tam α quam productum $-1.\alpha$ sit residuum, etiam -1 erit residuum, ideoque etiam $-\beta$, $-\gamma$, $-\delta$, etc. quibus aequivalent complementa reliquorum residuorum.

311. In serie ergo residuorum vel nullius, vel omnium complementa occurrent. Ex superioribus exemplis patet, si divisor sit vel 3, vel 7, vel 11, vel 19, vel 23, nullius residui complementum in residuis reperiri; sed ea esse non-residua. Sin autem divisor sit 5, vel 13, vel 17, vel 29, in ordine residuorum quoque singulorum complementa inveniri.

312. Si divisor sit $2p+1$ primus, atque in residuis quoque singulorum complementa occurrant, quoniam bina ita inter se cohaerent, ut alterum alterius sit complementum, neque idem sui ipsius complementum esse potest, ob $2p+1$ semissem non admittentem, numerus residuorum necessario erit par.

313. Cum igitur numerus residuorum sit $=p$, nisi p sit numerus par, fieri nequit, ut residuorum complementa sint etiam residua. Quare si p sit numerus impar, certum est nullius residui complementum in ordine residuorum contineri, ideoque omnium residuorum complementa ordinem non-residuorum constituent.

314. Sit igitur p numerus impar $=2q-1$, ut divisor primus sit $4q-1$, atque omnium residuorum complementa erunt non-residua. Ita si quodpiam residuum sit α, ejus complementum

(*) *Script. ad marg.* Divisor: 59. Residua: 1, -2, 3, 4, 5, -6, 7, -8, 9, -10, -11, 12, -13, -14, 15, 16, 17, -18, 19, 20, 21, 22, -23, -24, 25, 26, 27, 28, 29. Ergo si $4n-1$ est primus, vel $xx+myy$, vel talis forma $xx-myy$ per eum est divisibilis.

$4q - 1 - a$ erit non-residuum, seu nullum datur quadratum, quod per $4q - 1$ divisum, relinquat $4q - 1 - a$.

315. Cum igitur a quodcunque quadratum denotare possit, puta nn, nullum datur quadratum, quod numero $4q - 1 - nn$ minutum, per $4q - 1$ dividi queat. Hinc $mm - (4q - 1 - nn)$, seu $mm + nn$ nunquam per numerum primum formae $4q - 1$ divisibile existet, nisi forte uterque numerus m et n seorsim per eum sit divisibilis.

316. Demonstratum ergo est summam duorum quadratorum inter se primorum dividi non posse per ullum numerum primum hujus formae $4q - 1$. Quodsi ergo talis binorum quadratorum summa habeat divisores primos, ii certo erunt hujus formae $4q + 1$, remoto scilicet binario, qui etiam quandoque divisor esse potest, ambobus quadratis sumtis imparibus.

317. Quando residuorum complementa inter residua deprehenduntur, complementa non-residuorum etiam erunt non-residua; ac si unius residui complementum fuerit non-residuum, omnium residuorum complementa erunt non-residua, atque complementa omnium non-residuorum vicissim erunt residua.

318. Si divisore existente $2p + 1$, sit p numerus par, his solis casibus evenire potest, ut residuorum complementa quoque sint residua; quod autem semper sint residua, hinc nondum est evictum. Ad hoc autem comparari debent haec residua cum residuis ex serie potestatum ortis, ab eodem divisore $2p + 1$, si series potestatum ita fuerit comparata, ut multitudo residuorum aequalis sit multitudini non-residuorum.

319. Sit $1, a, a^2, a^3$, etc. hujusmodi series potestatum, quae p residua diversa praebeat, divisore existente primo $= 2p + 1$, ita ut omnia residua futura sint $1, a, a^2, a^3, \ldots a^{p-1}$, ipsas scilicet potestates tanquam residuis aequivalentes adhibendo. Non-residua autem sint totidem numero, ita expressa: $A, Aa, Aa^2, Aa^3, \ldots Aa^{p-1}$.

320. Hic jam residua, pariter ac residua quadratorum, ita sunt comparata, ut 1) ab unitate incipiant, 2) producta binorum residuorum quoque sint residua, 3) producta ex residuo et non-residuo inter non-residua occurrant, unde concludere licet producta ex binis non-residuis iterum in ordinem residuorum transire.

321. Si $a^p - 1$ divisibile sit per $2p + 1$, tum a certe est residuum quadratorum. Si enim esset non-residuum, omnia reliqua residua, quae sunt aa, $a\beta$, $a\gamma$, etc. eandem haberent proprietatem, ideoque omnes numeri x ita essent comparati, ut $x^p - 1$ per $2p + 1$ dividi posset, quod est absurdum (*).

322. Cum enim in residuis quadratorum res ita se habeat, ubi numerus non-residuorum aequalis est numero residuorum, si in residuis potestatum secus eveniret, et producta ex binis non-residuis iterum darent non-residuum, multitudo non-residuorum superaret multitudinem residuorum, contra hypothesin.

323. Hoc autem firmius ita ostendi potest: Cum A quodvis non-residuum denotare possit, ac tum aliud quodvis non-residuum ita repraesentari possit, ut sit Aa^n, productum binorum non-

(*) Hic paragraphus in autographo margini adscriptus est.

residuorum erit AAa^n, quod si esset non-residuum, aequivaleret tali formae Aa^m, vel tali $Aa^{m+\nu p}$, ita ut m majus sit quam n, ideoque differentia $Aa^m - AAa^n$ foret per $2p+1$ divisibilis.

324. Cum autem neque A neque a^n per $2p+1$ dividi queat, foret $a^{m-n} - A$ per $2p+1$ divisibile, seu potestas a^{m-n} per $2p+1$ divisa relinqueret residuum A. Cum autem A non sit residuum, sequitur hanc hypothesin esse absurdam, ideoque productum duorum non-residuorum non in forma Aa^m, quae omnia non-residua complectitur, contineri, ideoque necessario inter residua occurrere debere.

325. Quare si a sit ejusmodi numerus, ut a^p sit minima potestas, quae per numerum primum $2p+1$ divisa, unitatem relinquat, ideoque ex divisione terminorum progressionis geometricae $1, a, a^2, a^3, a^4 \ldots a^{p-1}$ tot residua diversa oriantur, quot p continet unitates, totidemque dentur non-residua, certum est omnia producta binorum non-residuorum in ordine residuorum contineri.

326. Cum autem omnes numeri divisore $2p+1$ minores vel in residuis, vel in non-residuis contineantur, singulorum quadrata in ordine residuorum certo occurrent, quod cum etiam eveniat in residuis ex quadratis ortis, sequitur ambos ordines residuorum, tam ex quadratis quam ex superiori progressione geometrica ortos, plane inter se congruere.

327. Quodsi ergo pro divisore primo $2p+1$ sint residua ex quadratis orta $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc., tum vero $\mathfrak{A}$ fuerit quodvis non-residuum, hic numerus $\mathfrak{A}$ etiam inter non-residua reperietur, quae progressioni geometricae $1, a, a^2, a^3, \ldots a^{p-1}$ respondent, si quidem a^p fuerit minima potestas unitatem pro residuo praebens.

328. Jam supra vidimus, si a fuerit residuum ex quadratis ortum, fore $a^p - 1$ certo per $2p+1$ divisibile; nunc autem patet, si a fuerit non-residuum respectu quadratorum, tum a^p non esse minimam potestatem ipsius a, quae per $2p+1$ divisa, unitatem relinquat. Ergo vel unitatem non relinquet, vel dabitur adhuc minor $a^{\frac{p}{\nu}}$, quae unitatem relinquet.

329. Si sit a ejusmodi numerus, ut potestas ejus a^p, per numerum primum $2p+1$ divisa, relinquat unitatem, tum a certe inter residua quadratorum continetur. Hoc evidens est, si a^p sit minima potestas istius indolis. Sin autem non sit minima, id eo magis verum esse videtur. Nam si detur minor, ex residuis illis, numero p, quaedam transeunt in ordinem non-residuorum. Si enim $a^{\frac{1}{2}p}$ sit minima, tum a adeo inter residua biquadratorum, sin $a^{\frac{1}{3}p}$, inter residua potestatum sextarum etc., ergo semper inter residua quadratorum continebitur.

330. Si ergo a fuerit non-residuum ratione quadratorum, tum $a^p - 1$ certe non est divisibile per $2p+1$, unde si a sit complementum cujuspiam residui, puta $a = d - \alpha$, ponendo $d = 2p+1$, tum $(d-\alpha)^p - 1$ non est divisibile per $2p+1$, at $\alpha^p - 1$ certe est divisibile, ob α residuum, unde differentia $(d-\alpha)^p - \alpha^p$ etiam non erit divisibilis.

331. At haec differentia esset divisibilis, si p esset numerus par, quare nisi p sit numerus impar, illa conditio, qua $(d-\alpha)^p - 1$ indivisibile per $2p+1$ assumsimus, hoc est qua $d-\alpha$ est non-residuum, subsistere nequit.

332. At si p sit numerus par, complementum cujuspiam residui α, puta $d-\alpha$, certe est residuum, propterea quod $(d-\alpha)^p - 1$ per $2p+1$ est divisibile; si enim esset non-residuum, haec divisibilitas locum habere non posset.

333. Si ergo sit $p = 2q$, numerusque primus divisor propositus $= 4q + 1$, tum inter residua quadratorum, etiam singulorum complementa deprehendentur, hoc est, si residua fuerint $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc. etiam residua erunt $-1, -\alpha, -\beta, -\gamma$, etc.

334. Pro quovis ergo quadratorum, ex hac progressione $1, 4, 9, 16 \ldots 4qq$ assumto, dabitur aliud, quod ad illud additum producit summam per $4q + 1$ divisibilem, seu cum multitudo horum quadratorum sit $= 2q$, et quodlibet habet quasi suum conjugatum, dabuntur q paria duorum quadratorum diversa, quorum summa sit per $4q + 1$ divisibilis. (*)

335. Et quia singula quadrata non superant $4qq$, binorum summa certe minor est quam $8qq$, unde si talis summa per $4q + 1$ dividatur, quotus certe erit minor quam $2q$. Hic autem quotus nisi sit $= 2$, etiam erit vel numerus primus formae $4n + 1$, vel talium aliquod productum (316).

336. Quoties ergo divisor primus est formae $4q + 1$, toties inter residua quadratorum occurrit $4q$, ideoque etiam q, tanquam complementum unitatis, cui aequivalet -1: parique modo ibidem etiam occurrunt omnia reliqua quadrata negativa $-4, -9, -16$, etc., ita ut residua constituantur complexa, tam quadratorum ipsorum, quam eorundem negative sumtorum, una cum productis ex binis quibusque, quorum tamen omnium numerorum, si per divisorem $4q + 1$ ad minimam formam perducantur, multitudo erit $= 2q$, ita ut totidem excludantur.

337. Contra autem, si divisor primus sit formae $4q - 1$, tum -1 et omnia quadrata negativa inter non residua referuntur (**). Si enim -1 esset residuum, foret $(-1)^{2q-1} - 1$ divisibile per $4q - 1$, quod autem fieri nequit. Praecedente autem casu, si -1 esset non-residuum, divisore existente $4q + 1$, tum $(-1)^{2q} - 1$ non esset divisibile per $4q + 1$, quod perinde est falsum.

338. Sola autem quadrata semper in ordine residuorum reperiuntur, reliqui vero numeri, pro ratione divisoris, mox inter residua, mox inter non-residua cadunt, quemadmodum modo vidimus -1 esse residuum, si divisor sit $4q + 1$; at -1 esse non-residuum, si divisor sit $4q - 1$.

339. Pro ceteris numeris non-quadratis simile discrimen observatur: Scilicet numerus $+2$ inter residua reperitur, quoties divisor primus est vel hujus $8q + 1$, vel hujus formae $8q - 1$, seu $8q + 7$. Reliquis casibus, quibus divisor est vel $8q + 3$, vel $8q + 5$, numerus $+2$ inter non-residua locum occupat. (***)

340. At numerus -2 inter residua occurrit casibus, quibus divisor primus est vel $8q + 1$, vel $8q + 3$; idem vero numerus -2 inter non-residua cadit casibus, quibus divisor primus est vel $8q + 5$, vel $8q + 7$.

341. Numerus porro $+3$ est residuum, si divisor primus sit vel $12q + 1$, vel $12q + 11$; at idem erit non-residuum, si divisor sit vel $12q + 5$, vel $12q + 7$. Verum numerus -3 est residuum, si divisor primus sit vel $12q + 1$, vel $12q + 7$: at -3 erit non-residuum, si divisor sit $12q + 5$, vel $12q + 11$.

Scripturae ad marginem:

(*) Semper duo exhiberi possunt quadrata, quorum summa divisibilis sit per numerum primum $4q + 1$, et quidem alterum quadratum ad lubitum assumi potest.

(**) Non ergo datur summa duorum quadratorum per talem numerum primum $4q - 1$ divisibilis.

(***) Hoc autem non, ut praecedens, demonstratione muniri potest.

342. Numerus $+4$ semper ad residua refertur, et de -4 idem est judicium ac de -1. Numerus autem 5 reperitur inter residua, si divisor sit vel $20q+1$, vel $20q+9$, vel $20q+11$, vel $20q+19$; at -5 inter residua deprehenditur, si divisor sit vel $20q+1$, vel $20q+3$, vel $20q+7$, vel $20q+9$.

343. Colligamus haec, ut uni conspectui exponantur:

Inter residua erit numerus	si divisor primus fuerit
$+1$	$4q+(1,\ 3)$
-1	$4q+1$
$+2$	$8q+(1,\ 7)$ (*)
-2	$8q+(1,\ 3)$
$+3$	$12q+(1,\ 11)$
-3	$12q+(1,\ 7)$
$+5$	$20q+(1,\ 9,\ 11,\ 19)$
-5	$20q+(1,\ 3,\ 7,\ 9)$
$+6$	$24q+(1,\ 5,\ 19,\ 23)$
-6	$24q+(1,\ 5,\ 7,\ 11)$
$+7$	$28q+(1,\ 3,\ 9,\ 19,\ 25,\ 27)$
-7	$28q+(1,\ 9,\ 11,\ 15,\ 23,\ 25)$
$+10$	$40q+(1,\ 3,\ 9,\ 13,\ 27,\ 31,\ 37,\ 39)$
-10	$40q+(1,\ 7,\ 9,\ 11,\ 13,\ 19,\ 23,\ 37)$
$+11$	$44q+(1,\ 9,\ 25,\ 5,\ 7,\ 37,\ 39,\ 19,\ 35,\ 43)$
-11	$44q+(1,\ 9,\ 25,\ 5,\ 37,\ 3,\ 15,\ 23,\ 27,\ 31)$
$+12$	$48q+(1,\ 11,\ 13,\ 23,\ 25,\ 35,\ 37,\ 47)$
-12	$48q+(1,\ 13,\ 25,\ 37,\ 7,\ 19,\ 31,\ 43)$
$+14$	$56q+(1,\ 5,\ 9,\ 13,\ 25,\ 45,\ 11,\ 31,\ 43,\ 47,\ 51,\ 55)$
-14	$56q+(1,\ 5,\ 9,\ 13,\ 25,\ 45,\ 3,\ 15,\ 19,\ 23,\ 27,\ 39)$
$+15$	$60q+(1,\ 7,\ 11,\ 17,\ 43,\ 49,\ 53,\ 59)$
-15	$60q+(1,\ 17,\ 49,\ 53,\ 19,\ 23,\ 31,\ 47)$ (**)
	etc.

344. Haec autem hactenus tantum inductione nituntur, atque ad demonstrationem investigandam juvabit sequentia observasse. Primo, numerus quicunque $\pm n$ inter residua reperietur, si divisor primus fuerit formae $4nq+1$, vel adeo $4nq+ii$, denotante i numerum imparem quemcunque.

Scripturae ad marginem;

(*) $xx-2yy$ alios divisores primos non admittit, nisi formae $8q+(1,7)$.

(**) 1) Si $xx=mn+r$, tum quadratum xx tam per m quam n divisum, idem relinquet residuum r. Ergo si residuum r convenit divisori m, conveniet etiam divisori n.

2) Si

divisor	inter non-resid.	residuum
$4n-1$	-1	
$8n-1$	-2	$+2$
$8n-3$	± 2	
$12n-1$	-3	$+3$
$12n-7$	± 3	
$8n\pm 3$	$+2$	

Hoc demonstrari potest; at si divisor $8n+1$, inter residua est $+2$, quod autem hinc non demonstratur.

Deinde etiam numerus positivus $+n$ erit residuum, si divisor primus fuerit formae $4nq-1$, vel generalius $4nq-ii$; pro his autem divisoribus numerus negativus $-n$ inter non-residua reperietur.

345. Si numerus positivus n sit residuum pro divisore d, erit etiam residuum pro divisore primo quocunque formae $4nq \pm d$, vel adeo $4nq \pm dii$; at si numerus negativus $-n$ sit residuum pro divisore d, erit is quidem residuum pro divisore $4nq+d$, at non-residuum pro divisore $4nq-d$.

346. Si numerus positivus n fuerit residuum pro divisore d, deinde etiam pro divisore e, erit etiam residuum pro divisore primo quocunque formae $4nq \pm de$. At si numerus negativus $-n$ fuerit residuum pro divisoribus d et e, erit quoque residuum pro divisore quocunque primo formae $4nq+de$; pro divisoribus autem $4nq-de$ inter non-residua referetur.

347. Si numerus positivus n fuerit non-residuum pro divisoribus d et e, certe erit residuum pro divisoribus primis omnibus formae $4nq \pm de$; at si numerus negativus $-n$ sit non-residuum pro divisoribus d et e, is erit residuum pro omnibus divisoribus primis formae $4nq+de$; pro divisoribus autem formae $4nq-de$ erit non-residuum.

348. Quicunque numerus $\pm n$ proponatur, erit is semper residuum, si divisor primus fuerit in aliqua talium formarum $4nq+A$, $4nq+B$, $4nq+C$, etc. contentus, quarum numerus aequatur semissi multitudinis numerorum ad $4n$ primorum eoque minorum. Sin autem divisor in reliquis formis contineatur, erit is non-residuum.

349. Hic autem excipi debent casus, quibus numerus n est quadratus, quippe qui semper inter residua occurrit, quicunque divisores accipiantur. Ac si n sit quadratum negativum, eadem ratio valet ac pro -1.

350. Primum igitur demonstrari debet, si divisor primus sit $4nq+ii$, existente i numero impari, inter residua quadratorum semper occurrere tam numeros n et q, quam eorum negativa $-n$ et $-q$. Sit $i=2m+1$, et quia divisor $4nq+4mm+4m+1$ est formae $4p+1$, inter residua continetur quadratum negativum $-4mm-4m-1$, ideoque numerus $4nq$, et ob 4 residuum, etiam numerus nq, itemque $-nq$, quare vel ambo numeri n et q simul inter residua, vel ambo simul inter non-residua occurrere deberent, unde dum alteruter fuerit inter residua, et alter ibidem reperiatur necesse est.

351. Si n non esset residuum, nullum daretur quadratum xx, ut $xx-n$ divisibile esset per $4nq+4mm+4m+1$. Si ergo demonstrari posset dari hujusmodi quadratum, evicta esset veritas propositionis. Vel si n esset non-residuum, haec expressio $n^{2nq+2mm+2m}-1$ non esset divisibilis per numerum primum, quare si contrarium demonstrari posset, haberemus quod intendimus. (*)

352. Deinde si divisor primus sit $4nq-4mm-4m-1$, inter residua quadratorum occurrere numerum n, inter non-residua vero numerum $-n$, demonstrari oportet. Pari autem jure inter

(*) *Script. ad marg.* Si n esset non-residuum, foret quoque non-residuum nzz, ideoque etiam

$$\pm nzz \mp y(4nq+4mm+4m+1),$$

quae expressio, si uno saltem casu esset quadratum, propositum constaret. Quod ob signa ambigua semper uno saltem casu evenire debere videtur; idque eo magis, cum etiam n et q sint permutabiles, quin etiam verum est, etsi divisor non sit primus. Dubium, si $n=3$, $q=5$, $2m+1=5$, $\pm 3zz \pm 85y$, vel $\pm 5zz \pm 85y$ quadratum effici nequit. Ergo demonstratio ita est adornanda, ut divisor statuatur primus.

*

residua erit numerus q, et inter non-residua $-q$. Cum autem inter residua certo sit $(2m+1)^2$, ibidem erit $4nq$, ideoque etiam nq.

353. Concessis ergo his propositionibus, etsi demonstratio nondum patet, posito i numero impari et $4nq \pm ii$ primo, pro divisore primo $4nq+ii$, cum residua sint n et $-n$, item naa et $-naa$, semper ejusmodi quadratum xx dabitur, ut sit $xx-naa$ divisibile per $4nq+ii$, deinde etiam ejusmodi quadratum yy, ut sit $yy+naa$ divisibile per $4nq+ii$

354. At divisore primo existente $4nq-ii$, ob residuum naa, semper datur quadratum xx, ut sit $xx-naa$ divisibile per $4nq-ii$; nullum autem existit quadratum yy, ut $yy+naa$ fiat per $4nq-ii$ divisibile, quia hoc casu $-naa$ est non-residuum.

355. Cum $4nq+ii$ sit numerus formae $4p+1$, semper dabitur summa duorum quadratorum $ff+gg$ per eum divisibilis, quorum alterum ff pro lubitu assumi potest. Quare si $xx-naa$ divisibile sit per $4nq+ii$, inveniri potest quadratum yy, ut fiat $xx+yy$ per $4nq+ii$ divisibile, ac tum erit etiam $yy+naa$ per eundem divisibile.

356. Cum $4nq-ii$ sit formae $4p-1$, nulla datur summa quadratorum per $4nq-ii$ divisibilis; quare si $xx-naa$ fuerit per $4nq-ii$ divisibile, fieri nequit ut $yy+naa$ per eundem divisibile existat; foret enim quoque summa $xx+yy$ divisibilis, quod est absurdum.

357. Sumto divisore primo $d=4nq+ii$, quia datur forma $xx+naa$ per eum divisibilis, dabitur etiam forma $yy+qaa$ per eum divisibilis, unde etiam $qxx-nyy$. Dabitur vero etiam forma $yy-qaa$ divisibilis, ac propterea quoque talis forma $qxx+nyy$.

358. Si divisor primus sit $d=4nq-ii$, quia dantur tales formulae $xx-naa$, item $yy-qaa$, per eum divisibiles, etiam haec forma $qxx-nyy$ per d erit divisibilis. Cum autem talis forma $yy+qaa$ non per d sit divisibilis, nulla quoque hujusmodi forma $qxx+nyy$ per d erit divisibilis.

359. Verum etiamsi haec propositiones demonstrari possent, reliquae, quas supra observavimus, nondum essent evictae. Ex 345 si detur quadratum, per d divisum reliquens residuum positivum n, dabitur quoque reliquens naa; tum autem existente $4nq \pm d$ numero primo, dabitur quoque quadratum xx, quod per $4nq \pm d$ divisum relinquat idem residuum, seu $xx-naa$ divisibile erit per $4nq+d$.

360. Scilicet si fuerit $bb-naa$ per d divisibile, semper talis numerus $xx-naa$ dabitur divisibilis per numerum primum $4nq \pm d$. Quin etiam denotante i numerum imparem, ejusmodi forma $xx-naa$ exhiberi potest, quae sit divisibilis per numerum primum $4nq \pm dii$.

361. Si detur quadratum bb, quod per d divisum relinquat residuum negativum $-n$, vel $-naa$, dabitur etiam quadratum xx, quod per numerum primum $4nq+dii$ divisum relinquet $-n$, vel $-naa$. Scilicet si d sit divisor formae $bb+ncc$, dabitur x, ut sit $xx+naa$ divisibile per numerum primum $4nq+dii$.

362. Verum si d divisor formae hujusmodi $bb+ncc$, nulla dabitur hujusmodi forma $xx+naa$, quae sit divisibilis per talem numerum primum $4nq-dii$. Veluti si sit $n=3$, sumatur $d=7$, quia $2^2+3.1=7$, atque certum est hujus formae $xx+3aa$ numeros nullos admittere divisores talis formae $12q-7ii$, cujusmodi sunt: 5, 17, 29, 41, 53, 65, 77, 89, 101, 9, 21, 33, 45.

363. Ex § 346 sequitur, si d et e fuerint divisores cujuspiam numeri hujus formae $aa - nbb$, tum semper dari quadratum xx, ut $xx - nee$ sit divisibile per numerum primum $4nq \pm deii$, quod quidem ex praecedente deduci posset, demonstrando si $aa - nbb$ habeat divisorem d, aliaque similis forma $ff - ngg$ divisorem e, dari etiam $hh - nkk$ divisibilem per productum de. Hoc patebit, si residua quadratorum, per numeros compositos divisorum, perpendemus.

364. Denique notatu dignum est, quod numerus n, ac propterea etiam naa inter residua quadratorum occurrere nequeat, nisi divisor primus sit hujus formae $4nq + \alpha$, ubi α non omnes numeros ad $4n$ primos eoque minores significat, sed eorum tantum semissem, altera semisse penitus exclusa. Sicque omnes divisores primi formae $xx - naa$ talem habent formam $4nq + \alpha$, denotante α aliquot numeros, totidemque exclusis.

365. Similis est ratio numerorum formae $xx + naa$, cujus divisores primi adstringuntur ita ad formam $4nq + \alpha$, ut totidem numeri excludantur ab α, quot admittuntur. Utroque autem casu omnia quadrata imparia ii pro α valent, et si α valeat, etiam αii valebit.

366. Ut demonstrationes has desideratas tentemus, consideremus divisorem primum $4p + 1$, et cum duorum quadratorum summa $aa + bb$ exhiberi queat per eum divisibilis, ita ut alterum pro lubitu assumi possit, auferatur $(4p + 1)bb$, eritque $aa - 4pbb$ per $4p + 1$ divisibile, seu dabitur quadratum aa, quod per $4p + 1$ divisum relinquit $4pbb$, dabitur ergo quoque relinquens p, seu dabitur forma $aa - pbb$ per $4p + 1$ divisibilis.

367. Cum etiam detur forma $aa - bb$ per $4p + 1$ divisibilis, addendo $(4p + 1)bb$, dabitur etiam talis forma $aa + pbb$ per $4p + 1$ divisibilis, quae quidem jam inde patent, quod si quadrata per numerum primum $4p + 1$ dividantur, in residuis tam $+p$ quam $-p$ reperiantur.

368. Sit autem divisor primus $4ffp + ii$, denotante i numerum imparem, et quia tam forma $aa + bb$ quam $aa - bb$ per eum divisibilis exhiberi potest, hincque $iiaa + iibb$ et $iiaa - iibb$; inde auferendo, hinc vero addendo $(4ffp + ii)bb$, habebuntur formulae $iiaa - 4ffpbb$ et $iiaa + 4ffpbb$ per $4ffp + ii$ divisibiles, seu inter residua quadratorum erunt $\pm 4ffpbb$, ideoque etiam $\pm p$. Dabuntur ergo numeri tam hujus $xx + pyy$, quam hujus $xx - pyy$ formae per $4ffp + ii$ divisibiles. (*)

369. Si ergo concessis superioribus observationibus, divisor primus in quapiam harum formularum contineatur: $4rq + 1$, $4rq + \alpha$, $4rq + \beta$, $4rq + \gamma$, $4rq + \delta$, etc., ubi numeri $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. sunt primi ad $4r$ eoque minores, quorum tamen tantum semissis hic occurrit, tum inter residua quadratorum certe occurrit numerus r; similique modo pro residuo $-r$ tales formulae divisorum habentur, quae cum illis conveniunt, si divisor sit formae $4p + 1$, ab iis autem discrepant, si divisoris forma fuerit $4p - 1$.

(*) *Script. ad marg.* Prius manifestum; nam $\frac{xx + pyy}{4ffp + ii} =$ int. si $x = i$, $y = 2f$;

ut $xx - 2yy$ divis. sit per 41, $x = 7, 10, 13, 14, 17$

$y = 2, 3, 8, 4, 1$

ut $xx - 2yy$ divis. sit per 17,

$x = \underbrace{12, 5}_{2} \quad \underbrace{11, 6}_{1} \quad \underbrace{10, 7}_{4} \quad \underbrace{16, 1}_{3} \quad \underbrace{17, 4}_{5.}$

$y =$

370. Observari etiam meretur, ex formis $4rq + 4m + 1$ semissem excludi tam pro residuo $+r$, quam $-r$, quorum divisores pro hac forma sunt communes. At ex forma $4rq + 4m - 1$ semissis valet pro residuo $+r$, alter pro residuo $-r$, et qui divisores pro altero residuo valent, pro altero excluduntur.

Caput XI.

De residuis, ex divisione cuborum per numeros primos natis.

371. Divisore primo existente $d = 2p + 1$, quod residuum relinquit cubus a^3, idem relinquent etiam hi cubi $(a + d)^3$, $(a + 2d)^3$, etc. et generaliter $(a + nd)^3$, ex quo sufficiet eos tantum cubos considerasse, quorum radices sunt ipso d minores, qui sunt:

$$1,\ 8,\ 27,\ 64, \ldots (d-4)^3,\ \ (d-3)^3,\ \ (d-2)^3,\ \ (d-1)^3.$$

372. Sit r residuum, quod horum cuborum quicunque, a^3, relinquit, et manifestum est cubum $(d-a)^3$ relicturum residuum $-r$, seu $d-r$. Quare si inter residua cuborum occurrat numerus quicunque r, ibidem quoque occurret ejus negativum $-r$, seu $d-r$, quod illius complementum vocatur.

373. Sint 1, α, β, γ, δ, etc. residua ex divisione cuborum per numerum primum $d = 2p + 1$ orta, quorum si omnia a se invicem fuerint diversa, numerus erit $= d - 1$; ideoque omnes numeri ipso d minores ibi occurrent. Sin autem qui numeri bis vel pluries occurrant, inde quidem numeri excludentur inter non-residua referendi. (*)

374. Investigaturi, an fieri possit, ut idem numerus r inter residua bis occurrat? ponamus ex cubis a^3 et b^3, quorum radices a et b sint ipso divisore d minores et inaequales, idem residuum r resultare, atque eorum differentia $b^3 - a^3 = (b-a)(aa + ab + bb)$ per d erit divisibilis. Cum autem, ob d primum, ad eum factor $b - a$ sit primus, necesse est alterum factorem $aa + ab + bb$ esse divisibilem per d.

375. At si cubus b^3 idem praebeat residuum ac cubus a^3, cuivis alii cubo c^3 respondebit cubus e^3, idem quoque atque ille residuum relinquens. Si enim cubi a^3 et b^3 idem residuum praebeant, etiam hi a^3x^3 et b^3x^3 ad minimos valores reducendo, seu $(ax - md)^3$ et $(bx - nd)^3$ idem producent residuum. Quia vero a et d sunt numeri inter se primi, semper x et m ita accipere licet, ut $ax - md$ dato numero c aequetur, hincque erit $e = bx - nd$, diversus ab c et ipso d minor; si enim esset $e = c$, foret $ax - md = bx - nd$, hincque $(a-b)x$ divisibile per d, at nec $a - b$ nec x est divisibile.

376. Statim ergo atque unum residuum bis occurrit, omnia bis occurrent; ideoque multitudo diversorum residuorum ad semissem deprimitur. Hoc autem evenire nequit, nisi divisor d sit divisor talis formae $aa + ab + bb$, existentibus a et b ipso d minoribus. Sin autem non fuerit divisor talis formae, omnia residua erunt diversa eorumque multitudo $= d - 1 = 2p$.

377. Praebeant cubi a^3 et b^3 idem residuum r, ita ut $a^2 + ab + b^2$ sit divisibile per d, eritque etiam $3a^3 + 3a^2b + 3ab^2$ per d divisibile, auferatur $a^3 - b^3$, ut habeatur

(*) In his residuis occurrunt omnes cubi ipso d^3 minores, ad minimos valores reducti, tum etiam producta ex binis, ternis, etc.

$$2a^3 + 3a^2b + 3ab^2 + b^3 = a^3 + (a+b)^3$$

per d divisibile. Quia ergo a^3 relinquit r, relinquet cubus $(a+b)^3$ residuum $-r$, hincque cubus hic $(d-a-b)^3$, vel $(2d-a-b)^3$ dabit residuum $+r$.

387. Statim ergo ac duo habentur cubi a^3 et b^3, idem residuum r relinquentes, dabitur quoque tertius $(d-a-b)^3$, vel $(2d-a-b)^3$ idem residuum relinquens, cujus radix minor quam d ab utraque praecedentium a et b erit diversa. Neque enim esse potest $d-a-b=a$, neque $2d-a-b=a$; foret enim $b=d-2a$, vel $b=2d-2a$, ideoque b^3 relinqueret residuum $-8a^3$, vel $-8r$. Quia vero per hypothesin relinquit r, haecque duo residua r et $-8r$ aequivalentia esse nequeunt, ob differentiam $=9r$ non divisibilem per d, praeter casum $d=3$, qui per se est perspicuus, sequitur duo residua aequalia semper tertium assumere.

379. Si ergo duo cubi a^3 et b^3 idem praebeant residuum r, dabitur eo ipso tertius c^3 idem residuum exhibens, cujus radix ita est comparata, ut summa omnium $a+b+c$ sit vel $=d$, vel $=2d$, ob $c=d-a-b$, vel $c=2d-a-b$, quia singulae sunt minores quam d. Sicque ex duobus semper facile reperitur tertius.

380. Hinc autem colligere licet, infra cubum d^3 plures tribus cubis a^3, b^3, c^3 nunquam dari, qui idem residuum relinquant; si enim daretur quartus ab iis diversus e^3, etiam hi:

$$(\lambda d-a-e)^3, \quad (\lambda d-b-e)^3, \quad (\lambda d-c-e)^3,$$

idem praeberent residuum, forentque a praecedentibus diversi. Nam si esset $\lambda d-a-e=b$, foret $a+b+e$ divisibile per d, ideoque $e=c$, contra hypothesin; non solum ergo quatuor, sed adeo septem haberemus cubos idem residuum dantes.

381. Hinc autem, binis combinandis, denuo plures elici possent cubi ipso d^3 minores, idem residuum relinquentes, ita ut tandem omnes cubi essent prodituri. Cum autem concesso uno residuo r, aliud detur diversum $-r$, manifestum est non plures tribus dari cubos ipso d^3 minores, qui idem residuum exhibeant.

382. In serie ergo residuorum 1, α, β, γ, etc., quorum multitudo est $=d-1=2p$, vel omnia sunt inaequalia, vel terna inter se aequalia; quod posterius fieri nequit, nisi $2p$ sit numerus per 3 divisibilis. Quare si p non divisibile sit per 3, certum est omnia residua inter se fore inaequalia, ideoque omnes numeros ipso d minores in residuis occurrere.

383. Cum omnes numeri primi, exceptis 2 et 3, in alterutra harum formularum $6q+1$ et $6q-1$ contineantur, si divisor primus sit $6q-1$, in residuis omnes numeri ipso minores occurrunt, neque ulla dantur non-residua. Sin autem divisor sit $6q+1$, fieri potest, ut multitudo residuorum diversorum sit tantum $2q$, sicque $4q$ dentur non-residua.

384. Vidimus autem praeterea hunc ultimum casum locum habere, si divisor sit talis formae $aa+ab+bb$, unde patet, ut supra jam animadvertimus, talem formam alios divisores primos non admittere, nisi formae $6q+1$. At quadruplum illius $4aa+4ab+4bb=(2a+b)^2+3b^2$ redit ad hanc formam $aa+3bb$, cujus divisores primi illa insigni proprietate gaudent.

385. Quaerendi ergo ii sunt divisores quadratorum, qui pro residuo relinquunt -3, vel $-3bb$, qui supra observati sunt (341) in his duabus formulis $12q+1$ et $12q+7$, ad hanc unam $6q+1$

redeuntibus, contineri, unde vicissim concludere licet omnes numeros primos hujus formae $6q+1$ illa proprietate praeditos esse; verum plena hujus rei demonstratio adhuc desideratur.

386. Hoc autem concesso, consequimur hanc propositionem: Quoties divisor primus fuerit formae $6q+1$, toties residua cuborum ab 1 ad $216q^3$ non omnia inter se sunt inaequalia, sed ob terna aequalia, multitudo residuorum inaequalium tantum est $2q$, eruntque reliqui numeri divisore minores, quorum multitudo est $4q$, non-residua. Quoties vero divisor primus non est formae $6q+1$, toties omnia residua inter se sunt inaequalia, neque ulla dantur non-residua.

387. Tantum ergo divisores primos formae $6q+1$ perpendi opus est, pro quibus multitudo non-residuorum duplo major est quam multitudo residuorum. Casus autem simpliciores evolvamus:

pro divisore:	7	13	19
residua:	1, 6	1, 8, 5, 12	1, 8, 7, 11, 12, 18
non-residua:	2, 3	2, 4, 3, 6	2, 3, 4, 5, 6, 9
	5, 4	11, 9, 10, 7	17, 16, 15, 14, 13, 10

pro divisore:	31									
residua:	1,	8,	27,	2,	16,	15,	29,	4,	23,	30
non-residua:	3,	5,	6,	7,	9,	10,	11,	12,	13,	14
	28,	26,	25,	24,	22,	21,	20,	19,	18,	17

pro divisore:	37											
residua:	1,	8,	27,	14,	31,	10,	6,	23,	29,	11,	26,	36
non-residua:	2,	3,	4,	5,	7,	9,	12,	13,	15,	16,	17,	18
	35,	34,	33,	32,	30,	28,	25,	24,	22,	21,	20,	19

pro divisore:	43													
residua:	1,	8,	27,	21,	39,	11,	4,	32,	22,	16,	35,	2,	41,	42
non-residua	3,	5,	6,	7,	9,	10,	12,	13,	14,	15,	17,	18,	19,	20
	40,	38,	37,	36,	34,	33,	31,	30,	29,	28,	26,	25,	24,	23.

388. Pro quovis ergo divisore primo formae $6q+1$ in residuis occurrunt omnes cubi eo minores, deinde eorum complementa $6q$, $6q-7$, $6q-26$, $6q-63$, etc. Porro etiam producta ex binis. Tum vero etiam, si ibi sit quodpiam productum mn cum altero factore m, ibidem quoque alter factor n reperietur.

389. Si enim a^3 relinquat mn, et b^3 relinquat m, posito divisore $6q+1=d$, fieri potest $a=fb-gd$, ideoque f^3b^3 relinquet mn, at nb^3 etiam relinquit mn, sicque $f^3b^3-nb^3$, ac propterea quoque f^3-n divisibile erit per d, seu f^3 relinquet n.

390. Si divisore primo existente $d=6q+1$, inter residua cuborum occurrat numerus α, tum $\alpha^{2q}-1$ erit per d divisibile. Unde residua, quae ex divisione progressionis geometricae $1, \alpha, \alpha^2, \alpha^3, \alpha^4 \ldots . \alpha^{2q}$ per eundem divisorem oriuntur, convenient cum residuis cuborum.

391. Vicissim autem ostendi debet si $a^{2q}-1$ divisibile sit per divisorem primum $6q+1$, numerum a certo inter residua cuborum occurrere, quod quidem si $2q$ non sit divisibile per 3, facile

patet. Si enim sit $2q = 3k \pm 1$, cum $a^{2q} = a^{3k \pm 1}$ inter residua cuborum occurrat, utpote unitati aequivalens, ibidem vero sit a^{3k}, ibidem reperiatur a necesse est.

392. Superest ergo, ut ostendatur, si sit $2q = 3k$ et $a^{3k} - 1$ dividi queat per $6q + 1 = 9k + 1$, tum a fore inter residua cuborum (*); a^{3k} ibi quidem certe reperitur utpote cubus, sed inde demonstratio peti debet, quod residuum a^{3k} unitati aequivaleat.

393. Verum cum residua potestatum 1, a, a^2, a^3, etc. diversa, sint numero $2q$, pariter atque in residuis cuborum, et ambo ordines incipiant ab unitate et communes habeant terminos a^3, a^6, a^9, etc., tum vero reliquae proprietates ipsis sint communes, ordo potestatum nullos terminos ab altero diversos continere potest.

394. Si autem ad non-residua cuborum, per numerum primum $6q + 1$ divisorum, attendamus, id quidem certum est, si mn sit residuum, at m non-residuum, fore quoque n non-residuum. Non vero vicissim omnia producta ex binis non-residuis praebent residuum: at omnia producta ex residuo quocunque in non-residuum sunt non-residua.

395. Primo enim quadrata singulorum non-residuorum quoque inter non-residua continentur; scilicet si A sit non-residuum, quoque A^2 erit non-residuum, hoc vero non-residuum A^2 per non-residuum A multiplicatum certo dat residuum, quia est cubus.

396. Si enim A^2 esset residuum, foret $A^{4q} - 1$ divisibile per $6q + 1$; at cum $A^{6q} - 1$ certe sit divisibile, foret etiam $A^{6q} - A^{4q}$, hoc est $A^{2q} - 1$ divisibile, ideoque A esset residuum cuborum, contra hypothesin. Quare si AA sit residuum, etiam A erit residuum, et contra si A sit non-residuum, erit quoque AA non-residuum.

397. Si ergo divisore primo existente $= 6q + 1$, residua cuborum sint 1, α, β, γ, δ, etc. atque unicum habeatur non-residuum A, primo omnes hi numeri A, $A\alpha$, $A\beta$, $A\gamma$, etc. deinde etiam isti A^2, $A^2\alpha$, $A^2\beta$, $A^2\gamma$, etc. erunt non-residua, qui numeri cum omnes a se invicem sint diversi, manifestum est, quod jam demonstravimus, multitudinem non-residuorum duplo esse majorem quam residuorum

398. Hinc etiam patet, si divisor primus sit $6q + 1$, tantum $2q$ residua diversa locum habere posse; si enim omnes numeri inter residua occurrent, in genere $a^{2q} - 1$ esset per $6q + 1$ divisibile, quicquid esset $a < 6q + 1$, quod cum sit absurdum, ideoque unum saltem datur non-residuum, eo ipso $4q$ non-residua sequuntur.

399. Cum igitur ex unico non-residuo A obtineantur duo ordines non-residuorum, prior A, $A\alpha$, $A\beta$, $A\gamma$, etc. et posterior A^2, $A^2\alpha$, $A^2\beta$, $A^2\gamma$, etc. uterque tot continens terminos, quot ordo residuorum, producta ex binis ordinis alterutrius in altero ordine reperiuntur, et producta ex binis utriusque ordinis fiunt residua.

400. Si adhuc dubitemus, an hoc modo omnia non-residua ex uno obtineantur? sit B non-residuum in neutro ordine contentum, et non-residua erunt tam B, $B\alpha$, $B\beta$, $B\gamma$, etc. quam

(*) *Script. ad marg.* Si enim a esset non-residuum, reliqua non-residua omnia, quae sunt a, $a\alpha$, $a\beta$, $a\gamma$, $a\delta$, et a^2, $a^2\alpha$, $a^2\beta$, $a^2\gamma$, etc. eadem proprietate gauderent, ut eorum potestates exponentis $2q$, unitate minutae, essent divisibiles per $6q + 1$; ergo omnes numeri hanc haberent proprietatem, quod esset absurdum.

B^2, $B^2\alpha$, $B^2\beta$, $B^2\gamma$, etc. utrobique totidem numero, quot dantur residua, et omnes hi numeri a praecedentibus erunt diversi. Praeterea vero vel AB, vel AB^2 non erit residuum; altero certe existente residuo, altero non-residuo.(*)

401. Si AB non est residuum, binos ordines non-residuorum ita repraesentare poterimus:

Ordo prior: A, $A\alpha$, $A\beta$, $A\gamma$, etc. B, $B\alpha$, $B\beta$, $B\gamma$, etc.

Ordo posterior: A^2, $A^2\alpha$, $A^2\beta$, $A^2\gamma$, etc. B^2, $B^2\alpha$, $B^2\beta$, $B^2\gamma$, etc.

et quivis numerus ordinis prioris A, per quemlibet posterioris multiplicatus, praebet residuum, et quidem per quemlibet diversum; unde plura residua prodirent, quam revera sunt, quod esset absurdum.

402. Cum ergo ex divisore primo $6q+1$ tantum $2q$ residua existant, dato quovis cubo a^3, dabitur alius b^3, minor quam $(6q+1)^3$, quorum differentia per $6q+1$ erit divisibilis, ideoque $aa+ab+bb$ per eum quoque erit divisibilis. Omnis ergo numerus primus $6q+1$ est divisor talis numeri $aa+3bb$, vel talis $aa+3$, vel $3aa+1$.

403. Speciminis loco sit divisor 373, et tam residua cuborum, quam non-residua utriusque ordinis ita se habebunt:

Residua $\pm$	Non-residua Ordinis I. $\pm$	Non-residua Ordinis II. $\pm$
1, 7, 8, 12, 13, 17	2, 3, 5, 14, 16, 21	4, 6, 9, 10, 11, 15
18, 19, 20, 22, 23	24, 26, 34, 35, 36	25, 28, 29, 32, 37
27, 30, 31, 33, 41	38, 39, 40, 44, 46	42, 43, 48, 52, 63
45, 49, 50, 55, 56	47, 51, 53, 54, 57	68, 70, 71, 72, 73
58, 64, 67, 74, 75	59, 60, 61, 62, 65	76, 77, 78, 79, 80
84, 86, 87, 91, 96	66, 69, 81, 82, 83	88, 92, 94, 102, 103
97, 104, 109, 111, 113	85, 89, 90, 93, 95	105, 106, 108, 114, 117
119, 125, 126, 129, 133	98, 99, 100, 101, 107	118, 120, 122, 124, 127
136, 137, 139, 140, 142	110, 112, 115, 116, 121	130, 131, 132, 138, 141
144, 145, 146, 152, 154	123, 128, 134, 135, 147	143, 149, 153, 159, 162
156, 157, 158, 160, 161	148, 150, 151, 155, 165	164, 166, 170, 171, 173
163, 167, 169, 176, 184	168, 172, 174, 179, 181	175, 177, 178, 180, 183
185.	182.	186.
numero $2.62 = 124$.	numero $= 124$.	numero $= 124$.

404. Cum igitur divisore primo existente $6q+1$, multitudo non-residuorum duplo major sit quam multitudo residuorum, etiam pauciores erunt divisores, pro quibus datus numerus inter residua contineatur. Ita datus numerus a erit residuum, si divisor fuerit factor talis formae $x^3 \pm ay^3$, vel etiam talis $x^3 \pm aay^3$; si enim sit $x^3 \pm ay^3 = dn$, cubus x^3 per d divisus residuum dat ay^3, sicque etiam a erit in residuis.

(*) *Script. ad marg.* Demonstrari debet, ambo simul non esse posse non-residua. Si AB est non-residuum, vel in ordine A, vel B, vel A^2, vel B^2 continetur. At singula sunt absurda, ergo esset AB residuum.

405. Quaeri ergo debent numerorum $x^3 \pm ay^3$ divisores primi, et pro nostro quidem instituto ii tantum, qui simul sunt formae $6q+1$. Hoc modo posito $a=2$, binarius inter residua reperietur, quoties divisor formae $6q+1$ fuerit numerus hujus seriei:

31, 43, 109, 127, 157, 223, 229, 277, 283, 307, 397, 433, 439, 457, 499, 601, 643, 691, 727, 733, 739, 811, 919, 997, 1021, 1051, 1069, 1093, etc.

406. Si ergo sit $6n+1$ talis numerus, tam 2 quam 2^2 erit residuum; tum $2^{2n}-1$ per eum erit divisibilis, ideoque vel 2^n-1, vel 2^n+1. At si $6n+1$ fuerit vel formae $8m+1$, vel $8m+7$, hoc est vel $n=4m$, vel $n=4m+1$, tum etiam $2^{3n}-1$ per $6n+1$ est divisibile; unde patet his casibus, quibus n vel $4m$, vel $4m+1$, fore 2^n-1 per $6n+1$ divisibile; casibus autem, quibus n est vel $4m+2$, vel $4m+3$, non 2^n-1, sed 2^n+1 per $6n+1$ divisibile erit.

407. Ita superiores numeros huc transferendo

per	divisibile est	per	divisibile est
31	$2^{10}-1$ et 2^5-1	499	$2^{166}-1$ et $3^{83}+1$
43	$2^{14}-1$ « 2^7+1	601	$2^{200}-1$ « $2^{100}-1$
109	$2^{36}-1$ « $2^{18}+1$	643	$2^{214}-1$ « $2^{107}+1$
127	$2^{42}-1$ « $2^{21}-1$	691	$2^{230}-1$ « $2^{115}+1$
157	$2^{52}-1$ « $2^{26}+1$	727	$2^{242}-1$ « $2^{121}-1$
223	$2^{74}-1$ « $2^{37}-1$	733	$2^{244}-1$ « $2^{122}-1$
229	$2^{76}-1$ « $2^{38}+1$	739	$2^{246}-1$ « $2^{123}+1$
277	$2^{92}-1$ « $2^{46}+1$	811	$2^{270}-1$ « $2^{135}+1$
283	$2^{94}-1$ « $2^{47}+1$	919	$2^{306}-1$ « $2^{153}-1$
307	$2^{102}-1$ « $2^{51}+1$	997	$2^{332}-1$ « $2^{166}+1$
397	$2^{132}-1$ « $2^{66}+1$	1021	$2^{340}-1$ « $2^{170}+1$
433	$2^{144}-1$ « $2^{72}-1$	1051	$2^{350}-1$ « $2^{175}+1$
439	$2^{146}-1$ « $2^{73}-1$	1069	$2^{356}-1$ « $2^{178}+1$
457	$2^{152}-1$ « $2^{76}-1$	1093	$2^{364}-1$ « $2^{182}+1$

408. Si hos divisores, quibus binarius pro residuo convenit, attentius perpendamus, observabimus eos omnes resultare ex hac forma $27pp+qq$, quoties ea fuerit numerus primus; verum hanc observationem demonstratione confirmare nondum licet.

409. Si eos divisores primos formae $6q+1$ quaeramus, quibus inter residua 3 conveniat, eos reperiemus:

61, 67, 73, 103, 193, 307, 367, 439, 577, 1021, etc.

qui, si conjecturae locum relinquamus, in forma $3pp+qq$ continentur, si fuerit vel $p=9n$, vel $p \pm q = 9n$.

410. Ii autem divisores primi formae $6q+1$, qui in residuis cuborum habent 5, reperiuntur ex forma $x^3 \pm 5y^3$, cujus divisores esse debent 13, 67, 127, 181, 199, 241, 487, 739, etc., quos in forma $3pp+qq$ sub his conditionibus contineri observamus: 1) si $p=15n$, 2) si $p=3m$ et $q=5n$, 3) si $p \pm q = 15n$ et 4) si $p \pm 2q = 15n$.

411. Si inter residua occurrere debeat 6, divisores reperiuntur

7, 37, 139, 163, 181, 241, 307, 337, 349, 379, 631, 727, 751, 997, etc.

qui in forma $3pp + qq$ contineri deprehenduntur, si fuerit vel $p = 9n$, vel $2p \pm q = 9n$. Harum autem observationum veritas tantum conjecturae innititur, neque inductione ulterius commode progredi licet. (*)

Caput XII.

De residuis, ex divisione biquadratorum per numeros primos ortis.

412. Si divisor primus sit d, quod residuum a biquadrato a^4 relinquitur, idem non solum a biquadratis $(d + a)^4$, $(2d + a)^4$, etc., sed etiam a $(d - a)^4$ relinquitur, unde si $d = 2p + 1$, plura quam p residua diversa resultare nequeunt.

413. Si residua sint 1, α, β, γ, δ, etc., quorum multitudo major esse nequit quam p, in iis occurrent omnia biquadrata, ad minimam scilicet formam reducta, quae insuper hac gaudebunt proprietate, ut producta ex binis in iisdem reperiantur.

414. Haec ergo residua nascuntur ex biquadratis 1, 16, 81, 256, ... p^4, quae utrum pro dato divisore primo $2p + 1$ omnia inter se futura sint diversa, nec ne? diligentius inquiri convenit.

415. Ac primo quidem patet, si unum bis occurrat, scilicet ex biquadratis a^4 et b^4, tum ob $b^4 - a^4$ per $d = 2p + 1$ divisibile, fieri poterit $b = md \pm na$, unde et $n^4 a^4 - a^4$ erit divisibile, sicque etiam $n^4 - 1$. Tum ergo quoque c^4 et $n^4 c^4$ paria producent residua, singulaque residua bis occurrent.

416. Si ergo d sit divisor formulae $b^4 - a^4$, sumtis a et b minoribus quam $\frac{1}{2} d$, ideoque formulae $b^2 + a^2$, quia neque $b - a$, neque $b + a$ per eum divisibile esse potest, tum singula residua bis occurrent. Contra vero, si non sit factor talis formae $b^2 + a^2$, omnia residua erunt diversa.

417. At per § 279 omnes divisores primi formae $bb + aa$ in forma $4q + 1$ continentur, quare si divisor propositus fuerit formae $4q - 1$, ex divisione biquadratorum certe $2q - 1$ diversa residua emergunt, totidemque habebuntur non-residua, neque plura. Quos casus primum evolvamus.

418. Sit ergo divisor primus $4q - 1$, et residua diversa ex biquadratis oriunda 1, α, β, γ, δ, etc., quorum numerus erit $2q - 1$, non-residua autem sint A, B, C, D, etc. totidem numero. Ac primo patet, si A fuerit non-residuum, etiam $A\alpha$, $A\beta$, $A\gamma$ fore non-residua. Si enim Aa^4 esset residuum, ex biquadrato b^4 ortum, foret $b^4 - Aa^4$ per d divisibile. At est $b = ma \pm nd$, unde et $m^4 a^4 - Aa^4$, ideoque $m^4 - A$ esset divisibile per d, et m^4 relinqueret A, contra hypothesin.

419. Haec proprietas adeo ad omnes divisores extenditur, ita ut semper productum ex residuo in non-residuum sit non-residuum. At productum ex duobus non-residuis, AB, si quidem divisor primus sit $4q - 1$, certe est residuum; si enim esset non-residuum, conveniret cum termino Aa^4, ita ut $Aa^4 - AB$, ac propterea $a^4 - B$ per d esset divisibile, contra hypothesin.

(*) *Script. ad marg.* Ut 7 sit residuum divisorque $3pp + qq$, debet esse vel $p = 3m$ et $q = 7n$, vel $p \pm q = 21n$, vel $4p \pm q = 7n$, vel $p = 21m$, vel $p \pm 2q = 7n$. — Ut 10 sit residuum, pro divisore $3pp + qq$ debet esse vel $p = 5n$, vel $q = 5n$.

420. Hoc ergo casu, quo divisor est $=4q-1$, residua biquadratorum eadem praedita sunt proprietate, atque residua quadratorum, quin etiam cum iis plane convenirent pro eodem divisore. Omnia enim residua biquadratorum in residuis quadratorum continentur, et cum multitudine sint paria, prorsus eadem sint necesse est, unde hic de residuis et non residuis eadem valent, quae supra exposuimus.

421. Sit jam divisor primus $4q+1$, et residua $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. omnia hanc habent proprietatem, ut α^q-1 divisibile sit per $4q+1$. Haec quidem residua etiam continebuntur in residuis quadratorum pro eodem divisore $4q+1$; at vicissim, non omnia residua quadratorum simul sunt residua biquadratorum, quod ita ostenditur.

422. Quodvis residuum quadratorum per x^2 potest repraesentari, quod si esset residuum biquadratorum, foret $x^{2q}-1$ divisibile per $4q+1$, denotante x numerum quemcunque minorem divisore; nempe $1^{2q}-1$, $2^{2q}-1$, $3^{2q}-1$, $4^{2q}-1, \ldots (2q)^{2q}-1$ dividi possent per $4q+1$, quod cum fieri nequeat, non omnia quadrata in residuis biquadratorum occurrunt.

423. Si x^2 in residuis biquadratorum non occurrat, ibidem non occurrent quoque αx^2, βx^2, γx^2, δx^2, etc., quae cum sint residua quadratorum, patet in residuis quadratorum, quorum multitudo est $2q$, tot ad minimum esse non-residua biquadratorum, quot fuerint residua biquadratorum; unde patet multitudinem residuorum biquadratorum vel esse $=q$, vel adhuc minorem, quod posterius autem fieri nequit.

424. Quo haec facilius evolvere liceat, divisores simpliciores formae $4q+1$ examinemus, et tam residua quam non-residua biquadratorum consideremus:

pro divisore	5	13	17	29
residua	1	1, 3, 9	1, 4, 13, 16	1, 16, 23, 24, 20, 7, 25
non-residua	2	2, 6, 5	3, 12, 5, 14	2, 3, 17, 19, 11, 14, 21
	4	4, 12, 10	9, 2, 15, 8	4, 6, 5, 9, 22, 28, 13
	3	8, 11, 7	10, 6, 11, 7	8, 12, 10, 18, 15, 27, 26

pro divisore					37				
residua	1,	16,	9,	12,	33,	10,	26,	34,	7
non-residua	2,	32,	14,	31,	29,	15,	24,	20,	18
	4,	27,	28,	25,	21,	30,	11,	3,	36
	8,	17,	19,	13,	5,	23,	22,	6,	35.

425. Ex his exemplis videmus numerum residuorum esse $=q$, quem jam demonstravimus majorem esse non posse. Non-residuorum numerus triplo est major, quae in ternas classes distinximus, cum cujusvis classis numeri peculiaribus proprietatibus gaudeant.

426. Has tres classes commodissime ita constituere licet: cum dentur quadrata in residuis non occurrentia, sit xx tale quadratum; et certum est neque x, neque x^3 in residuis reperire posse. Si ergo residua sint $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta, \varepsilon$, etc. ternae non-residuorum classes erunt:

$$\begin{array}{ll} \text{I.} & x,\ \alpha x,\ \beta x,\ \gamma x,\ \delta x, \text{ etc.} \\ \text{II.} & x^2,\ \alpha x^2,\ \beta x^2,\ \gamma x^2,\ \delta x^2, \text{ etc.} \\ \text{III.} & x^3,\ \alpha x^3,\ \beta x^3,\ \gamma x^3,\ \delta x^3, \text{ etc.} \end{array}$$

427. Quaevis classis tot continet terminos quot sunt residua, et omnes termini harum classium sunt a se invicem diversi. Ejusdem quidem classis termini manifesto sunt diversi; diversitas autem terminorum in diversis classibus ita ostendetur.

428. Si αx aequivaleret ipsi βx^2, foret $\beta x^2 - \alpha x$, ideoque $\beta x - \alpha$ per $4q+1$ divisibile, unde cum α sit residuum, βx quoque esset residuum ipsi aequivalens, quod esset absurdum. Simili modo si αx, vel αx^2 conveniret cum βx^3, foret vel $\alpha - \beta x^2$, vel $\alpha - \beta x$ divisibile per $4q+1$, ideoque βx^2, vel βx in residua transiret, contra hypothesin.

429. Hinc si numerus residuorum sit $= n$, numerus non-residuorum erit $3n$, vel saltem non erit minor quam $3n$. Ac si in tribus memoratis classibus omnia non-residua contineantur, necesse est sit multitudo tam residuorum quam non-residuorum junctim sumta $= 4q$, ideoque $n = q$.

430. His classibus ita ut fecimus dispositis, manifestum est producta ex binis non-residuis tam primae quam tertiae classis in classe secunda contineri; deinde vero producta vel ex binis terminis secundae classis, vel ex termino primae in terminum tertiae in ordinem residuorum transgredi. Productum autem ex termino primae in terminum secundae classis reperitur in tertia classi, at productum ex secunda classe in tertiam reperitur in prima.

431. Hinc intelligitur neque in prima, neque in tertia classe numerum quadratum locum habere posse, quoniam is in se ipsum ductus foret residuum. Sola ergo secunda classis continet quadrata, et quoniam residua etiam ut quadrata spectari possunt, multitudo omnium quadratorum est $= 2n$.

432. Si secunda classis cum residuis omnia quadrata complectatur, quae ut residua diversa respectu divisoris $4q+1$ spectari possunt, quorumque numerus est $= 2q$, ut in residuis quadratorum vidimus, ob $2n = 2q$, ideoque $4n = 4q$, omnes numeri ipso divisore minores habentur, neque ulla dabuntur non-residua in nostris tribus classibus non contenta, eritque $n = q$.

433. Si ergo quis dubitet, an in nostris tribus non-residuorum classibus omnes occurrant numeri, qui non sint residua, hoc dubium tolletur, si ostendamus nullum dari quadratum non-residuum, quod non in secunda classe contineatur. Si enim yy esset tale quadratum, inde statim tres novae classes non-residuorum emergerent, foretque jam numerus non-residuorum $= 6n$, ac si nunc non-residua essent completa, foret $7n = 4q$.

434. Verum quod tale quadratum yy, tres novas classes non-residuorum post se trahens, non detur, ita ostenditur: Sint tres classes ex tali quadrato oriundae et prioribus adjiciendae

IV. y, αy, βy, γy, etc. V. y^2, αy^2, βy^2, γy^2, etc. VI. y^3, αy^3, βy^3, γy^3, etc.,

quarum singulae n terminos continebunt, ac duos casus examinari oportet, alterum quo xy esset residuum, alterum quo esset non-residuum.

435. Sit xy residuum, atque omnes termini classis quartae per x multiplicati, scilicet xy, αxy, βxy, γxy, etc. numero n, erunt residua. Verum etiam omnes termini classis tertiae per x multiplicati, scilicet x^4, αx^4, βx^4, γx^4, etc. sunt residua totidem numero, atque ab illis diversa; nam si αxy et βx^4 convenirent, foret $\alpha y - \beta x^3$ divisibile per divisorem, et αy caderet in classem tertiam, contra hypothesin. Prodirent ergo $2n$ residua diversa; quod cum sit absurdum, fieri nequit ut xy sit residuum.

436. Remoto ergo casu, quo xy est residuum, ponamus xy esse non-residuum, et cum in sex classibus omnia non-residua comprehendantur, in una earum xy occurrere deberet; sive autem ponamus xy ipsi ax, sive ax^2, sive ax^3, sive ay, sive ay^2, sive ay^3 aequivalere, sequeretur absurdum, dum y vel esset residuum, vel in classem I, vel II non-residuorum caderet, vel etiam x esset residuum, vel in classem IV, vel V caderet.

437. Cum igitur sex classes non-residuorum admitti nequeant, vel tantum tres sunt constituendae, quod volumus, vel plures quam sex. Quod posterius eveniret, si nondum omnia quadrata non-residua in classe II et V occurrerent. Sit ergo zz non-residuum in neutra harum classium contentum, et ex eo resultabunt tres novae classes, singulae n terminis constantes:

VII. z, αz, βz, etc. VIII. z^2, αz^2, βz^2, etc. IX. z^3, αz^3, βz^3, etc.

438. Nunc vero, ut § 435 ostendetur, neque xy, neque xz, neque yz esse posse residuum, quia inde plura residua, quam revera sunt, sequerentur. Deinde si xy in quapiam sex primorum classium contineretur, eadem incommoda orirentur, quae ante; ex quo xy in quapiam trium postremarum classium esse deberet. Videamus ergo, num xy ipsi αz aequivalere posset.

439. At si xy ipsi αz aequivaleret, xz, quia certe est non-residuum, vel ipsi βy, vel βy^2, vel βy^3 aequivaleret; quare cum $xy - \alpha z$ et $xz - \beta y^\nu$, denotante ν vel 1, vel 2, vel 3, essent divisibilia per $4q+1$, foret $z(xy - \alpha z) - y(xz - \beta y^\nu)$, hoc est $\beta y^{\nu+1} - \alpha z^2$ quoque divisibile, sicque αz^2 aequivaleret ipsi $\beta y^{\nu+1}$, ideoque in alia classe contineretur, quod aeque esset absurdum.

440. Sic igitur demonstratum est, si divisor primus fuerit $4q+1$, residua diversa biquadratorum fore numero $= q$, neque plura, neque pauciora, non-residua autem tribus classibus comprehendi, quarum quaelibet constet q terminis.

441. Quare cum residua diversa ex biquadratis $1, 2^4, 3^4, 4^4, \ldots 16q^4$, quorum multitudo est $= 2q$, oriantur, bina debent esse aequalia. Hinc si a sit numerus quicunque minor quam $2q$, dabitur semper alius b, et quidem unicus pariter non major quam $2q$, ut b^4 et a^4 aequalia relinquant residua, seu ut $b^4 - a^4$ per $4q+1$ sit divisibile.

442. Cum autem tam $b - a$ quam $b + a$ minus sit quam $4q+1$, erit $bb + aa$ per $4q+1$ divisibile. Hinc proposito numero primo $4q+1$, semper summa duorum quadratorum $aa + bb$ per eum divisibilis exhiberi potest, ita ut neutra radix superet $2q$, et quidem alterum quadratum pro lubitu assumi potest.

443. Supra autem jam ostendimus summam duorum quadratorum $aa + bb$ inter se primorum, praeter binarium alios divisores primos non admittere, nisi formae $4n+1$. Unde concludi posse videtur, omnes numeros primos formae $4q+1$ ipsos esse summas duorum quadratorum, certe autem vel $2(4q+1)$, vel $5(4q+1)$, vel $13(4q+1)$ etc. erit summa duorum quadratorum.

444. Etsi jam evictum est, plura duobus biquadratis, quorum radices $2q$ non excedant, non dari, idem residuum relinquentes, tamen hoc etiam seorsim demonstrari potest. Sint enim tres numeri a, b, c, non excedentes $2q$, ut tam $aa + bb$, quam $aa + cc$ et $bb + cc$ per $4q+1$ essent divisibilia, atque etiam differentiae $aa - cc$, $aa - bb$, $bb - cc$ forent divisibiles. At cum neque $a - c$, neque $a + c$ per $4q+1$ dividi possit, productum quoque $aa - cc$ dividi non poterit.

445. Nova ergo ratione demonstravimus, si divisor primus sit $4q+1$, multitudinem residuorum diversorum ex biquadratis oriundorum esse $=q$, neque minorem esse posse; unde non-residuorum multitudo erit $3q$, in ternas classes supra memoratas distinguenda.

446. Residua ergo biquadratorum, quae sint $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. ex divisore primo $4q+1$ oriunda, hanc habent proprietatem, ut α^q-1, β^q-1, γ^q-1, etc. per eum numerum primum $4q+1$ divisionem admittant. Utrum autem omnia residua huic proprietati refragentur, nec ne? videndum est.

447. Sit xx non-residuum, et x atque x^3 pariter erunt non-residua. Jam si $(xx)^q-1$, seu $x^{2q}-1$ esset divisibile per $4q+1$, omnes termini αx^2, βx^2, γx^2, etc. eadem proprietate gauderent, qua cum per se gaudeant ipsa residua, omnia quadrata ab 1 usque ad $4qq$ eadem proprietate essent praedita.

448. Omnibus ergo numeris ab 1 usque ad $2q$ ista conveniret proprietas, ut eorum potestates exponentis $2q$, per $4q+1$ divisae, unitatem relinquerent; sicque omnes differentiae inter binos terminos hujus seriei $1, 2^{2q}, 3^{2q}, 4^{2q} \ldots (2q)^{2q}$ per $4q+1$ essent divisibiles, quod autem absurdum esse jam supra ostensum est.

449. Hisce conficitur id, quod erat propositum, scilicet si quadratum xx fuerit non-residuum, tum $x^{2q}-1$ certe non esse divisibile per $4q+1$. Multo minus autem, cum x et x^3 etiam sint non-residua, hae formulae x^q-1, vel $x^{3q}-1$ divisibiles erunt per $4q+1$, unde patet si a^q-1 divisionem admittat per $4q+1$, tum numerum a necessario inter biquadratorum residua reperiri.

450. Quando ergo potestas a^q, per numerum primum $4q+1$ divisa, unitatem relinquit, tum omnia residua, ex serie potestatum $1, a, a^2, a^3, a^4$, etc. orta, in nostris residuis biquadratorum continebuntur. Et vicissim, si a non sit residuum biquadratorum, formula a^q-1 certe non erit divisibilis per $4q+1$.

451. Si q sit numerus impar, inter residua non occurret numerus -1, vel $4q$, quia $(-1)^q-1$ certe per $4q+1$ dividi nequit. Hoc ergo casu, si residua sint $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc., eorum negativa $-1, -\alpha, -\beta, -\gamma$, etc., seu $4q$, $4q+1-\alpha$, $4q+1-\beta$, $4q+1-\gamma$, etc. certe inter non-residua reperientur.

452. Hinc sequitur, si q sit numerus impar, non dari duo biquadrata a^4 et b^4, quorum summa a^4+b^4 esset per numerum $4q+1$ divisibilis. Si enim residuum ipsi a^4 conveniens esset α, alterius b^4 esset $-\alpha$, quod autem fieri non posse modo ostendimus.

453. Contra autem, si q sit numerus par, inter residua biquadratorum certe occurrit -1, si enim esset non-residuum, non esset $(-1)^q-1$ per $4q+1$ divisibile. Cum igitur sit divisibile, patet propositum, scilicet inter residua biquadratorum simul singulorum negativa, seu complementa contineri.

454. Si ergo q sit numerus par et $4q+1$ numerus primus, seu si $8q+1$ sit numerus primus, proposito quocunque biquadrato a^4, aliud dabitur b^4, ita ut eorum summa a^4+b^4 sit per $8q+1$ divisibilis. Ita dato numero a, semper inveniri potest numerus x, ut biquadratorum summa a^4+x^4 divisibilis sit per 17, vel 41, vel 73, vel 89, vel 97, etc.

455. Contra autem, nulla dabitur duorum biquadratorum summa, quae esset divisibilis per ullum numerum primum hujus seriei 5, 13, 29, 37, 53, 61, 101, etc.; multo vero minus per ullum numerum primum formae $4q - 1$, quia ne summa duorum quidem quadratorum per talem numerum est divisibilis.

456. Summa ergo duorum biquadratorum inter se primorum, praeter binarium, alios divisores habere nequit, nisi qui contineantur in forma $8q + 1$, ita est:

$1 + 2^4 = 17$	$2^4 + 3^4 = 97$	$4^4 + 5^4 = 881$	$7^4 + 8^4 = 73.89$
$1 + 3^4 = 2.41$	$2^4 + 5^4 = 641$	$4^4 + 7^4 = 2657$	$7^4 + 9^4 = 2.4481$
$1 + 4^4 = 257$	$2^4 + 7^4 = 2417$	$4^4 + 9^4 = 17.401$	$7^4 + 10^4 = 12401$
$1 + 5^4 = 2.313$	$2^4 + 9^4 = 6577$	$5^4 + 6^4 = 17.113$	$8^4 + 9^4 = 10657$
$1 + 6^4 = 1297$	$3^4 + 4^4 = 337$	$5^4 + 7^4 = 2.17.89$	$9^4 + 10^4 = 16511.$
$1 + 7^4 = 2.1201$	$3^4 + 5^4 = 2.353$	$5^4 + 8^4 = 4721$	
$1 + 8^4 = 17.241$	$3^4 + 7^4 = 2.17.73$	$5^4 + 9^4 = 2.3593$	
$1 + 9^4 = 2.17.193$	$3^4 + 8^4 = 4177$	$6^4 + 7^4 = 3697$	
$1 + 10^4 = 73.137$	$3^4 + 10^4 = 2.17.593$		

457. Si jam quaeratur, quibus divisoribus binarius in residuis reperiatur, id quidem in casibus evolutis § 424 nusquam evenit. At ubi 2 occurrit, ibi etiam $2a$ occurrit; ideoque divisor $4q + 1$ factor esse debet talis numeri $a^4 - 2b^4$, seu $2b^4 - a^4$; unde concluduntur hi divisores:

73, 89, 113, 233, 281, 353, 593, 617, 937, 1249, 1889, 2273, 2393, 4177,
4721, 4801, 6529, etc.,

qui numeri in forma $64pp + qq$ contenti videntur. (*)

458. Numeri autem in formula $64pp + qq$ contenti sunt:

73, 89, 113, 233, 257, 281, 337, 353, 577, 593, 601, 617, 881, 937, 1033, 1049,
1097, 1153, 1193, 1201, 1249, etc.,

ubi cum omnes praecedentes occurrant, et reliqui quaesito satisfaciant, nihil est, quod de veritate conjecturae dubitemus, et cum omnes hi numeri sint formae $8n + 1$, in residuis tam -2 quam $+2$ reperietur.

459. Omnes divisores primos formae $4q + 1$ usque ad 101 examinando, inter residua semper occurrit numerus q, ita ut esset $q^q - 1$ divisibile per $4q + 1$, quod si generatim esset verum, simul inter residua forent numeri q, q^2, q^3, $16q$, $81q$, $256q$, $16qq$, $81qq$, hincque -4, $q - 20$, -64, $-4q$.

460. Haec observatio per supra § 389 allatam confirmatur, ubi animadvertimus numerum 2 inter residua quadratorum esse, si divisor primus sit formae $8p + 1$, esse autem non-residuum,

(*) *Script. ad marg.* Ut 3 sit residuum, divisor esse debet $pp + qq$. ut sit vel $p = 12m$, vel $p = 3(2m + 1)$ et $q = 4n + 2$. Ut 5 sit residuum, divisor fit $= 100pp + qq$.

si divisor sit formae $8p+5$, quare $2^{4p}-1$ est divisibile per $8p+1$, at $2^{4p+2}-1$ non est divisibile per $8p+5$, quare cum $2^{8p+4}-1$ sit divisibile, necesse est sit $2^{4p+2}+1$ per $8p+5$ divisibile.

461. Hinc cum forma $4q+1$ ad $8p+1$ redeat, si q sit numerus par, hoc casu $2^{2q}-1$, seu 4^q-1 per $4q+1$ est divisibile, ideoque numerus 4, ejusque etiam negativum -4 inter residua biquadratorum reperiri debet. At si q sit numerus impar, quo casu $4q+1$ ad $8p+5$ redit, erit $2^{2q}+1$, seu 4^q+1, vel quod eodem redit $(-4)^q-1$ per $4q+1$ divisibile; ita ut etiam hoc casu -4 inter residua biquadratorum occurrere debeat.

462. Pro divisore ergo primo $4q+1$, sive q sit numerus par, sive impar, in residuis biquadratorum semper reperitur -4, unde cum ob 1 etiam $-4q$ adsit, quoque q adesse debet, sicque altera observatio per alteram confirmatur.

Caput XIII.

De residuis, ex divisione surdesolidorum per numeros primos ortis.

463. Si divisor sit d, et a^5 relinquat α, tum $(d-a)^5$ relinquet $-\alpha$, sicque omnia residua nascentur ex his potestatibus $1, 2^5, 3^5, 4^5 \ldots (d-1)^5$, quae si omnia fuerint diversa, eorum numerus est $=d-1$.

464. Sint $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc. omnia residua diversa, et in iis occurrent producta ex binis; quin etiam si quod productum mn ibi adsit cum altero factore m, etiam alter n aderit. Nam si mn nascatur ex a^5, et m ex b^5, ex nb^5 nascetur etiam mn, eritque a^5-nb^5 divisibile per d. At fieri potest $a=fb\pm gd$, ideoquo a^5 idem relinquit residuum, quod f^5b^5, sic cum $f^5b^5-nb^5$, ac propterea f^5-n divisibile sit per d, in residuis erit n.

465. Si in residuis est a, ibi erunt quoque a^2, a^3, a^4, sed a^5 quidem semper inest. Hinc vicissim, si in residuis sit a^2, ibidem quoque erit $a^3 = a^5 : a^2$; et ob a^4 quoque residuum, erit etiam a residuum. Ergo quaecunque potestas a^n (dum n non fuerit multiplum quinarii) fuerit residuum, ejus omnes potestates a, a^2, a^3, etc. erunt simul residua.

466. Sit m multitudo residuorum $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. pro divisore primo $2q+1$, et si omnes numeri divisore minores in residuis occurrant, erit $m=2q$, ac tales quidem casus dari mox patebit.

467. Si fuerit $m<2q$, dabitur numerus non-residuum, cujusmodi sit A, hincque primo non-residua erunt A, $A\alpha$, $A\beta$, etc. numero m; tum vero quia A^2, A^3, A^4 sunt non-residua, ex quoque m nova obtinentur, ita ut unum non-residuum A involvat quatuor classes non-residuorum

I. $A, A\alpha, A\beta, A\gamma$, etc. III. $A^3, A^3\alpha, A^3\beta, A^3\gamma$, etc.

II. $A^2, A^2\alpha, A^2\beta, A^2\gamma$, etc. IV. $A^4, A^4\alpha, A^4\beta, A^4\gamma$, etc.

468. Statim ergo atque unum non-residuum habetur, simul oriuntur $4m$ non-residua, quae si fuerint omnia, necesse est ut sit $m+4m=2q$, ideoque $5m=2q$ et $m=\frac{2q}{5}$, nisi ergo q multiplum quinarii, non-residua adesse nequeunt.

469. At si praeter quatuor classes novum daretur non-residuum B, ex eo denuo quatuor classes orirentur:

V. B, $B\alpha$, $B\beta$, $B\gamma$, etc. VII. B^3, $B^3\alpha$, $B^3\beta$, $B^3\gamma$, etc.
VI. B^2, $B^2\alpha$, $B^2\beta$, $B^2\gamma$, etc. VIII. B^4, $B^4\alpha$, $B^4\beta$, $B^4\gamma$, etc.

Jam sive AB dicatur esse residuum, sive non-residuum, absurdum sequitur; unde omnia non-residua, si quidem dantur, a quatuor prioribus classibus exhauriri necesse est.

470. Certum ergo est, quoties in divisore primo $2q+1$ numerus q non fuerit multiplum quinarii, toties omnes numeros in residuis occurrere, eorumque multitudinem esse $= 2q$. Neque ergo dantur duo numeri a et b, minores quam $2q+1$, ut $a^5 - b^5$ esset per $2q+1$ divisibile; hincque etiam $a^4 + a^3b + aabb + ab^3 + b^4$ per nullum numerum primum $2q+1$ dividi potest, in quo q non sit multiplum quinarii.

471. Omnes ergo divisores primi numerorum hujus formae $a^4 + a^3b + a^2b^2 + ab^3 + b^4$, seu hujus $a^5 - b^5$, excluso divisore $a - b$, in hac formula $10p+1$ continentur, iique numeri nullo modo dividi poterunt per ullum numerum in aliqua harum formularum $10p+3$, $10p+7$ et $10p+9$ contentum.

472. At si divisor primus sit $10p+1$, non omnes numeri in ordine residuorum occurrent, si enim omnes occurrerent, foret $x^{2p} - 1$ semper divisibile per $10p+1$, quicquid fuerit x, seu differentiae omnium harum potestatum 1, 2^{2p}, 3^{2p}, $4^{2p} \ldots (2p+1)^{2p}$ per $10p+1$ essent divisibiles, cujus absurditas jam supra est ostensa.

473. Quare si divisor primus sit $10p+1$, numerus residuorum diversorum tantum est $= 2p$, et $8p$ habebuntur non-residua, unde semper quini dabuntur numeri ipso $10p+1$ minores, a, b, c, d, e, quorum potestates quintae paria producunt residua.

474. Scilicet proposito numero quocunque a, quatuor semper assignari possunt alii b, c, d, e, singuli divisore $10p+1$ minores, ut per eum divisibiles sint

hi numeri	ac propterea isti quoque
$b^5 - a^5$	$b^4 + ab^3 + a^2b^2 + a^3b + a^4$
$c^5 - a^5$	$c^4 + ac^3 + a^2c^2 + a^3c + a^4$
$d^5 - a^5$	$d^4 + ad^3 + a^2d^2 + a^3d + a^4$
$e^5 - a^5$	$e^4 + ae^3 + a^2e^2 + a^3e + a^4$.

Haec eadem demonstratio ad praecedentes potestates accommodari potest.

475. Differentiae ergo etiam harum primae, a tribus sequentibus, per eundem divisorem dividi poterunt; hae autem differentiae, cum sint divisibiles per $b - c$, $b - d$, $b - e$, abeunt in has

$$b^3 + b^2c + bc^2 + c^3 + ab^2 + abc + ac^2 + a^2b + a^2c + a^3,$$

$$b^3 + b^2d + bd^2 + d^3 + ab^2 + abd + ad^2 + a^2b + a^2d + a^3,$$

$$b^3 + b^2e + be^2 + e^3 + ab^2 + abe + ae^2 + a^2b + a^2e + a^3,$$

476. Porro vero harum differentias, sigillatim per $c - d$ et $c - e$ divisas, etiam per $10p+1$ divisibiles esse oportet, quae sunt:

$$c^2 + cd + d^2 + bc + bd + b^2 + ac + ad + ab + a^2,$$

$$c^2 + ce + e^2 + bc + be + b^2 + ac + ae + ab + a^2,$$

harumque denuo differentia, quae per $d - e$ divisa est,

$$e + d + c + b + a.$$

477. Hinc apparet quinos numeros a, b, c, d, e, quorum potestates quintae, per numerum primum $10p + 1$ divisae, paria relinquunt residua, ita esse comparatos, ut eorum summa

$$a + b + c + d + e$$

etiam per eundem sit divisibilis. Cum autem singuli minores sint quam $10p + 1$, eorum summa est vel $10p + 1$, vel $2(10p + 1)$, vel $3(10p + 1)$, vel $4(10p + 1)$.

478. Cum numeros negativos etiam ut residua spectare liceat, haec summa $a + b + c + d + e$ ut nihilo aequalis considerari potest, unde datis quatuor a, b, c, d, quintus sponte datur, scilicet $e = -a - b - c - d$, qui cum sit unicus, patet plures quam quinque non dari.

479. En ergo novam demonstrationem, quod numerus residuorum diversorum pro quocunque divisore primo $2q + 1$ sit vel $= 2q$, vel $= \frac{2q}{5}$, et quod prius quidem semper eveniat, si q non sit multiplum quinarii, posterius semper, si fuerit $q = 5p$. Priori casu omnes numeri divisore minores sunt residua, posteriori tantum quinta eorum pars.

480. Posito igitur divisore primo $10p + 1$, multitudo residuorum diversorum est $= 2p$, inter quae cujusvis residui negativum quoque occurrit, ex quo eorum multitudo est par. Tum vero idem residuum quinque potestatibus diversis, quarum radices sint divisore minores, convenit, quas notasse juvabit.

481. Tales divisores cum sint 11, 31, 41, 61, 71, 101, etc. consideremus primo divisorem $10p + 1 = 11$, quo fit $p = 1$:

Residua	ex potestatibus					Classes non-residuorum			
						I.	II.	III.	IV.
1	1^5,	3^5,	4^5,	5^5,	9^5	2	4	8	5
10	2^5,	6^5,	7^5,	8^5,	10^5	9	7	3	6.

482. Sit divisor $10p + 1 = 31$ et $p = 3$, habebimus

Residua	ex potestatibus					Classes non-residuorum			
						I.	II.	III.	IV.
1	1^5,	2^5,	4^5,	8^5,	16^5	2	4	8	16
5	7^5,	14^5,	19^5,	25^5,	28^5	10	20	9	18
26	3^5,	6^5,	12^5,	17^5,	24^5	21	11	22	13
6	11^5,	13^5,	21^5,	22^5,	26^5	12	24	17	3
25	5^5,	9^5,	10^5,	18^5,	20^5	19	7	14	28
30	15^5,	23^5,	27^5,	29^5,	30^5	29	27	23	15

483. Sit divisor primus $10p + 1 = 41$, ideoque $p = 4$, erunt

Residua	ex potestatibus					Classes non-residuorum I.	II.	III.	IV.
1	1^5,	10^5,	16^5,	18^5,	37^5	2	4	8	16
40	4^5,	23^5,	25^5,	31^5,	40^5	39	37	33	25
3	11^5,	12^5,	28^5,	34^5,	38^5	6	12	24	7
38	3^5,	7^5,	13^5,	29^5,	30^5	35	29	17	34
9	5^5,	8^5,	9^5,	21^5,	39^5	18	36	31	21
32	2^5,	20^5,	32^5,	33^5,	36^5	23	5	10	20
14	15^5,	22^5,	24^5,	27^5,	35^5	28	15	30	19
27	6^5,	14^5,	17^5,	19^5,	26^5	13	26	11	22

484. Sit divisor primus $10p + 1 = 61$ et $p = 6$, erunt

Residua	ex potestatibus					Classes non-residuorum I.	II.	III.	IV.
1	1^5,	9^5,	20^5,	34^5,	58^5	2	4	8	16
60	3^5,	27^5,	41^5,	52^5,	60^5	59	57	53	45
13	12^5,	25^5,	42^5,	47^5,	57^5	26	52	43	25
48	4^5,	14^5,	19^5,	36^5,	49^5	35	9	18	36
14	5^5,	39^5,	45^5,	46^5,	48^5	28	56	51	41
47	13^5,	15^5,	16^5,	22^5,	56^5	33	5	10	20
11	8^5,	11^5,	28^5,	37^5,	38^5	22	44	27	54
50	23^5,	24^5,	33^5,	50^5,	53^5	39	17	34	7
21	10^5,	17^5,	29^5,	31^5,	35^5	42	23	46	31
40	26^5,	30^5,	32^5,	44^5,	51^5	19	38	15	30
29	6^5,	21^5,	43^5,	54^5,	59^5	58	55	49	37
32	2^5,	7^5,	18^5,	40^5,	55^5	3	6	12	24

485. Proposito ergo quocunque divisore primo formae $10p+1$, dabitur numerus a, ut $a^5 - 1$ per eum sit divisibilis, quam proprietatem quoque habebunt numeri a^2, a^3, a^4, quorum potestates quintae etiam unitatem relinquunt. Sequentes termini a^5, a^6, etc. ab his non sunt diversi, cum sit $a^5 = n(10p + 1) + 1$, sicque a^5 ipsi 1, a^6 ipsi a, a^7 ipsi a^2 etc. aequivaleat.

486. Cum quinque numeri, quorum potestates quintae per $10p+1$ divisae unitatem relinquunt, ita repraesentari queant 1, a, a^2, a^3, a^4, si b^5 det residuum α, quinque habebuntur numeri b, ab, a^2b, a^3b, a^4b, quorum potestates quintae, per $10p + 1$ divisae, idem relinquunt residuum α.

487. Quia idem ad altiores potestates extendi potest, proposito quocunque numero primo $mn + 1$, semper dabitur numerus a, ut $a^m - 1$ per eum sit divisibile; ejusque potestates omnes eadem praeditae erunt proprietate. Erit autem a minor quam divisor $mn + 1$, talesque numeri diversi tot, quot m continet unitates, exhiberi possunt.

488. Proposito porro divisore primo $mn + 1$, si per eum potestates 1^m, 2^m, 3^m, 4^m, etc. dividantur, usque ad $(mn)^m$, plura residua diversa non relinquentur, quam n, ideoque dabuntur $(m - 1)n$ numeri divisore minores, qui non sunt residua.

489. Si post unitatem a sit minimus numerus, cujus potestas a^m, per $mn+1$ divisa, unitatem relinquat, cujusmodi numerus semper datur et quidem unicus; tum si potestas b^m relinquat α, omnium horum numerorum b, ab, a^2b, $a^3b \ldots a^{m-1}b$, quorum multitudo est $=m$, potestates exponentis m idem residuum α relinquent.

490. Si $m=2$, minima potestas a^2, quae per numerum primum $2n+1$ divisa, relinquit unitatem, est ut sequitur

$2n+1$	n	a^2
3	1	2^2
5	2	4^2
7	3	6^2
11	5	10^2

et ita porro; hoc ergo casu semper est $a=2n$.

491. Si $m=3$, potestates a^3, quae per $3n+1$ divisae, unitatem relinquunt, sunt

$3n+1$	n	potestates	$3n+1$	n	potestates
7	2	1^3, 2^3, 4^3	61	20	1^3, 13^3, 47^3
13	4	1^3, 3^3, 9^3	67	22	1^3, 29^3, 37^3
19	6	1^3, 7^3, 11^3	73	24	1^3, 8^3, 64^3
31	10	1^3, 5^3, 25^3	79	26	1^3, 23^3, 55^3
37	12	1^3, 10^3, 26^3	97	32	1^3, 35^3, 61^3
43	14	1^3, 6^3, 36^3	103	34	1^3, 46^3, 56^3.

492. Sit $m=4$ et potestates a^4, quae per $4n+1$ divisae, relinquunt unitatem, sunt

$4n+1$	n	potestates	$4n+1$	n	potestates
5	1	1^4, 2^4, 4^4, 3^4	53	13	1^4, 23^4, 52^4, 30^4
13	3	1^4, 5^4, 12^4, 8^4	61	15	1^4, 11^4, 60^4, 50^4
17	4	1^4, 4^4, 16^4, 13^4	73	18	1^4, 27^4, 72^4, 46^4
29	7	1^4, 12^4, 28^4, 17^4	89	22	1^4, 34^4, 88^4, 55^4
37	9	1^4, 6^4, 36^4, 31^4	97	24	1^4, 22^4, 96^4, 75^4
41	10	1^4, 9^4, 40^4, 32^4	101	25	1^4, 10^4, 100^4, 91^4

493. Si $m=5$, potestates a^5, quae per $5n+1$ divisae, relinquunt 1, sunt, ut ante jam vidimus,

$5n+1$	n	potestates
11	2	1^5, 3^5, 9^5, 5^5, 4^5
31	6	1^5, 2^5, 4^5, 8^5, 16^5
41	8	1^5, 10^5, 18^5, 16^5, 37^5
61	12	1^5, 9^5, 20^5, 58^5, 34^5
71	14	1^5, 5^5, 25^5, 54^5, 57^5
101	20	1^5, 36^5, 84^5, 95^5, 87^5.

494. Sit $m = 6$, et senae potestates a^6, quae per $6n+1$ divisae, unitatem relinquunt, sunt

$6n+1$	n	potestates					
7	1	1^6,	2^6,	4^6,	6^6,	5^6,	3^6
13	2	1^6,	3^6,	9^6,	12^6,	10^6,	4^6
19	3	1^6,	7^6,	11^6,	18^6,	12^6,	8^6

hic scilicet eaedem potestates, quae pro casu $m = 3$ prodeunt, quibus totidem, ex radicibus negativis ortae, sunt adjiciendae.

495. Sit $m = 7$, et potestates a^7, quae per $7n+1$ divisae, unitatem relinquunt, sunt

$7n+1$	n	potestates						
29	4	1^7,	7^7,	20^7,	24^7,	23^7,	16^7,	25^7
43	6	1^7,	4^7,	16^7,	21^7,	41^7,	35^7,	11^7
71	10	1^7,	20^7,	45^7,	48^7,	37^7,	30^7,	32^7
113	16	1^7,	16^7,	30^7,	28^7,	109^7,	49^7,	106^7.

496. Jam observavimus, uno horum numerorum cognito, reliquos ex ejus potestatibus oriri. Verum methodus talem numerum investigandi haec promptissima videtur: Proposito divisore primo $mn+1$, quaerantur duae potestates a^m et b^m idem residuum praebentes; tum quaeratur x, ut sit $x = \frac{b+p(mn+1)}{a}$, et x^m unitatem relinquet. Semper autem p ita capi potest, ut x fiat numerus integer.

497. Si divisore existente $mn+1$, potestates exponentis m unitatem relinquentes sint

$$1^m,\ \alpha^m,\ \beta^m,\ \gamma^m,\ \delta^m,\ \text{etc. numero } m,$$

tum $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. erunt residua ex progressione geometrica $1, \alpha, \alpha^2, \alpha^3, \alpha^4$, etc. orta; erunt ergo etiam ex serie potestatum $1^n, 2^n, 3^n, 4^n, 5^n, 6^n$, etc. nata.

498. En ergo methodum facillimam unum saltem numerum α inveniendi, ut $\alpha^m - 1$ per $mn+1$ fiat divisibile, scilicet pro α semper sumi potest 2^n, seu residuum ex hac potestate binarii ortum, quin etiam valores idonei ex $3^n, 5^n$, etc. peti possunt; cognito autem uno, reliqui facile innotescunt.

499. Si divisore primo existente $mn+1$, in residuis potestatum $1, 2^n, 3^n, 4^n$, etc. occurrat numerus N, ibi quoque occurret numerus Na^n; dabiturque numerus x, ut $x^n - Na^n$ per $mn+1$ fiat divisibile, eritque etiam $N^m - 1$ per $mn+1$ divisibile.

500. Vicissim autem, si $N^m - 1$ per $mn+1$ est divisibile, erit N residuum potestatis cujusdam x^n; si enim esset non-residuum, omnia reliqua non-residua pari essent praedita proprietate, ideoque omnes numeri; forentque omnes hi numeri $1^m - 1$, $2^m - 1$, $3^m - 1$, etc. divisibiles per $mn+1$, quod autem fieri nequit.

501. Posito divisore primo $mn+1$, sint potestatum $1^m, 2^m, 3^m, 4^m$, etc. residua $1, A, B, C, D$, etc., potestatum vero $1^n, 2^n, 3^n, 4^n$, etc. residua $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc., ac potestates omnes

$$1^m,\ \alpha^m,\ \beta^m,\ \gamma^m,\ \delta^m,\ \text{etc.}$$

residuum relinquent 1; hae vero potestates $1^n, A^n, B^n, C^n$, etc. residuum relinquent 1, ideoque hae formae $\alpha^m - A^n$ erunt divisibiles per $mn+1$.

Pagina intercalata.

Tentamen demonstrationis, quod si divisor primus sit $8q+7$, *in residuis reperiatur* 2. Ponamus esse in residuis 2, et cum ibidem sit $(2q+m)^2$, erit quoque $8qq+8mq+2mm$, hincque

$$8mq+2mm-7q \quad \text{et} \quad 2mm-7m-7q \quad \text{et} \quad 2mm-7m+q+7,$$

quod si nunquam fiat non-residuum, patebit propositum. At non-residua repraesentari possunt per quadrata negativa, quorum dupla etiam erunt residua per hypothesin; sit ergo

$$2mm-7m+q+7=-2aa+8bq+7b, \text{ fietque}$$

$$q=\frac{2aa+2mm-7m+7-7b}{8b-1} \quad \text{et} \quad 8q+7=\frac{(4a)^2+(4m-7)^2}{8b-1},$$

foretque $8q+7$ divisor ipsius $(4a)^2+(4m-7)^2$, quod cum fieri nequit, sequitur ex residuo 2 nullum deduci absurdum, cujusmodi necessario resultare deberet, si 2 non esset residuum. (*)

Theorema. Si divisor $12q+11$, erit 3 residuum.

Ponamus 3 esse residuum, ac si nullum absurdum inde sequatur, pro vero erit habendum. Erit ergo -3 non-residuum, et omnia non-residua $-3aa$. At residuum est $(2q+m)^2$ et $12qq+12mq+3mm$, hincque $3mm-11q-11m$, item $3mm+q-11m+11$, quod nunquam potest esse non-residuum $-3aa$: ponatur enim

$$3mm-11m+11+q=-3aa+12bq+11b, \text{ erit}$$

$$q=\frac{3aa+3mm-11m+11-11b}{12b-1}, \quad \text{unde fit} \quad 12q+11=\frac{(6a)^2+(6m-11)^2}{12b-1},$$

quod cum sit absurdum, $3mm-11m+11+q$ nunquam inter non-residua continebitur.

Vel ita pro divisore $8q+7$.

Si 2 esset non-residuum, in genere $2mm-7m-7q\pm\alpha(8q+7)$ esset non-residuum; in genere autem residuum est $(4q+n)^2=16qq+8nq+nn=8nq+nn-14q=nn-14q-7n=nn+2q-7n+14\pm\beta(8q+7)$, omnes ergo numeri continerentur in alterutra harum formularum:

$$2mm-7m-7q\pm\alpha(8q+7)$$
$$nn-7n-14q\pm\beta(8q+7).$$

Si unicus assignari posset numerus, hic non contentus, demonstratio esset perfecta; vel si idem numerus in utraque contineretur, quod fit si, posito $m=f+g$, $n=f+2g$, fuerit $ff-2gg+7g+7q$ divisibile per $8q+7$.

(*) *Script. ad marg.* Si $2mm-7m+q+7$ ponatur $=-aa$, fit

$$8q+7=\frac{2(2a)^2+(4m-7)^2}{8b-1},$$

nunc demonstrandum restat $2xx+yy$ nunquam divisibile esse per $8q+7$.

Nota altera, ut videtur, huc pertinens. $8xx-(2y+1)^2$ alios divisores primos non habet, nisi formae $8n-1$ et $8n+1$

$\frac{8xx-1}{7}$ int si $x=7a\pm1$, $\quad \frac{8xx-1}{23}$ int. si $x=23a\pm7$, $\quad \frac{8xx-1}{31}$ int. si $x=31a\pm2$

$\frac{8xx-1}{47}$ „ „ $x=47a\pm10$, $\quad \frac{8xx-1}{17}$ „ „ $x=17a\pm7$, $\quad \frac{8xx-1}{41}$ „ „ $x=41a\pm6$.

Caput XIV.

De residuis, ex divisione quadratorum per numeros compositos ortis.

502. Sint $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. residua, quae ex divisione quadratorum per numerum primum $2p+1$ oriuntur, quorum numerus est $=p$; ac videamus primo, quaenam residua oriantur, si divisio fiat per duplum $2(2p+1)$, atque hic quidem excludamus quadrata paria; tantum enim ea quadrata, quae ad divisorem sunt prima, consideremus.

503. Multitudo autem quadratorum, quorum radices sunt divisore minores, est $=2p$, et quoniam quadrata aa et $(4p+2-a)^2$ idem relinquunt residuum, multitudo residuorum diversorum major esse nequit quam p; erit ergo vel $=p$, vel minor quam p.

504. Minor scilicet esset, si darentur duo quadrata aa et bb, ut non esset $b=4p+2-a$, quae idem relinquerent residuum. Foret autem tum $bb-aa=(b-a)(b+a)$ divisibile per $2(2p+1)$, et alter factor per 2, alter per $2p+1$ divisibilis esse deberet. At uno existente pari, alter quoque erit par, ideoque per totum divisorem divisibilis, unde foret $b=2(2p+1)-a$.

505. Multitudo ergo residuorum diversorum, quae quidem ex quadratis ad divisorem primis oriuntur, erit $=p$, totidem numero, quot ex divisore primo $2p+1$ nascuntur. Ac si residua, ex divisore $2(2p+1)$ orta, sint $1, A, B, C, D$, etc., eorum numerus est $=p$, et ibidem occurrent producta ex binis.

506. Dantur autem $2p$ numeri ad hunc divisorem primi eoque minores, unde cum eorum tantum semissis residua constituat, alter semissis dabit ordinem non-residuorum, quae si sint $\mathfrak{A}, \mathfrak{B}, \mathfrak{C}, \mathfrak{D}$, etc., eorum numerus erit $=p$, et producta ex horum binis iterum fient residua.

507. Contemplemur quaedam exempla, in iisque tam residua, quae ex divisore primo $2p+1$, quam ex ejus duplo $2(2p+1)$ nascuntur, simulque apponamus non-residua ad divisorem prima:

divisor	3	6	5	10	7	14
residua	1	1	1, 4,	1, 9	1, 2, 4	1, 9, 11
non-residua	2	5	2, 3,	3, 7	3, 5, 6	3, 5, 13

divisor	11	22
residua	1, 3, 9, 5, 4	1, 9, 3, 5, 15
non-residua	2, 6, 7, 8, 10	7, 13, 17, 19, 21
divisor	13	26
residua	1, 3, 4, 9, 10, 12	1, 3, 9, 17, 23, 25
non-residua	2, 5, 6, 7, 8, 11	5, 7, 11, 15, 19, 21
divisor	17	34
residua	1, 2, 4, 8, 9, 13, 15, 16	1, 9, 13, 15, 19, 21, 25, 33
non-residua	3, 5, 6, 7, 10, 11, 12, 14	3, 5, 7, 11, 23, 27, 29, 31

508. Repraesentemus rem in genere:

divisor	$2p+1$	$2(2p+1)$
residua	$1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc.	$1, A, B, C, D$, etc.
non-residua	$\mathfrak{a}, \mathfrak{b}, \mathfrak{c}, \mathfrak{d}, \mathfrak{e}$, etc.	$\mathfrak{A}, \mathfrak{B}, \mathfrak{C}, \mathfrak{D}, \mathfrak{E}$, etc.

et primo observamus omnia residua divisoris $2(2p+1)$, vel ipsa, vel numero $2p+1$ minuta constituere residua divisoris $2p+1$.

509. Scilicet vel A, vel $A-(2p+1)$ in residuis $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc. occurrit. Cum enim detur quadratum impar aa, ut sit $aa-A$ per $2(2p+1)$ divisibile, erit quoque per $2p+1$ divisibile, unde A etiam inter residua divisoris $2p+1$ reperiatur necesse est, vel $A-(2p+1)$, si fuerit $A > 2p+1$.

510. Numeri porro impares seriei $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc. in serie $1, A, B, C, D$, etc. occurrunt, pares autem ibi non reperiuntur, at vero iidem aucti numero $2p+1$. Sit enim α numerus impar, et cum $aa-\alpha$ sit divisibile per $2p+1$, erit $aa-\alpha = n(2p+1)$. Jam a vel est par, vel impar. Si impar, erit $aa-\alpha$ par, ac propterea etiam n par, sicque $aa-\alpha$ divisibile erit per $2(2p+1)$.

511. At si a sit par, erit $2p+1-a$ impar, atque etiam $(2p+1-a)^2-\alpha = n(2p+1)$, ubi n fiet par, ita ut haec formula quoque per $2(2p+1)$ sit divisibilis; unde si α sit numerus impar, certe inter residua $1, A, B, C$, etc. continebitur.

512. At si α sit numerus par, ejus loco inter residua divisoris $2p+1$ considerari potest $\alpha+2p+1$, qui cum sit impar, ob rationes allatas etiam inter residua divisoris $2(2p+1)$ reperiri debet.

513. Datis ergo residuis $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc., ex divisore primo $2p+1$ ortis, ex iis statim concinnari potest series residuorum $1, A, B, C$, etc. ex duplo divisore ortorum $2(2p+1)$, illorum scilicet, quae sunt imparia, ipsa ponendo, paria autem numero $2p+1$ augendo.

514. Simili modo ex serie non-residuorum $\mathfrak{a}, \mathfrak{b}, \mathfrak{c}, \mathfrak{d}$, etc. divisori $2p+1$ respondentium formabitur series non-residuorum divisori $2(2p+1)$ respondentium, dum imparia ipsa sumuntur, paria vero numero $2p+1$ augentur.

De divisore $4(2p+1)=d$.

515. Multitudo numerorum hoc divisore minorum ad eumque primorum est $2.1.2p=4p$, et non solum quadrata aa et $(d-a)^2$ idem relinquunt residuum, sed dantur praeterea duo alia bb et $(d-b)^2$. Fieri enim potest $bb-aa=(b-a)(b+a)=4n(2p+1)$, sumendo $b-a=2n$ et $b+a=2(2p+1)$, unde fit $b=2(2p+1)-a$, sicque quaternorum quadratorum, idem residuum relinquentium, radices sunt: $a,\ 2(2p+1)-a,\ 2(2p+1)+a,\ 4(2p+1)-a$.

516. Plura autem quam quatuor dari non possunt, unde hoc casu numerus residuorum tantum est p, uti pro divisore primo $2p+1$; at numerus non-residuorum est $3p$, ut ex subjunctis exemplis videre licet:

divisor	3	12	5	20	7	28
residua	1	1	1, 4	1, 9	1, 2, 4	1, 9, 25
non-residua	2	5 7 11	2, 3	3, 7 11, 19 13, 17	3, 5, 6	3, 27, 19 5, 17, 13 11, 15, 23

divisor	11	44
residua	1, 3, 9, 5, 4	1, 9, 25, 5, 37
non-residua	2, 6, 7, 8, 10	3, 27, 31, 15, 23 7, 19, 43, 35, 39 13, 29, 17, 21, 41

divisor	13	52
residua	1, 3, 4, 9, 10, 12	1, 9, 25, 49, 29, 17
non-residua	2, 5, 6, 7, 8, 11	3, 27, 23, 43, 35, 51 5, 45, 21, 37, 41, 33 7, 11, 19, 31, 47, 15.

517. Sint pro divisore $2p + 1$ residua $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. et pro divisore $4(2p+1)$ residua $1, A, B, C, D$, etc. multitudine aequalia; ac primo patet ex his residuis illa reperiri, scilicet ex serie $1, A, B, C, D$, etc., quae sunt minora quam $2p+1$, ipsa in serie $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. continentur; quae vero sunt majora, minui debent numero $2p+1$, vel ejus duplo, vel ejus triplo.

518. Deinde observo inter residua $1, A, B, C, D$, etc. nullum numerum hujus formae $4q-1$ contineri. Cum enim quadratum aa, demto numero $4q-1$, nequeat esse divisibile per 4, fieri non potest, ut sit $aa-(4q-1)$ multiplum ipsius $4(2p+1)$, unde numeri 3, 7, 11, 15, 19, 23 semper sunt inter non-residua.

519. Si in serie $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. occurrat numerus impar formae $4q+1$, idem quoque in serie $1, A, B, C, D$, etc. occurret; nam si $aa-(4q+1)$ sit divisibile per $2p+1$, quoque divisibile erit $(2p+1\pm a)^2-(4q+1)$; et quia numerorum a et $2p+1\pm a$ alter certe est par, alter impar, sumatur a impar, et $aa-(4q+1)$ per 4 erit divisibile, unde etiam per $4(2p+1)$, ita ut pro hoc divisore $4q+1$ futurum sit residuum.

520. At si numerus impar $4q-1$ sit residuum divisoris $2p+1$, non erit residuum divisoris $4(2p+1)$, uti jam vidimus; tum vero $2(2p+1)+4q-1$, quia redit ad formam $4r+1$, certe inter residua divisoris $4(2p+1)$ continebitur.

521. Si numerus par $2q$ sit residuum divisoris $2p+1$, tum vel

$$2q+2p+1, \quad \text{vel} \quad 2q+3(2p+1)$$

erit residuum divisoris $4(2p+1)$, prout vel hic, vel ille numerus fuerit formae $4r+1$, alter enim formae $4r-1$ semper excluditur.

522. Scilicet si sit $p=2m$, et $4m+1$ numerus primus, si $4q$ sit residuum divisoris $4m+1$, tum $4q+4m+1$ erit residuum divisoris $4(4m+1)$; at si $4q+2$ residuum divisoris $4m+1$, tum $4q+2+3(4m+1)$ erit residuum divisoris $4(4m+1)$.

523. Sit $p=2m-1$ et $4m-1$ numerus primus: Si $4q$ sit residuum divisoris $4m-1$, tum $4q+3(4m-1)$ erit residuum divisoris $4(4m-1)$. At si $4q+2$ sit residuum divisoris $4m-1$, tum $4q+2+4m-1=4q+4m+1$ erit residuum divisoris $4(4m-1)$.

*

524. Ope harum regularum ex singulis residuis divisoris primi $2p+1$ totidem residua divisoris $4(2p+1)$ reperiuntur; unumquodque enim vel ipsum, vel auctum numero $2p+1$, vel $2(2p+1)$, vel $3(2p+1)$, ut prodeat numerus formae $4q+1$, erit residuum divisoris $4(2p+1)$.

525. Ex quovis autem residuo divisoris $2p+1$ unum quoque non-residuum pro divisore $4(2p+1)$ elicitur, formae $4q-1$; tum vero ex quovis non-residuo divisoris $2p+1$ bina non-residua pro divisore $4(2p+1)$ prodeunt; si enim illud sit par, addendo $2p+1$ et $2(2p+1)$, sin sit impar, addendo 0 et $2(2p+1)$ duo non-residua obtinentur.

De divisore $8(2p+1)=d$.

526. Hic semper octo dantur numeri minores quam d, quorum quadrata per d divisa relinquunt idem residuum, scilicet uno numero existente a, reliqui septem sunt

$$2(2p+1)\pm a,\quad 4(2p+1)\pm a,\quad 6(2p+1)\pm a,\quad 8(2p+1)-a$$

neque plures exhiberi possunt.

527. Quare cum multitudo numerorum, ipso d minorum ad eumque primorum sit $=4.1.2p=8p$, horumque octoni idem praebeant residuum, manifestum est numerum residuorum diversorum fore $=p$, non-residuorum vero $=7p$.

528. Deinde patet inter residua occurrere non posse ullum numerum formae $4q-1$, vel alterutrius hujus $8q-1$, $8q-5$; neque vero etiam inter residua esse potest numerus formae $8q+5$, propterea quod forma $xx-(8q+5)$ nunquam per 8 neque ergo per $8(2p+1)$ dividi potest, quia est $xx=8n+1$ ob x imparem.

529. Alia igitur residua non locum habent, nisi quae sint formae $8n+1$, et quia divisor est $16p+8$, pro n sumi possunt omnes numeri ab 0 usque ad $2p$. At ex forma $8n+1$ excluditur vel $2p+1$, vel $3(2p+1)$, vel $5(2p+1)$, vel $7(2p+1)$, quae scilicet est formae $8n+1$, ita ut tantum $2p$ hujusmodi numeri relinquantur, quorum autem semissis solum residua constituit.

530. Ex his autem numeris formae $8n+1$, quorum multitudo est $2p$, si unicus constet, qui sit non-residuum, eo per singula residua multiplicando obtinentur reliqua non-residua numero p, praeterea vero reliqui numeri impares sive formae $8n+3$, sive $8n+5$, sive $8n+7$ suppeditant adhuc $6p$ residua.

531. Divisor ergo $8(2p+1)$ totidem praebet residua, quot divisor $2p+1$, quae si sint $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. ex singulis residua divisoris $8(2p+1)$ elicientur, addendo ejusmodi multiplum ipsius $2p+1$, ut aggregatum fiat formae $8n+1$, veluti ex hoc exemplo videre licet:

Pro divisore 13, residua	1,	3,	4,	9,	10,	12
adde	0,	6.13,	13,	0,	3.13,	13
pro divisore 104, residua	1,	81,	17,	9,	49,	25.

532. Si pro divisore $8(2p+1)$ fuerit residuum A, erit A^p-1 divisibile per $8(2p+1)$; ac si hoc evenerit, erit A vicissim residuum quadratorum. Scilicet si A^p-1 sit divisibile per $8(2p+1)$, semper assignari potest quadratum xx, ut sit $xx-A$ divisibile per $8(2p+1)$.

De divisore $3(2p+1)=d$.

533. Multitudo numerorum hoc divisore minorum et ad eum primorum est $=2.2p=4p$, inter quos duo ad minimum sunt, quorum quadrata idem residuum relinquunt, scilicet a^2 et $(d-a)^2$, unde numerus diversorum residuorum major quam $2p$ esse nequit.

534. Praeterea vero cum a per 3 non sit divisibile, vel $2p+1-2a$, vel $2(2p+1)-2a$ per 3 erit divisibile, sit quotus $=m$, et quadratum numeri $3m+a$ idem relinquet residuum, ergo vel $2p+1-a$, vel $2(2p+1)-a$, indeque praeterea vel $2(2p+1)+a$, vel $2p+1+a$ idem quoque residuum relinquet.

535. Hoc modo cum semper quaterna quadrata idem dent residuum, numerus residuorum diversorum erit tantum $=p$, ideoque idem ac pro divisore $2p+1$. In residuis autem nequit esse ullus numerus formae $3n-1$, cum nullum quadratum, tali numero minutum, per 3, neque ergo per $3(2p+1)$ dividi queat.

536. Omnia ergo residua divisoris $3(2p+1)$ erunt numeri formae $3n+1$, et si residua divisoris $2p+1$ sint $1, \alpha, \beta, \gamma$, etc. quodlibet vel ipsum, vel numero $2p+1$, vel $2(2p+1)$ auctum, quo prodeat numerus formae $3n+1$, erit residuum divisoris $3(2p+1)$.

Pro divisore $(2p+1)(2q+1)=d$.

537. Sint pro divisore $2p+1$ residua $1, \alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. numero $=p$, et pro divisore $2q+1$ residua $1, \pi, \varrho, \sigma, \tau$, etc. numero $=q$, ac numeri utrique ordini communes erunt residua divisoris $d=(2p+1)(2q+1)$.

538. At ad priorem ordinem pertinere censendus est numerus $m(2p+1)+\alpha$, ubi m ita potest definiri, ut fiat aequalis vel $n(2q+1)+1$, vel $n(2q+1)+\pi$, etc., sicque ex quovis residuo divisoris $2p+1$ producuntur q residua divisoris $2q+1$, sicque omnino pq residua diversa pro divisore $(2p+1)(2q+1)$ obtinentur.

539. Sit hujusmodi divisor compositus $5.7=35$, et cum sint residua pro divisore 5 haec duo 1, 4, et pro 7 haec tria 1, 2, 4; ergo pro divisore 35 residua erunt $7n+1$, $7n+2$, $7n+4$, quae scilicet vel in forma $5m+1$, vel $5m+4$ continentur. Erunt ergo haec residua numero sex: 1, 29; 9, 16; 4, 11.

540. Cum pro divisore $(2p+1)(2q+1)$ tantum dentur pq residua diversa, quaterna quadrata idem praebebunt residuum, quorum unum si sit $=aa$, reliquorum trium radices erunt:

$$(2p+1)(2q+1)-a, \quad m(2p+1)-a, \quad n(2p+1)+a,$$

sumendis numeris m et n ita, ut $m(2p+1)-2a$ et $n(2p+1)+2a$ dividi queant per $2q+1$, quod ob $2p+1$ et $2q+1$ primos inter se, semper fieri potest, ut m et n sint minores quam $2q+1$.

Caput XV.

De divisoribus numerorum formae $xx+yy$.

541. Hinc primo excludo casus, quibus numeri x et y habent communem divisorem; si enim maximus communis divisor esset $=\varphi$ et $x=p\varphi$ et $y=q\varphi$, ut p et q forent primi inter se, haberetur $xx+yy=(pp+qq)\varphi\varphi$, et inventio divisorum reduceretur ad formam $pp+qq$.

542. Sint ergo x et y primi inter se, atque evenire potest, ut $xx+yy$ fiat numerus primus, cui probando vel unicus casus sufficeret, quorum simplicissimus est 2. Ut autem $xx+yy$ fiat numerus primus, statim excluduntur casus, quibus ambo numeri x et y sunt impares.

543. Ponatur ergo alter par, alter impar, et evidens est omnes numeros primos $xx+yy$ in hac forma $4n+1$ contineri debere, sicque nullus numerus formae $4n-1$ duorum quadratorum summa esse potest.

544. Sin autem x et y sint numeri impares, seu $x=2p+1$ et $y=2q+1$, fieri poterit ut semissis $\frac{xx+yy}{2}=2pp+2p+2qq+2q+1$ fiat numerus primus. At est

$$2pp+2p+2qq+2q+1=(p+q+1)^2+(p-q)^2,$$

iterum summa duorum quadratorum, quorum alterum par, alterum impar, ob summam radicum $2p+1$ imparem.

545. Si summa duorum quadratorum $aa+bb$ per aliam summam duorum quadratorum $cc+dd$ multiplicetur, productum $(aa+bb)(cc+dd)$ iterum erit summa duorum quadratorum, cum sit $=(ac\pm bd)^2+(ad\mp bc)^2$, quod ob ambiguitatem signi duplici modo evenire potest.

546. Hic inversa propositio se offert: si summa duorum quadratorum $pp+qq$ divisionem admittat per summam duorum quadratorum $aa+bb$, fore etiam quotum duorum quadratorum summam, cujus veritas autem inde non sequitur, sed peculiarem demonstrationem requirit.

547. Ad hoc demonstrandum primum animadverto formam $pp+qq$ per $aa+bb$ esse divisibilem; quanticunque sint numeri p et q, semper eos reduci posse ad numeros minores quam $aa+bb$, atque adeo quam $\frac{1}{2}(aa+bb)$, cum si $pp+qq$ sit divisibile per $aa+bb$, etiam

$$(\pm\alpha(aa+bb)\pm p)^2+(\pm\beta(aa+bb)\pm q)^2$$

divisibile evadat.

548. At si $\frac{pp+qq}{aa+bb}$ sit summa duorum quadratorum $cc+dd$, seu $p=ac+bd$ et $q=ad-bc$, sumendo $p=ac+bd+\alpha(aa+bb)$ et $q=ad-bc+\beta(aa+bb)$, tum $pp+qq$ utique per $aa+bb$ divisionem admittet, eritque quotus

$$=cc+dd+2\alpha(ac+bd)+2\beta(ad-bc)+(\alpha\alpha+\beta\beta)(aa+bb),$$

qui etiam est summa duorum quadratorum $(c+\alpha a-\beta b)^2+(d+\alpha b+\beta a)^2$.

549. Verum haec altius sunt petenda; dico ergo primo, si divisor $aa+bb$ sit numerus primus, per quem forma $pp+qq$ sit divisibilis, quotum esse summam duorum quadratorum; quod etsi in genere verum est, existente $aa+bb$ etiam numero composito, tamen demonstratio ab hoc casu derivanda videtur.

550. Cum a et b sint numeri primi inter se, ad eos p ita referri potest, ut sit $p=ma-nb$, idque infinitis modis, jam si esset $q=na+mb$, foret utique $\frac{pp+qq}{aa+bb}=mm+nn$; at si non sit $q=na+mb$, ponatur $q=na+mb+s$, eritque

$$pp+qq=(aa+bb)(mm+nn)+2s(na+mb)+ss.$$

551. Cum ergo $2s(na+mb)+ss$ sit divisibile per $aa+bb$, vel s, vel $s+2(na+mb)$ divisibile sit necesse est. Priori casu ponatur $s=t(aa+bb)$, erit

$$\frac{pp+qq}{aa+bb} = mm + nn + t\,(t\,(aa+bb) + 2\,(na+mb))$$
$$= mm + 2mbt + ttbb + nn + 2nat + aatt = (m+bt)^2 + (n+at)^2,$$

ideoque summa duorum quadratorum.

habebimus utique, numero x tanquam postremo horum numerorum $a, b, c, d, \ldots x$ spectato

$$\frac{a^n}{(a-b)(a-c)(a-d)\ldots(a-x)} + \frac{b^n}{(b-a)(b-c)(b-d)\ldots(b-x)} + \frac{c^n}{(c-a)(c-b)(c-d)\ldots(c-x)} + \cdots$$

$$\cdots + \frac{x^n}{(x-a)(x-b)(x-c)\ldots(x-v)} = 0,$$

denotante v numerorum illorum penultimum.

Haec est demonstratio theorematis propositi, quae neutiquam ita est obvia, ut ista veritas inter vulgares, quarum ratio facile perspicitur, referenda videatur, nisi forte alia demonstratio facilior reperiri poterit; quod autem ob eam rationem minus sperare licet, quod hoc theorema veritati non est consentaneum, nisi exponens n sit numerus integer positivus, minor multitudine factorum in singulis denominatoribus.

Cum igitur sumto pro n numero majore, summa illarum fractionum non amplius evanescat, ex ipso fonte, unde hoc theorema hausimus, pro quovis casu valorem istius summae assignare poterimus, scilicet posito factorum numero $= m - 1$, ideoque numerorum omnium propositorum $a, b, c, d, \ldots x$ multitudinem $= m$. Si fuerit $n = m - 1$, vel $n = m$, vel $n > m$ fractio in demonstratione assumta

$$\Sigma \frac{x^n}{(x-a)(x-b)(x-c)(x-d) \text{ etc.}}$$

tanquam spuria spectari debet, quae partes quasi integras in se complectatur, atque huic ipsi parti integrae summa illarum fractionum formatarum aequalis sit necesse est.

Ita casu, quo $n = m - 1$, pars integra est unitas, ideoque summa illarum fractionum $= 1$. In exemplo igitur supra tractato, ubi secundum demonstrationem signa mutari oportet, erit

$$\frac{18^5}{2700} - \frac{17^5}{1260} + \frac{15^5}{1512} - \frac{12^5}{3240} + \frac{8^5}{12600} - \frac{3^5}{113400} = 1.$$

Sin autem sit $n = m$, pars integra, ex fractione illa eruta, est $x + a + b + c + d +$ etc., seu summa omnium numerorum propositorum. Cum ergo in superiori exemplo sit summa numerorum propositorum $= 73$, erit

$$\frac{18^6}{2700} - \frac{17^6}{1260} + \frac{15^6}{1512} - \frac{12^6}{3240} + \frac{8^6}{12600} - \frac{3^6}{113400} = 73.$$

Hinc facile colligitur, quomodo hae summae ulterius sint inveniendae. Numerorum scilicet propositorum $a, b, c, d, \ldots x$ primo sumatur summa, quae sit $= P$, tum summa productorum ex binis, quae sit $= Q$, porro summa productorum ex ternis, quae sit $= R$, item ex quaternis $= S$, ex quinis $= T$, et cetera, quo facto formetur series

$$1 + \mathfrak{A} + \mathfrak{B} + \mathfrak{C} + \mathfrak{D} + \text{etc.,} \qquad \text{ut sit}$$

$$\mathfrak{A} = P, \quad \mathfrak{B} = \mathfrak{A}P - Q, \quad \mathfrak{C} = \mathfrak{B}P - \mathfrak{A}Q + R, \quad \mathfrak{D} = \mathfrak{C}P - \mathfrak{B}Q + \mathfrak{A}R - S, \text{ etc.}$$

atque

casu	erit summa nostrarum fractionum
$n = m - 1$	1
$n = m$	$\mathfrak{A} = P$
$n = m + 1$	$\mathfrak{B} = P^2 - Q$
$n = m + 2$	$\mathfrak{C} = P^3 - 2PQ + R$
$n = m + 3$	$\mathfrak{D} = P^4 - 3P^2Q + 2PR + Q^2 - S$
$n = m + 4$	$\mathfrak{E} = P^5 - 4P^3Q + 3P^2R + 3PQ^2 - 2PS - 2QR + T$
	etc.

Vel si ponatur summa ipsorum numerorum $= \mathfrak{P}$, summa quadratorum $= \mathfrak{Q}$, summa cuborum $= \mathfrak{R}$, summa potestatum quartarum $= \mathfrak{S}$, quintarum $= \mathfrak{T}$ etc. erit ut sequitur

$$\mathfrak{A} = \mathfrak{P}, \qquad \mathfrak{B} = \frac{1}{2}\mathfrak{P}^2 + \frac{1}{2}\mathfrak{Q}, \qquad \mathfrak{C} = \frac{1}{6}\mathfrak{P}^3 + \frac{1}{2}\mathfrak{P}\mathfrak{Q} + \frac{1}{3}\mathfrak{R},$$

$$\mathfrak{D} = \frac{1}{24}\mathfrak{P}^4 + \frac{1}{4}\mathfrak{P}^2\mathfrak{Q} + \frac{1}{8}\mathfrak{Q}^2 + \frac{1}{3}\mathfrak{P}\mathfrak{R} + \frac{1}{4}\mathfrak{S}, \text{ etc.}$$

qui valores hac lege progrediuntur, ut sit:

$$\mathfrak{A} = \mathfrak{P}$$

$$\mathfrak{B} = \frac{1}{2}(\mathfrak{P}\mathfrak{A} + \mathfrak{Q})$$

$$\mathfrak{C} = \frac{1}{3}(\mathfrak{P}\mathfrak{B} + \mathfrak{Q}\mathfrak{A} + \mathfrak{R})$$

$$\mathfrak{D} = \frac{1}{4}(\mathfrak{P}\mathfrak{C} + \mathfrak{Q}\mathfrak{B} + \mathfrak{R}\mathfrak{A} + \mathfrak{S})$$

etc.

Theorematis nostri veritate stabilita, haud abs re fore arbitror, si indolem formularum, circa quas theorema versatur, accuratius investigavero. Quaeritur igitur, si propositi fuerint numeri quotcunque a, b, c, d, etc., cujus indolis sit futura formula $(a-b)(a-c)(a-d)$ etc., quae ex differentiis cujusque a reliquis in se invicem multiplicatis producitur. Sit igitur multitudo horum numerorum propositorum $= n$, et assumta quantitate indefinita z, inde formo hoc productum

$$(z-a)(z-b)(z-c)(z-d)(z-e) \text{ etc.}$$

quod multiplicatione evolutum praebeat

$$z^n - \mathfrak{A}z^{n-1} + \mathfrak{B}z^{n-2} - \mathfrak{C}z^{n-3} + \mathfrak{D}z^{n-4} - \text{etc.}$$

Dividendo ergo per $z-a$ habebimus

$$(z-b)(z-c)(z-d) \text{ etc.} = \frac{z^n - \mathfrak{A}z^{n-1} + \mathfrak{B}z^{n-2} - \mathfrak{C}z^{n-3} + \text{etc.}}{z-a}$$

Quod si jam hic ponamus $z = a$, orietur ea ipsa forma $(a-b)(a-c)(a-d)$ etc. quam supra littera A indicavi. Tum vero ad alteram partem tam numerator quam denominator in nihilum abit, ejusque propterea valor erit

$$na^{n-1} - (n-1)\mathfrak{A}a^{n-2} + (n-2)\mathfrak{B}a^{n-3} - (n-3)\mathfrak{C}a^{n-4} + \text{etc.}$$

qui cum sit

$$a^n - \mathfrak{A}a^{n-1} + \mathfrak{B}a^{n-2} - \mathfrak{C}a^{n-3} + \mathfrak{D}a^{n-4} - \text{etc.} = 0,$$

. . . .

(Conclusione caret.)

X.

Fragmenta arithmetica ex Adversariis mathematicis(*) depromta.

A. Divisores numerorum.

a) De numeris formae mxx + nyy eorumque divisoribus.

1.

(J. A. Euler.)

THEOREMA. Si formula $mxx+nyy$ casu $x=a$ et $y=b$ praebeat numerum primum α, tunc omnes numeri primi in formula $\alpha \pm 4mnp$ contenti simul erunt numeri formae $mxx+nyy$. Quin etiam omnes numeri primi in hac formula $\alpha qq \pm 4mnp$ contenti simul erunt numeri formae $mxx+nyy$.

NB. Demonstratio adhuc desideratur. A. m. T. I. p. 13.

2.

(Lexell.)

Si formula $mxx+nyy$ divisibilis fuerit per numerum integrum i, infinitae aliae similes formulae per eundem divisibiles exhiberi possunt.

In genere enim haec formula $m(\alpha x \pm \beta i)^2 + n(\alpha y \pm \gamma i)^2$ per i erit divisibilis, quicunque numeri integri pro α, β, γ accipiantur; semper autem numeros α, β, γ ita accipere licebit, ut quadratorum radices ambae $\alpha x - \beta i$ et $\alpha y - \gamma i$ infra $\frac{1}{2}i$ deprimantur, quin etiam altera $\alpha x - \beta i$ ad unitatem revocari poterit, quum enim numeri x et i dentur pro fractione $\frac{i}{x}$, quaeratur in numeris minoribus fractio illi proxime aequalis $\frac{\alpha}{\beta}$, ita ut sit $\alpha x - \beta i = \pm 1$, quo casu invento sit altera radix $\alpha y - \gamma i = r$, atque hi duo valores $x=1$ et $y=r$ quasi principales spectentur, tum vero reliqui ordine in hac tabella exhibentur:

x	y
1	r
2	$2r-\delta i$
3	$3r-\delta i$
4	$4r-\delta i$
5	$5r-\delta i$

Jam pulchra hic occurrit quaestio, quinam horum valorum pro x et y producturi sint minimam formulam $mxx+nyy$, quae cum minor sit quam $\frac{1}{4}(m+n)ii$, quotus certe minor erit quam $\frac{1}{4}i(m+n)$, ideoque erit vel 1, vel 2, vel 3 etc.

Exempli gratia, sit formula proposita $3xx+2yy$ et sumatur $x=7$, $y=2$, ac prodit numerus 155, cujus divisor sumatur $=i=31$, ut jam proxime fiat $\frac{i}{x} = \frac{31}{7} = \frac{\alpha}{\beta} = \frac{9}{2}$, sive $\alpha=9$ et $\beta=2$; tum enim fit

(*) Tomus I p. 1 ad 346, ab A. 1766 ad med. Apr. 1775; tomus II p. 1 ad 246, inde usque ad Junium 1779; tomus III p. 1 ad 184, inde usque ad mortem Euleri, 1783.

$$\alpha x - \beta i = 63 - 62 = +1, \text{ et altera radix } \alpha y - \gamma i = 18 - 31 = -13 = r,$$

unde fiat sequens tabula:

x	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7
y	13,	5,	8,	10,	3,	15,	2.

Minima formula hinc nascens erit secunda: $3.2^2 + 2.5^2 = 62$, quod per 31 divisum dat quotum minimum 2.

A. m. T. I. p. 94. 95.

3.

Theorema. Si fuerit numerus primus formae $p = 8n + 5$, constat semper dari formam $aa + 1$ per illum numerum p divisibilem, tum vero nulla hujusmodi forma $xx \pm ayy$ unquam erit per p divisibilis. Contra autem pro numeris primis formae $p = 8n + 1$ datur etiam forma $aa + 1$ per p divisibilis, tum vero dabuntur formulae $xx \pm ayy$ per p divisibiles.

Demonstratio eo nititur fundamento, quod priori casu numerus a semper sit non-residuum, in posteriori vero residuum; illud autem inde ostenditur, quod numerus residuorum sit $4n + 2$, inter quos quilibet numerus utroque signo + et — occurrit, unde multitudo diversorum residuorum erit $2n + 1$, scilicet impar; sin autem numerus ille a inter residua esset, haec multitudo prodiret par, quod esset absurdum.

A. m. T. I. p. 114.

4.

(*N. Fuss I.*)

Theorema. Si formula $naa + bb$ divisibilis sit per numerum p, semper dari poterit formula $n + qq$ divisibilis per eundem numerum p, ita ut $q < \frac{1}{2}p$.

Demonstratio. Quaeratur primo formula generalis $nxx + yy$ per numerum p divisibilis, quod fit sumendo $x = \alpha a - \beta p$ et $y = \alpha b - \gamma p$; tum enim ista formula erit $\alpha\alpha(naa + bb) - 2p(na\alpha\beta + \alpha b\gamma) + pp(n\beta\beta + \gamma\gamma)$, quae ergo per p est divisibilis. Jam semper numeros α et β ita accipere licebit, ut fiat $\alpha a - \beta p = 1$, ideoque $x = 1$, quaerendo scilicet fractionem $\frac{\alpha}{\beta}$ proxime aequalem ipsi $\frac{p}{a}$. Cum igitur sit $y = \alpha b - \gamma p$, numerum γ semper ita accipere licebit, ut fiat y non solum minus quam p, sed etiam minus quam $\frac{1}{2}p$.

Problema. Quando formula $naa + bb$ divisibilis est per numerum p, quotum ex divisione resultantem per formulam integram exprimere.

Solutio. Cum igitur detur numerus q, ut sit $n + qq$ divisibile per p, ponatur $\frac{n + qq}{p} = r$ sumaturque $b = qa + pd$ eritque $naa + bb = naa + qqaa + 2pqad + ppdd$, quae ob $n = pr - qq$ abit in $p(raa + 2qad + pdd)$, quae ergo per p divisa dat $raa + 2qad + pdd$. Quod autem poni possit $b = qa + pd$, sive ut $\frac{b - qa}{p}$ semper sit numerus integer, inde patet, quod etiam detur formula $n + qq$ per p divisibilis, ideoque etiam $naa + aaqq$, quarum differentia $bb - aaqq$ per p divisibilis erit, unde cum p supponatur numerus primus, vel $b + aq$, vel $b - aq$ per p divisibile, utrumvis perinde est. Quia ergo $\frac{b - qa}{p}$ integer sit $= d$, ideoque poni semper poterit $b = qa + pd$.

A. m. T. II. p. 209.

5.

Theorema. Omnis numerus primus formae $8n + 1$ semper in forma $xx + 2yy$ continetur.

Demonstratio. Sufficiet ostendisse semper exhiberi posse formam $A^2 + 2B^2$ per $8n + 1$ divisibilem. Demonstratum autem est, hanc formam $a^{8n} - b^{8n}$ semper divisibilem esse per $8n + 1$, quicunque numeri pro a et b accipiantur, scilicet primi ad $8n + 1$. Ergo $a^{4n} - b^{4n}$, vel $a^{4n} + b^{4n}$ erit divisibilis. Facile autem demonstratur non omnes numeros $a^{4n}-b^{4n}$ divisibiles esse. Dantur ergo casus, quibus forma $a^{4n}+b^{4n}$ est divisibilis. Habebitur ergo summa duorum biquadratorum divisibilis A^4+B^4. Quare cum sit $a^4+b^4=(aa-bb)^2+2aabb$, propositum est demonstratum. — Ita cum 97 in forma $8n+1$ contineatur, reperitur $97=5^2+2.6^2$.

Theorema. Omnis numerus primus formae $8n+3$ simul in forma $xx+2yy$ continetur.

Demonstratio. Iterum sufficiet ostendisse, dari formam A^2+2B^2 per $8n+3$ divisibilem. Cum igitur haec forma $a^{8n+2}-b^{8n+2}$ semper sit divisibilis, quicunque numeri pro a et b accipiantur, erit vel $a.a^{4n}-b.b^{4n}$, vel $a.a^{4n}+b.b^{4n}$ divisibilis. Jam sumatur $a=cc$ et $b=2dd$ ut $a.a^{4n}$ fiat quadratum A^2 et $b.b^{4n}$ duplum quadratum, puta $2B^2$, sicque vel forma A^2-2B^2, vel A^2+2B^2 divisionem admittet per $8n+1$. At vero demonstratum est, formam A^2-2B^2 alios divisores non admittere, nisi vel formae $8n+1$, vel formae $8n-1$, unde sequitur alteram formam A^2+2B^2 divisibilem esse. Ita cum sit $107=8.13+3$, reperitur esse $107=3^2+2.7^2$, hocque semper unico modo, quod ita demonstratur:

Sit $P=aa+2bb$ simulque $P=cc+2dd$, numerus P necessario est compositus. Cum enim sit

$$aa+2bb=cc+2dd, \quad \text{erit} \quad aa-cc=2(dd-bb),$$

unde sequitur $\frac{a+c}{b+d}=\frac{2(d-b)}{a-c}=\frac{p}{q}$. Erit ergo $a+c=\alpha p$ et $d+b=\alpha q$, $d-b=\beta p$ et $a-c=2\beta q$. Hinc $2a=\alpha p+2\beta q$ et $2b=\alpha q-\beta p$; quare cum $4P=4aa+2.4bb$ erit $4P=(\alpha\alpha+2\beta\beta)(pp+2qq)$, sicque $4P$ certe duos habet factores, quorum neuter unquam esse potest neque 1 neque 4; sequitur P ad minimum duos habere factores:

$$\begin{array}{ll} 3=1^2+2.1^2 & 59=3^2+2.5^2 \\ 11=3^2+2.1^2 & 67=7^2+2.3^2 \\ 19=1^2+2.3^2 & 83=9^2+2.1^2 \\ 43=5^2+2.3^2 & 107=3^2+2.7^2. \end{array}$$

Notandum hic, praeter casum primum, in omnibus reliquis alterum quadratum semper per 9 esse divisibile.

— A. m. T. III. p. 180. 181.

6.

Theorema. Propositis numeris quibuscunque a, b, c, d, si numerus formae $abpp+cdqq$ multiplicetur per numerum formae $acrr+bdss$, tum productum semper continebitur in hac forma $bcxx+adyy$.

Demonstratio facile patet. Sumto enim $x=apr+dqs$ et $y=bps-cqr$, postrema forma $bcxx+adyy$ reperitur productum binarum praecedentium. A. m. T. III. p. 182.

(*Golovin.*)

Theorema. Productum ex duabus hujusmodi formulis $aa+ab+bb$ et $cc+cd+dd$ semper ad similem formam $xx+xy+yy$ reduci potest. Est enim duplici modo

$$\text{vel} \quad x=ac+b(c+d) \quad \text{et} \quad y=ad-bc$$

$$\text{vel etiam} \quad x=ad+b(c+d) \quad \text{et} \quad y=ac-bd.$$

Ita si fuerit $a=3$ et $b=2$, tum vero $c=1$ et $d=5$, erit $aa+ab+bb=19$ et $cc+cd+dd=31$; prior igitur resolutio dat $x=15$ et $y=13$, hincque $xx+xy+yy=589$.

A. m. T. II. p. 204.

(*Lexell.*)

Theorema. Si formula $\alpha aa+2\beta ab+\gamma bb$ per aliam sui similem $\alpha pp+2\beta pq+\gamma qq$ multiplicetur, productum prodit hujus formae

$$xx+2\beta xy+\alpha\gamma yy \quad \text{eritque} \quad x=\alpha ap-\gamma bq \quad \text{et} \quad y=aq+bp+\frac{2\beta}{\alpha}bq.$$

Corollarium. Ita si fuerit $\alpha=1$, $2\beta=1$ et $\gamma=1$, erit $(aa+ab+bb)(pp+pq+qq)=xx+xy+yy$ existente $x=ap-bq$ et $y=aq+bp+bq$.

Nota Editorum. Casum specialem, quo $\beta=0$, vide Comment. arithm. T. II, p. 201.

A. m. T. I. p. 26.

Theorema. Si formula $aαpp + bβqq$ ducatur in formulam $abrr + αβss$, productum erit:

$$ab(aαpprr + ββqqss) + aβ(αappss + bbqqrr) = ab(apr \pm βqs)^2 + aβ(αps \pm bqr)^2,$$

hujus ergo producti forma est $abxx + aβyy$ existente $x = apr \pm βqs$ et $y = αps \pm bqr$.

(Conf. pro casu $a = b = 1$ Comment. arithm. T. II, p. 201.)

Problema. Formulam $aαxx + bβyy$ in aliam ejusdem generis transformare.

Solutio. Ponatur $x = bmp + βnq$ et $y = anp - αmq$ et prodibit

$$aαbbmmpp + aαββnnqq + bβaannpp + bβααmmqq = abmm(αbpp + αβqq) + aβnn(αβqq + abpp) =$$
$$(abmm + aβnn)(αbpp + αβqq).$$

A. m. T. I. p. 130.

7.

(*N. Fuss I.*)

Theorema. Si numerus formae $xx + nyy$ divisibilis fuerit per numerum $pp + nqq$, quotus semper erit numerus ejusdem formae $A^2 + nB^2$.

Demonstratio. Cum numeri x et y ad $pp + nqq$ debeant esse primi, et p et q quoque sint primi inter se, quicunque fuerint numeri x et y, semper per p et q ita repraesentari possunt, ut sit $x = αp + βq$ et $y = γp + δq$. Hoc modo formula $xx + nyy$ abit in hanc: $pp(αα + nγγ) + qq(ββ + nδδ) + 2pq(αβ + nγδ)$, quae per $pp + nqq$ divisa praebeat quotum $Δ$, ita ut sit

$$pp(αα + nγγ) + qq(ββ + nδδ) + 2pq(αβ + nγδ) = Δpp + nΔqq.$$

Hinc igitur patet fore $Δ = αα + nγγ$, $nΔ = ββ + nδδ$ et $αβ + nγδ = 0$, unde jam patet formam ipsius $Δ$ esse $αα + nγγ$. Tum etiam erit $nΔ = ββ + nδδ$ et $αβ + nγδ = 0$. Ex ultima fit $\frac{β}{δ} = \frac{-nγ}{α}$. Ponatur ergo

$$δ = αf \text{ et } β = -nγf, \text{ erit } ββ + nδδ = nff(αα + nγγ) = nΔ, \text{ unde } Δ = ff(αα + nγγ).$$

Cum igitur sit $Δ = αα + nγγ$, sequitur fore $f = \pm 1$. His valoribus fit

$$x = αp \mp nγq \text{ et } y = γp \pm αq.$$

Hinc fit $xx + nyy = pp(αα + nγγ) + nqq(αα + nγγ) = (pp + nqq)(αα + nγγ)$,

sicque quotus uti jam vidimus $Δ = αα + nγγ$.

A. m. T. III. p. 184.

8.

Theoremata demonstranda. I. Si fuerit $4na + bb$ numerus primus, erit semper hujus formae $xx - ayy$.

II. Si fuerit $4na - bb$ numerus primus, erit semper hujus formae $ayy - xx$.

A. m. T. II. p. 154.

9.

Theorema. Si numerus $mnff + gg$ divisorem habeat primum $p = \frac{maa + nbb}{Δ}$, tum etiam quotus q, ex hac divisione ortus, erit quoque ejusdem formae scilicet $q = \frac{mcc + ndd}{Δ}$.

Explicatio. Quaerantur primo duo numeri $λ$ et $μ$, ut sit $λa - μp = \pm 1$; deinde ut formula $mnff + gg$ divisorem admittat p, alteram litteram f pro lubitu accipere licet, tum vero altera g ita esse debet comparata, ut sit $g = nλbf - νp$, quibus notatis cum sit $mnff + gg = pq$ existente $q = \frac{mcc + ndd}{Δ}$, litterae c et d sequenti modo determinantur

$$c = nμbf - νa \text{ et } d = mμaf + νb - λΔf.$$

A. m. T. II. p. 211.

b) De divisoribus numerorum formae $fa^n + gb^n$.

10.

(Lexell.)

Problema. Si formula $fa^n + gb^n$ divisorem habeat d, invenire infinitas alias similes formas $fx^n + gy^n$ per eundem numerum d divisibiles.

Solutio. Capiatur $x = ma \pm \mu d$, et $y = mb \pm \nu d$, et quaesito satisfiet; si enim μ et $\nu = 0$, res est manifesta; sin autem multipla ipsius d accedant, omnes termini post primos ex evolutione nati, per se sunt divisibiles per d.

Problema. Invenire omnes divisores primos formulae $x^4 + y^4$. Cum haec formula sit factor hujus $x^8 - y^8$, demonstratum est, omnes ejus divisores contineri in forma $8n+1$, quod etiam hoc modo ostenditur: Cum formae $a^2 + b^2$ omnes divisores sint formae $4n+1$, ponamus formulae $aa + bb$ divisorem primum esse $4n+1 = d$; tum ergo etiam omnes formulae $xx + yy$ per eundem numerum erunt divisibiles sumendo $x^2 = ma \pm \mu d$, $y^2 = mb \pm \nu d$.

Pro nostro ergo casu hi ambo numeri debent esse quadrati. Pro priore sumto $\mu = 0$, hoc fiet si $m = app$, ut fiat $x = ap$. Superest ergo, ut et haec forma $y^2 = abpp \pm \nu d$ fiat quadratum, idque sive positivum sive negativum. Ponatur ergo $abpp \pm \nu d = \pm qq$ et res huc redit, ut $abpp \pm qq$ divisibile fiat per d, et quia statui potest $a^2 + b^2 = d$, quaeritur ergo quibus casibus formula $abpp \pm qq$ divisibilis fieri possit per d. Varios ergo casus evolvamus:

I. Sit $d = 5$, erit $a = 2$ et $b = 1$, unde formula $2pp \pm qq$ divisorem habere deberet 5, id quod fieri nequit, neque vero 5 continetur in forma $8n+1$; atque hinc vicissim concludere possumus, neque $2pp + qq$, nec $2pp - qq$ unquam divisibile esse per 5.

II. Sit $d = 13$, erit $a = 2$ et $b = 3$, et nunc quaeritur an formula $6pp \pm qq$ divisibilis esse possit per 13, id quod negari debet, quia 13 non est formae $8n+1$.

III. Sit $d = 17$, erit $a = 1$ et $b = 4$, nunc quaeritur an $4pp \pm qq$ divisibilis esse possit per 17, quod utique affirmandum, verum est etiam $17 = 8n+1$.

IV. Sit $d = 29$ erit $a = 2$ et $b = 5$, et quaeritur an $10pp \pm qq$ divisibilis esse possit per 29, quod quia 29 non est $8n+1$, negari debet.

Corollarium 1. Hic ergo distingui oportet duos casus, prouti existente b numero impari, numerus a fuerit vel impariter par, vel pariter par. Priori casu divisor d non erit formae $8n+1$, sed formae $8n+5$, ideoque hic casus est excludendus. Sit igitur

$$a = 4\alpha \pm 2 \quad \text{et} \quad b = 4\beta \pm 1, \quad \text{eritque} \quad aa + bb = 16(\alpha^2 + \beta^2) \pm 16\alpha \pm 8\beta + 5.$$

Ergo per talem divisorem nunquam divisibilis erit haec forma $(16\alpha\beta \pm 4(\alpha \pm 2\beta) \pm 2)pp \pm qq$. Per numerum ergo primum $16(\alpha^2 + \beta^2) + 16\alpha + 8\beta + 5$ talis formula $16\alpha\beta + 4(2\beta + \alpha) + 2$ nunquam est divisibilis.

Corollarium 2. Sin autem manente $b = 4\beta + 1$ (ubi β etiam negative capere licet) sit $a = 4\alpha$, erit $aa + bb = 16(\alpha\alpha + \beta\beta) + 8\beta + 1$, et nunc certi sumus, dari formulas $4\alpha(4\beta + 1)pp \pm qq$, quae divisorem habeant $16(\alpha\alpha + \beta\beta) + 8\beta + 1$.

Corollarium 3. Si igitur verum est, omnes numeros primos formae $8n+1$ divisores esse posse formulae $x^4 + y^4$, sequitur nostram formulam $16(\alpha^2 + \beta^2) + 8\beta + 1$ omnes plane numeros $8n+1$ in se continere siquidem fuerint primi. Aequemus ergo has formas et reperimus

$$n = 2(\alpha^2 + \beta^2) \pm \beta,$$

ubi n denotat omnes plane numeros saltem eos, qui faciunt $8n+1$ primos:

0,	2,	8,	18,	32,	50,	72,	98
1,	4,	11,	22,	37,	56,	79,	106
1,	2,	7,	16,	29,	46,	67,	92

sive $2(\alpha^2+\beta^2)\pm\beta=$	0,	1,	3,	6,	10,	15,	21,	38,	36,	45,	55,	66,	78,	91,	105
	2,	3,	5,	8,	12,	17,	23,	30,	38,	47,	57,	68,	80,	93,	107
	8,	9,	11,	14,	18,	23,	29,	36,	44,	53,	63,	74,	86,	99	
	18,	19,	21,	24,	28,	33,	39,	46,	54,	63,	73,	84,	96,	109	
	32,	33,	35,	38,	42,	47,	53,	60,	68,	77,	87,	98			
	50,	51,	53,	56,	60,	65,	71,	78,	86,	95					
	71,	72,	74,	77,	81,	86,	92,	99	. . . .						
	98,	99													

Hic omnes numeri non occurrunt, sed excluduntur 4, 7, 13, 16, 20, 22, 25, 26, 27, etc. at vero ex his omnibus $8n+1$ non fit primus.

Si igitur A denotet numerum impariter parem $4n+2$ et B numerum pariter parem sive $4n$, et C numerum imparem $2n+1$, tum haec duo habentur theoremata:

I. Per numerum primum A^2+C^2 neutra formula $ACpp\pm qq$ unquam dividi potest; neque etiam summa duorum biquadratorum, unde sequitur, si singula quadrata per A^2+C^2 dividantur, tum in residuis neque $+AC$, neque $-AC$ occurrere, sed certo esse non-residua.

II. Sin autem divisor primus fuerit B^2+C^2, tum semper datur formula $BCpp\pm qq$ per eum divisibilis, ac propterea etiam summa duorum biquadratorum, atque in residuis quadratorum, per eundem numerum primum B^2+C^2 divisorum, tam $+BC$, quam $-BC$ reperientur.

Problema. Invenire omnes divisores primos formulae fx^4+gy^4.

Cum omnes constent divisores formulae $faa+gbb$, qui sive in formula $f\alpha\alpha+g\beta\beta$, sive in hac $\alpha\alpha+fg\beta\beta$ continentur, sit quilibet eorum $=d$, per quem formula $faa+gbb$ sit divisibilis; tum sumto $X=ma\pm\alpha d$ et $Y=mb\pm\beta d$, ut formula fX^2+gY^2 etiam per d fiat divisibilis, jam reddatur primo X quadratum, quod fit si $m=app$; tum vero erit $Y=abpp\pm\beta d$, quod etiam quadratum reddi debet, quod sit $\pm qq$, et nunc oportet, ut $abpp\pm qq$ divisibile fiat per d, eritque $Y=\pm qq$ et $X=aapp$, quare sumto $x=ap$ et $y=q$ fiet fx^4+gy^4 per d divisibile. Huc ergo redit quaestio: quibus casibus formula $abpp\pm qq$ dividi queat per memoratum divisorem d, qui est vel $f\alpha\alpha+g\beta\beta$, vel $\alpha\alpha+fg\beta\beta$.

Exemplum 1. Sit $f=1$ et $g=2$, ideoque $d=\alpha\alpha+2\beta\beta$, qui numeri sunt vel $8n+1$, vel $8n+3$, quos valores percurramus. Sit

I. $d=3$, per quem formula $aa+2bb$ divisibilis fit; si $a=1$ et $b=1$, unde quaeritur an formula $pp\pm qq$ divisibilis fieri queat per 3, quod cum eveniat, etiam 3 erit divisor formulae x^4+2y^4.

II. Sit $d=11$, erit $a=3$ et $b=1$, hinc nostra formula $3pp\pm qq$ divisibilis per 11, at ipsius $3pp+qq$ divisores sunt formae $12n+1$, $12n+7$, formulae autem $3pp-qq$ divisores sunt vel $12n+1$, vel $12n-1$, ideoque postremus casus quaestioni satisfacit, ergo datur formula x^4+2y^4 per 11 divisibilis.

III. Sit $d=17$, $a=3$, $b=2$, ergo formula nostra per 17 divisibilis erit $6pp\pm qq$, at prior $6pp+qq$ non est divisibilis, neque etiam posterior, unde sequitur nullam formam x^4+2y^4 dividi posse per 17.

IV. Sit $d=19$, erit $a=1$ et $b=3$ et formula per 19 divisibilis erit $3pp\pm qq$, id quod fieri potest ponendo ex. causa $p=1$ et $q=4$, hinc $x=1$ et $y=4$, atque formula x^4+2y^4 erit divisibilis per 19.

V. Sit $d=41$, erit $a=3$ et $b=4$, et haec formula nostra per 41 divisibilis reddenda fit $12pp\pm qq$, sive haec $3pp\pm qq$, at 41 in nulla harum formularum $12n\pm1$, $12n+7$ continetur. Ergo non datur x^4+2y^4 per 41 divisibilis.

VI. Sit $d=43$, erit $a=5$ et $b=3$, hinc formula per 43 divisibilis $15pp\pm qq$, sive etiam $5pp\pm3qq$, id quod succedit, cum sit $43=3.4^2-5.1^2$, ergo datur forma x^4+2y^4 per 43 divisibilis. Si $x=ap=20$, $y=5$, sive $x=4$, $y=1$.

VII. Sit $d = 59$, erit $a = 3$ et $b = 5$, hinc formula $15pp \pm qq$, sive $5pp \pm 3qq$, ubi manifesto $15.2^2 - 1$, ergo $x = 6$, $y = 1$, et formula $x^4 + 2y^4$ per 59 divisibilis.

Corollarium 1. Videtur ergo, quoties fuerit $d = 8n + 3$, tum fore divisorem formae $x^4 + 2y^4$, nec non et hujus $abpp \pm qq$, at vero tum fiunt ambo numeri a et b impares; quoties ergo $aa + 2bb$ fuerit numerus primus, semper datur formula $abpp \pm qq$ per eum divisibilis, sive inter residua quadratorum reperietur vel $+ab$, vel $-ab$.

Corollarium 2. Contra autem non omnes numeri $8n + 1$ excluduntur, quia numerus $113 = 3^4 + 2.2^4$.

VIII. Sit $d = 67$, $a = 7$, $b = 3$, formula $21pp \pm qq$, vel $7pp \pm 3qq$, $p = 5$, $q = 6$, vel $x = 35$, $y = 18$.

Exemplum 2. Sumatur $f = 1$ et $g = 3$, ut quaerantur divisores formulae $x^4 + 3y^4$ et divisor d erit $aa + 3bb$, erit ergo vel formae $12n + 1$, vel $12n + 7$.

I. Sit $d = 7$, erit $a = 2$ et $b = 1$, et formula $\frac{2pp \pm qq}{7}$, quod succedit quia $7 = 2.2^2 - 1$, unde $p = 2$, $q = 1$, $x = 4$, $y = 1$.

II. Sit $d = 13$, erit $a = 1$ et $b = 2$ et formula $\frac{2pp \pm qq}{13}$, quae est impossibilis.

III. Sit $d = 19$, erit $a = 4$ et $b = 1$ et formula $\frac{4pp \pm qq}{19}$, quae succedit: $p = 9$, $q = 1$, $x = 36$ et $y = 1$.

IV. Sit $d = 31$, erit $a = 2$ et $b = 3$ et formula $\frac{6pp \pm qq}{31}$, vel $\frac{3pp \pm 2qq}{31}$, $x = 18$, $y = 5$.

V. Sit $d = 37$, erit $a = 5$ et $b = 2$ et formula $\frac{10pp \pm qq}{37}$, vel $\frac{5pp \pm 2qq}{37}$, $p = 1$, $q = 8$, $x = 5$, $y = 8$.

VI. Sit $d = 43$, erit $a = 4$ et $b = 3$ et formula $\frac{12pp \pm qq}{43}$, vel $\frac{3pp \pm qq}{43}$, $x = 12$, $y = 8$, $x = 3$, $y = 2$.

Hic igitur maxime est mirandum, quod solus numerus 13 hic sit exclusus.

Problema superius de divisoribus $fx^4 + gy^4$ ita concinnius resolvitur:

Sit d divisor hujus formulae, qui necessario erit divisor talis formulae $fa^2 + gb^2$. Cum igitur hae duae formulae $faa + gbb$ et $fx^4 + gy^4$ habere debeant communem divisorem d, multiplicetur prior per x^4 et posterior per aa, horumque productorum differentia, quae est $gbbx^4 - gaay^4 = g(bx^2 - ay^2)(bx^2 + ay^2)$ etiam nunc erit divisibilis per d; unde si d sit numerus primus, per quem neque f, neque g divisibilis esse potest, ob

$$bbx^4 - aay^4 = (bx^2 + ay^2)(bx^2 - ay^2),$$

necesse est, ut horum factorum alter $bx^2 \pm ay^2$ sit divisibilis per d. Quare proposito numero primo d, qui dividat formulam $faa + gbb$, quoties assignari poterit formula $bxx \pm ayy$ per d divisibilis, tunc etiam formula $fx^4 + gy^4$ per eundem numerum d divisibilis erit.

Corollarium. Si datur formula $bxx \pm ayy$ per d divisibilis, etiam haec formula $zz \pm abyy$ divisibilis erit sumto $z = bx$; hoc autem eveniet, si inter residua quadratorum per d divisorum, occurrat numerus $\pm ab$.

Theorema. Quoties divisor primus d fuerit formae $4n - 1$, isque dividat formulam $faa + gbb$, tum semper dabitur formula $fx^4 + gy^4$ per d divisibilis.

Demonstratio. Cum divisor d sit formae $4n - 1$, sive $4n + 3$, si quadrata singula per eum dividantur, inter residua omnes plane numeri occurrent, sive signo plus, sive minus affecti, ergo etiam occurret numerus vel $+ab$, vel $-ab$, dabitur ergo formula $zz \pm abyy$, ideoque etiam $bxx \pm ayy$ per d divisibilis.

Corollarium. At si d fuerit formae $4n + 1$, quia in residuis quadratorum non omnes numeri occurrunt, sed semissis adeo penitus excludatur, sive positive, sive negative capiantur, utique fieri potest, ut $\pm ab$ inter ea non occurrat et tum nulla dabitur formula $fx^4 + gy^4$ per d divisibilis. Observatum autem est (nondum vero demonstratum) omnes divisores formulae $axx \pm byy$ contineri in tali forma $4abn + kk$.

*

Hic jam duo occurrunt casus considerandi, prout vel ambo numeri a et b sunt impares, vel unus par et alter impar. Priori casu, semper possibile videtur, ut divisor d in hac forma contineatur; at vero si a fuerit numerus par, puta $2c$, forma divisorum erit $8bcn+kk$, quae reducitur ad formam $8n+1$. Quoties ergo hoc casu divisor d formam habet $8n+5$, tum casus est impossibilis, unde sequitur haec conclusio:

Quoties ergo $d=8n+5$ *fuerit divisor formulae* $faa+gbb$, *insuperque alteruter numerorum* a *et* b *par, tum nulla dabitur formula* fx^4+gy^4 *per* d *divisibilis.*

Theorema. Si numerus primus formae $4n+3$ dividat formulam $faa+gbb$, sive $aa+fgbb$, tum nulla dabitur formula $faa-gbb$, sive $aa-fgbb$ per d divisibilis.

Demonstratio. Si enim formula $aa+fgbb$ divisibilis sit per d, tum inter residua quadratorum reperietur $-fg$, at fg erit non-residuum, unde etiam nulla formula $aa-fgbb$ divisibilis erit per d.

Theorema. Si numerus primus formae $4n+1$ dividat formulam $faa+gbb$, sive $aa+fgbb$, tum etiam semper dabitur formula $faa-gbb$, sive $aa-fgbb$ divisibilis per d.

Demonstratio. Quia d dividit formulam $aa+fgbb$, in residuis quadratorum occurret $-fg$, ideoque ob formam $4n+1$, ibidem quoque occurret $+fg$, ergo dabitur formula $faa-gbb$, sive $aa-fgbb$ itidem per d divisibilis.

Corollarium. Quoties ergo evenit, ut formulae $faa+gbb$ divisor $d=4n+1$, non simul dividat formulam fx^4+gy^4, tum quia idem divisor est quoque formulae $faa-gbb$, forte erit divisor formulae fx^4-gy^4. Hoc autem secus evenit casu $f=1$, $g=2$ et $d=17$. Etsi enim $17=3^2+2.2^2$ et simul $17=2.3^2-1$, tamen neutra harum formularum x^4+2y^4 et x^4-2y^4 per 17 est divisibilis. Quo hoc accuratius scrutemur, consideremus residua ex divisione biquadratorum nata pro divisoribus $4n+1$, quae semper tantum numero n.

Divisor	Residua
5	1
13	1, 3, 9
17	$+1$, $+4$
	-1, -4
29	$+1$, $+7$, $+20$
	-4, -5, -6, -13
37	$+1$, $+7$, $+9$, $+10$, $+12$, $+16$
	-3, -4, -11
41	$+1$, $+4$, $+10$, $+16$, $+18$
	-1, -4, -10, -16, -18

Hinc ergo discimus, si divisor fuerit formae $8n+5$, tum numerum residuorum esse $2n+1$, ideoque imparem, unde nullum utroque signo occurrit, unde, si formula fx^4+gy^4 fuerit divisibilis, altera fx^4-gy^4 certe non erit divisibilis, quod autem vicissim non valet, quia numerus non-residuorum triplo major est, quam residuorum. Pro tali ergo divisoris forma vel neutra formularum $fx^4\pm gy^4$, vel unica saltem est divisibilis.

At si divisor fuerit formae $8n+1$, quodvis residuum utroque signo affectum occurrit, unde si una harum formularum fuerit divisibilis, etiam altera erit divisibilis, sive vel utraque, vel neutra divisibilis erit. Hinc sequitur *primo* si divisor primus $=8n+5$ dividat formulam $faa+gbb$, quo casu etiam dividet formulam $fa'a'-gb'b'$, illinc autem pro biquadratis formula $axx\pm byy$ per d fuerit divisibilis, tum certe formula $a'x^2\pm b'y^2$ non erit divisibilis. *Deinde* si fuerit $d=8n+1$ et dividat tam formulam $faa+gbb$ quam $fa'a'-gb'b'$, tum si formula $axx\pm byy$ fuerit divisibilis, certe etiam altera $a'xx\pm b'yy$ erit divisibilis, et si illa non erit, etiam haec non erit.

A. m. T. I. p. 218 — 223.

11.

(*N. Fuss I.*)

Problema. Invenire omnes summas binorum biquadratorum x^4+y^4, quae sint divisibiles per datum numerum primum formae $8m+1=\Delta$.

Solutio. Cum haec formula x^n+y^n alios divisores non admittat nisi formae $2in+1$, sequitur formulam x^4+y^4 alios divisores habere non posse nisi formae $8i+1$. Tales autem numeri sunt

17, 41, 73, 89, 97, 113, 137, 193, 233, 241, 257, 281, 313, 337, 353, 401, etc.

qui numeri cum omnes sint summae duorum quadratorum, sit $\Delta=aa+bb$. Deinde cum alter numerorum x et y pro lubitu accipi queat, sumatur $x=a$, et pro y inveniendo quaeratur numerus quadratus formae $i\Delta\pm ab$, qui sit pp atque sumi poterit $y=p$, vel in genere $y=\alpha\Delta\pm p$. Cum enim sit $pp=i\Delta\pm ab$, neglecto multiplo ipsius Δ, quippe quod semper adjici potest, erit $y^4=p^4=aabb$, hinc ergo erit $x^4+y^4=aa(aa+bb)=aa\Delta$, ideoque x^4+y^4 divisorem habebit Δ. Idem valor $y=p$ valet quoque pro $x=b$; tum enim erit

$$x^4+y^4=bb(aa+bb)=bb\Delta.$$

Praeter p autem dabitur alius valor q, ut sit $p:q=a:b$, ideoque $q=\frac{bp}{a}$, sive $q=\frac{bp+i\Delta}{a}$; unde valor ipsius q semper erit integer. Sumto enim

$$x=a \text{ et } y=q=\frac{bp}{a}, \text{ erit } x^4+y^4=a^4+\frac{b^4p^4}{a^4} \text{ et ob } p^4=aabb, \text{ erit } x^4+y^4=\frac{a^6+b^6}{aa}.$$

At vero a^6+b^6 semper habet factorem $aa+bb=\Delta$. Eodem modo patet, sumto $x=b$ et $y=q$, etiam x^4+y^4 factorem Δ esse habiturum. Sumto igitur sive a sive b pro x, tum pro y sumi poterit sive p sive q; unde patet, si pro x capiatur vel na vel nb, tum pro y sumi debere vel np vel nq, qui valores, cum semper multiplum ipsius Δ auferre liceat, omnes hos valores infra $\frac{1}{2}\Delta$ deprimere licebit. Praeterea vero ad singulos hos valores quaevis multipla ipsius Δ addi possunt. Hoc modo pro quovis divisore Δ tabula construi poterit duabus constans columnis, quarum prior binos valores ipsius x, altera vero binos ipsius y exhibebit, id quod exemplis illustremus.

I. Sit $\Delta=17=4^2+1^2$, erit $a=1$ et $b=4$. Nunc igitur erit $pp=17n\pm4$, unde statim sumi potest $n=0$ et $p=2$ et ob $1:4=p:q$ erit $q=8$. Hinc

x	y
1, 4	2, 8
2, 8	4, 1
3, 5	6, 7

ubi, quia x et y sunt permutabiles, secundi valores, utpote in primis jam contenti, omitti possunt, ita ut tabula duos tantum casus involvit, scilicet pro x, 1, 4 et 3, 5, et pro y, 2, 8 et 6, 7. Ita v. gr. sumto $x=5$, sumi poterit $y=6$; quia igitur $5^4=625$ et $6^4=1296$, erit $x^4+y^4=1921=17.113$.

II. Sit $\Delta=41=4^2+5^2$, eritque $a=4$ et $b=5$, ideoque $pp=41n\pm20$, ideoque $n=4$ et $p=12$. Jam $4:5=12:q$, ergo $q=15$. Hinc pro divisore 41 nostra tabula erit:

x	y
1, 9	3, 14
2, 18	6, 13
4, 5	12, 15
7, 19	16, 20
8, 10	11, 17

Ita sumto $x=1$ et $y=3$, erit $x^4+y^4=82=41.2$.

Simili modo tabulam construximus pro sequentibus

$\Delta = 73$

x	y
1, 27	10, 22
5, 11	23, 36
2, 19	20, 29
3, 8	30, 7
4, 35	33, 15
6, 16	13, 14
9, 24	17, 21
12, 32	26, 28
18, 25	34, 31

$\Delta = 89$

x	y
1, 34	12, 37
2, 21	15, 24
3, 13	22, 36
4, 42	30, 41
5, 8	7, 29
6, 26	17, 44
9, 39	19, 23
10, 16	14, 31
11, 18	38, 43
20, 32	27, 28
25, 40	33, 35

$\Delta = 97$

x	y
1, 22	33, 47
2, 44	3, 31
4, 9	6, 35
5, 13	29, 41
7, 40	37, 38
8, 18	12, 27
10, 26	15, 39
11, 48	25, 32
14, 17	21, 23
16, 36	24, 43
19, 30	20, 45
28, 34	42, 46

Sit $\Delta = 89$ sumto $x = 5$ et $y = 7$, erit $x^4 + y^4 = 3026 = 89 \cdot 34$.

Cum hae tabulae facillime ex positione litterarum a, b, et p, q construantur, istam positionem pro singulis divisoribus Δ hic apponamus:

Δ	a, b	p, q	Δ	a, b	p, q	Δ	a, b	p, q	Δ	a, b	p, q
17	1, 4	2, 8	193	7, 12	63, 85	353	8, 17	131, 146	569	13, 20	150, 187
41	4, 5	12, 15	233	8, 13	77, 96	401	1, 20	45, 98	577	1, 24	152, 186
73	3, 8	7, 30	241	4, 15	32, 120	409	3, 20	39, 198	593	8, 23	121, 171
89	5, 8	7, 29	257	1, 16	4, 64	433	12, 17	44, 82	601	5, 24	214, 295
97	4, 9	6, 35	281	5, 16	19, 117	449	7, 20	44, 195	617	16, 19	173, 244
113	7, 8	13, 31	313	12, 13	16, 65	457	4, 21	86, 223	641	4, 25	10, 258
137	4, 11	27, 40	337	9, 16	12, 91	521	11, 20	48, 182	673	12, 23	95, 126

Hic igitur praecipuum negotium in inventione quadrati $pp = n\Delta \pm ab$ consistit, quod autem sequenti modo haud difficulter praestabitur. Cum enim semper dentur numeri p et q, minores quam $\frac{1}{2}\Delta$, eorum complementa etiam erunt $< \Delta$, semper ergo dantur quatuor tales numeri minores quam Δ, quorum duo erunt pares et duo impares, atque cognito uno, reliqui tres facile inveniuntur.

Quaeramus igitur numerum imparem pro p et cum sit $pp = n\Delta \pm ab$, tum vero $pp < \Delta\Delta$, singulos numeros n tentando non ultra $n = \Delta$ progredi opus est. Deinde, quia $\Delta = aa + bb = 8m + 1$, numerorum a et b alter erit pariter par, alter vero impar, unde productum ab habebit vel formam $8i + 4$, vel $8i$. Pro priore casu, quo $ab = 8i + 4$, quia Δ est $8\alpha + 1$, quadrata autem imparia formam habent $8i + 1$, ut talis forma oriatur, sumi debet $n = 5$, vel $n = 8\alpha + 5$, sicque casuum examinandorum numerus octies erit minor. Pro altero casu, quo $ab = 8m$, numeri pro n sumendi erunt $1, 9, 17 \ldots 8i + 1$. Inter hos autem numeri etiam statim excludi possunt ii, qui desinunt in 3 vel 7, tum etiam ii, qui sunt formae $3i - 1$. Praeterea vero etiam ipsam formam $pp = n\Delta \pm ab$ in alias similes transformare licet. Si enim fuerit $ab + \alpha\Delta = ffA$, erit $pp = ff(n\Delta \pm A)$; tum vero si fuerit $\alpha\Delta + A = ggB$, erit etiam $pp = ffgg(n\Delta \pm B)$ et ita porro. Inter quas plurimas formas plerumque casus sponte se produnt, quibus quadrata emergunt. Ex his autem egregia theoremata deduci possunt:

I. Si fuerit $\Delta = aa + bb = 8m + 1$, haec formula $n\Delta \pm ab$ semper quadratum reddi potest.

II. Si fuerit $\Delta = aa + bb = 8m + 5$, tum ista formula $n\Delta \pm ab$ nunquam quadratum fieri potest. Ita si $\Delta = 5$, ob $a = 2$ et $b = 1$, haec forma $5n \pm 2$ nunquam esse potest quadratum, quod per se constat.

Deinde sumto $a=2$, $b=3$ et $\Delta=13$, haec forma $13n\pm6$ nunquam quadratum esse potest. Item si $\Delta=29$, ob $a=2$, $b=5$, haec forma $29m\pm10$ nunquam fit quadratum. —

Alia Solutio problematis praecedentis. Sit $8m+1=aa+bb=\Delta$ esseque oportet

$$x^4+y^4=(aa+bb)(pp+qq).$$

Jam sit proxime $\frac{a}{b}=\frac{\alpha}{\beta}$, ita ut sit $a\beta-b\alpha=\pm1$. Sit nunc $x=c$ et sumatur $p=bf\Delta+\beta cc$ et $q=af\Delta+\alpha cc$, et cum sit $xx=ap-bq$ et $yy=aq+bp$, erit $x^4+y^4=(aa+bb)(pp+qq)$, erit itaque $xx=(a\beta-b\alpha)cc=cc$ at $yy=(aa+bb)f\Delta+(a\alpha+b\beta)cc$, quod ergo esse debet quadratum. Sit nunc $cc=n\Delta+d$, fiet $yy=i\Delta\pm(a\alpha+b\beta)d$.

Exemplum 1. Sit $aa+bb=41=\Delta$, erit $a=5$ et $b=4$, hinc $\frac{5}{4}=\frac{\alpha}{\beta}$, proxime hinc $\alpha=1$ et $\beta=1$. Sumatur porro $c=1$, eritque $d=1$, ergo $yy=41i\pm9=\Box$, unde sumto $i=0$, erit $y=3$ et $x=1$, eritque $x^4+y^4=82=2.41$.

Exemplum 2. Sit $\Delta=601$, erit $a=24$ et $b=5$, tum vero $\alpha=5$ et $\beta=1$. Sumto ergo $x=1$, erit $d=1$ et $yy=601i\pm125$, hinc sumto $i=6$, erit $y=59$.

Jam x pro lubitu sumi potest, verbi gr. $x=c$, erit $y=59c\pm601i$, unde omnes valores redigi possunt infra 300. A. m. T. III. p. 171—174.

12.

De divisoribus primis formae a^4+2b^4.

Primo patet hanc formam alios divisores habere non posse, nisi qui dividant formam a^2+2b^2, qui omnes continentur vel in hac forma $8n+1$, vel in hac $8n+3$. Ac primo quidem omnes numeri primi hujus formae $8n+3$ possunt esse divisores cujuspiam numeri formae a^4+2b^4. Longe secus autem res se habet de altera forma $8n+1$. Non enim omnes numeri primi in hac forma contenti divisores esse possunt formae a^4+2b^4, sed tantum sequentes: 73, 89, 113, 233, 257, 281, 337, 353, 577, etc. Hinc ergo excluduntur hi numeri ejusdem formae: 17, 41, 97, 137, 193, 241, 313, 401, 409, 433, 449, 457, 569, etc., neque tamen ulla ratio patet, qua has duas species numerorum formae $8n+1$ a se invicem distinguere liceat.

Ad divisores formae a^4+2b^4 supra allatos et in formula $8n+1$ contentos insuper accedunt 601 et 617. Est enim 601 divisor ipsius $14^4+2.5^4$ et 617 divisor ipsius $16^4+2.7^4$.

A. m. T. III. p. 181. 182.

13.

Problema. Invenire exponentem e, ut formula a^e-b^e per datum numerum Δ fiat divisibilis, si quidem numeri a et b sint primi ad Δ.

Solutio. Sint p, q, r, s numeri primi, et considerentur sequentes casus

si $\Delta=p$, erit $e=p-1$
" $\Delta=p^2$ " $e=p(p-1)$
" $\Delta=p^3$ " $e=p^2(p-1)$
. . . .
" $\Delta=p^n$ " $e=p^{n-1}(p-1)$
" $\Delta=pq$ " $e=(p-1)(q-1)$
" $\Delta=pqr$ " $e=(p-1)(q-1)(r-1)$
" $\Delta=p^\lambda q^\mu r^\nu$ " $e=p^{\lambda-1}(p-1)q^{\mu-1}(q-1)r^{\nu-1}(r-1)$.

Corollarium 1. Hinc si loco a scribatur a^α et b^β loco b, etiam haec formula $a^{\alpha e}-b^{\beta e}$ erit per Δ divisibilis.

Corollarium 2. Hinc si exponens e divisorem habeat n, ut sit $e=dn$, tum semper dari poterit forma x^n-y^n per Δ divisibilis. Cum enim $a^{dn}-b^{dn}$ sit divisibilis, sumatur $x=a^d$ et $y=b^d$, vel etiam $x=a^d\pm\alpha\Delta$ et $y=b^d\pm\beta\Delta$, vel adhuc generalius $x=fa^d\pm\alpha\Delta$ et $y=fb^d\pm\beta\Delta$.

NB. In his formulis, ubi productum $(p-1)(q-1)(r-1)$ occurrit, sufficit ejus loco minimum commune dividuum numerorum $p-1$, $q-1$, $r-1$, scribere.

Quoniam formula x^n-y^n praeter $x-y$ nullos habet divisores, nisi in forma $\lambda n+1$ contentos, sic casu $n=5$ formae x^5-y^5, praeter $x-y$, divisores sunt $5\lambda+1$ hoc est: 11, 31, 41, 61, 71, 101, 131, etc. Si ergo proponatur formula x^5-1, eaque casu $x=a$ divisorem habeat $5\lambda+1$, eundem divisorem habebit casibus $x=a^2$, $x=a^3$, $x=a^4$, etc., sicque ex uno casu reliqui omnes deduci possunt, cum sit

$$x=a^\mu\pm M(5\lambda+1),$$

unde sequens tabula est confecta:

Div. pr. p.	Valores x	generatim
11	$1-2+4+3+5+$ etc.	$(-2)^\mu\pm 11M$
31	$1+2+4+8+16+$ etc.	$(+2)^\mu\pm 31M$
41	$1-4+16+18+10+$ etc.	$(-4)^\mu\pm 41M$
61	$1-3+9-27+20+$ etc.	$(-3)^\mu\pm 61M$
71	$1+5+25-17-14+$ etc.	$(+5)^\mu\pm 71M$
101	$1-6+36-14-17+$ etc.	$(-6)^\mu\pm 101M$
131	$1+53+58+61-42+$ etc.	$(-42)^\mu\pm 131M$
(11^2) 121	$1+3+9+27+81+$ etc.	$(+3)^\mu\pm 121M$
(11^3) 1331	$1-161+632-596+124+$ etc.	$(+124)^\mu\pm 1331M$

minimus autem valor ipsius x ex proprietate supra allata reperitur. Ita si divisor $=31$, quia $a^{30}-1$ divisorem habet 31, sumatur $x=a^6$, fiet x^5-1. Sumatur $a=2$, erit $x=64\pm 2.31$, unde minimus $=2$. Ita si $p=101$, quia $a^{100}-1$ divisibile per 101, sumatur $x^5=a^{100}$, sive $x=a^{20}\pm 101M$.

Ut formula x^6+y^6 divisibilis fiat per 37, numeri x et y ex sequenti schemate:

$$x\begin{cases}1, & 10, & 11\\ 2, & 17, & 15\\ 3, & 7, & 4\end{cases}\qquad y\begin{cases}8, & 6, & 14\\ 16, & 12, & 9\\ 13, & 18, & 5\end{cases}$$

scilicet ex eadem linea horizontali sumi debent.

At ut x^6+y^6 divisibile fiat per 61, x et y ex sequenti schemate sumuntur

$$x\begin{cases}1, & 13, & 14\\ 2, & 26, & 28\\ 4, & 9, & 5\\ 7, & 30, & 24\\ 8, & 18, & 10\end{cases}\qquad y\begin{cases}11, & 21, & 32\\ 22, & 19, & 3\\ 17, & 23, & 6\\ 16, & 25, & 20\\ 27, & 15, & 12\end{cases}$$

singulis autem his numeris adjici intelligenda est $\pm 61M$. Hinc casus simplicissimus est 2^6+3^6. Singuli autem hi terniones in unica forma comprehendi possunt, quae simplicissima est $4n$, $5n$, $9n$, vel in hac $1n$, $13n$, $14n$.

Problema. Ut formula x^6-1 divisibilis fiat per divisorem idoneum Δ, valores ipsius x definire.

Solutio. Divisor Δ necessario debet contineri in hac formula $\Delta=\frac{a^3\pm 1}{a\pm 1}$, cujus factor quicunque dabit valorem idoneum pro Δ; tum autem tres habebuntur valores principales pro x, qui sunt 1, $\pm a$, $\pm aa$, quibus adjici potest $\pm M\Delta$. Ita si sumatur $a=2$, erit $\Delta=\frac{8\pm 1}{2\pm 1}$, ideoque vel $\Delta=3$, vel $\Delta=7$, et tum erit $x=1, 2, 4$. Si $a=3$, erit $\Delta=\frac{27\pm 1}{3\pm 1}$, ideoque vel $\Delta=7$, vel $\Delta=13$, eritque $x=1$, 3, 9. Si $a=4$, erit $\Delta=\frac{64\pm 1}{4\pm 1}$, ideoque vel $\Delta = 13$, vel $\Delta = 21 = 3.7$, tum $x = 1, 4, 16$. Si $a = 5$, erit $\Delta = \frac{125 \pm 1}{5 \pm 1}$, ideoque $\Delta = 21$, vel $\Delta = 31$, $x = 1, 5, 25$, etc.

Problema. Ut formula $x^{10} - 1$ divisibilis fiat per Δ, valores ipsius x assignare.

Solutio. Hic debet esse $\Delta = \frac{a^5 \pm 1}{a \pm 1}$, ac tum quinque habentur valores principales pro x, scilicet 1, a, aa, a^3, a^4, quibus adjici potest $M\Delta$. Sic sumto $a = 2$, erit $\Delta = \frac{32 \pm 1}{2 \pm 1}$, vel $\Delta = 11$, vel $\Delta = 31$, eritque $x = 1, 2, 4, 8, 16$. Si $a = 3$, erit $\Delta = \frac{243 \pm 1}{3 \pm 1}$, ideoque vel $\Delta = 61$, vel $\Delta = 121$, hinc $x = 1, 3, 9, 27, 81$. Si $a = 4$, erit $\Delta = \frac{1024 \pm 1}{4 \pm 1}$, vel $\Delta = 205$, vel $\Delta = 341 = 11.31$ et $x = 1, 4, 16, 64, 256$. Si $a = 5$, erit $\Delta = \frac{3125 \pm 1}{5 \pm 1}$, ideoque vel $\Delta = 521$, vel $\Delta = 781 = 11.71$, $x = 1, 5, 25, 125, 625$, etc.

NB. Omnes divisores primi hic sunt formae $10n + 1$. Dato ergo tali divisore, veluti 131, quaeri debet numerus a, ut $a^5 \pm 1$ divisionem admittat per 131, quod hoc casu non evenit, nisi sumatur vel $a = 42$, vel $a = 53$, vel $a = 58$, vel $a = 70$; tum enim habebitur $x = 1, 42, 70, 58, 53$.

Quando autem divisor Δ datur, in forma $10n + 1$ contentus, valor litterae a hoc modo eruetur. Cum Δ debeat esse divisor formae $a^5 \pm 1$, capiatur $a = b^n$, erit $a^5 = b^{5n}$, semper autem est $b^{10n} - 1$ divisibile per $10n + 1$, ideoque vel $b^{5n} + 1$, vel $b^{5n} - 1$, quocirca sumi debet $a = b^n$. Ita pro casu $\Delta = 131$ est $n = 13$, ideoque $a = b^{13}$; sumto ergo $b = 2$, erit $b^{13} = 8192$, quod divisum per 131 relinquit 61, et valores ipsius x erunt 1, 61, 61^2, 61^3, 61^4. Est vero $61^2 = 3721$, quod dat 53, et 61.53 dat 42, et 61.42 dat 58. Sicque $x = 1, 61, 53, 42, 58$. Eodem modo si proponatur $\Delta = 151$, erit $n = 15$ et $a = 19$, $a^2 = 59$, $a^3 = 64$, $a^4 = 8$.

Ut formula $x^8 + y^8$ divisibilis fiat per 97, numeri x et y ex sequenti tabula desumantur

x				y			
1,	33,	22,	47	8,	27,	18,	12
2,	31,	44,	3	16,	43,	36,	24
4,	35,	9,	6	32,	11,	25,	48
5,	29,	13,	41	40,	38,	7,	37
10,	39,	26,	15	17,	21,	14,	23
46,	13,	42,	28	29,	19,	45,	30

ita casus simplicissimus est $5^8 + 7^8$.

Ut formula $x^{10} - 1$ dividi queat per 11^3, valores ipsius x erunt

$$1,\ 124,\ 596,\ 699,\ 161.$$

Cum enim $3^5 - 1 = 2.11^2$, ponatur $z = 3 + 11^2 y$, eritque $z^5 - 1 = 2.11^2 + 5.3^4.11^2 y +$ etc. quod divisum per 11^2 dat $\frac{z^5 - 1}{11^2} = 2 + 5.3^4 y +$ etc. Tantum ergo y ita sumatur, ut $2 + 5.81 y$ divisibile sit per 11, sive $2 - 2y$, vel $1 - y$. Sumatur $y = -10$, erit $z = 1207 = 124$.

A. m. T. II. p. 162—164.

---

c) *De numeris formae* $x^p \pm 1$.

14.

(*Lexell.*)

Problema. Invenire numerum formae $2^n + 1$, qui habeat datum divisorem.

Solutio. Divisor repraesentetur per simplices potestates binarii, et quotus quaeratur sequenti modo per partes; ubi tenendum est, quoniam tandem omnes minores potestates binarii in producto excludi debent, si ex aliquot partibus quoti prodierit productum $1 + 2^\alpha +$ etc. tum sequentem quoti partem esse debere 2^α, deinde tantum notetur esse $2^\alpha + 2^\alpha = 2^{\alpha+1}$.

Exemplum I. Sit divisor $=1+2^7+2^9$, ac prima pars quoti erit 1, et operatio sequenti modo instituetur:

Partes quoti	Productum
1	$1+{}_*2^{7}+{}_*2^{9}$
2^{7}	${}_*2^{7}+{}_*2^{14}+{}_*2^{16}+{}_*2^{8}$
2^{8}	${}_*2^{8}+{}_*2^{15}+{}_*2^{17}+{}_*2^{10}$
2^{10}	${}_*2^{10}+{}_*2^{17}+{}_*2^{19}+{}_*2^{11}+{}_*2^{15}$
2^{11}	${}_*2^{11}+{}_*2^{15}+{}_*2^{20}+{}_*2^{12}+{}_*2^{21}$
2^{12}	${}_*2^{12}+{}_*2^{19}+{}_*2^{21}+{}_*2^{13}+{}_*2^{22}$
2^{13}	${}_*2^{13}+{}_*2^{20}+{}_*2^{22}+{}_*2^{17}+{}_*2^{23}$
2^{17}	${}_*2^{17}+{}_*2^{24}+{}_*2^{26}+{}_*2^{18}$
2^{18}	${}_*2^{18}+{}_*2^{25}+{}_*2^{27}+{}_*2^{21}$
2^{21}	${}_*2^{21}+{}_*2^{28}+{}_*2^{30}+{}_*2^{22}$
2^{22}	${}_*2^{22}+{}_*2^{29}+{}_*2^{31}+2^{32}$

ergo forma est $2^{32}+1$, cujus divisor est $1+2^7+2^9=641$ et

quotus $=1+2^7+2^8+2^{10}+2^{11}+2^{12}+2^{13}+2^{17}+2^{18}+2^{21}+2^{22}$.

Exemplum II. Sit divisor $73=1+2^3+2^6$.

Partes quoti	Productum
1	$1+{}_*2^{3}+{}_*2^{6}$
2^{3}	${}_*2^{3}+{}_*2^{6}+{}_*2^{9}+{}_*2^{4}+{}_*2^{7}$
2^{4}	${}_*2^{4}+{}_*2^{7}+{}_*2^{10}+{}_*2^{5}+{}_*2^{8}$
2^{5}	${}_*2^{5}+{}_*2^{8}+{}_*2^{11}+{}_*2^{6}+{}_*2^{9}+{}_*2^{10}+{}_*2^{11}+{}_*2^{12}$
2^{6}	${}_*2^{6}+{}_*2^{9}+{}_*2^{12}+{}_*2^{7}+{}_*2^{13}$
2^{7}	${}_*2^{7}+{}_*2^{10}+{}_*2^{13}+{}_*2^{8}+{}_*2^{14}$
2^{8}	${}_*2^{8}+{}_*2^{11}+{}_*2^{14}+{}_*2^{9}+{}_*2^{10}+{}_*2^{11}+{}_*2^{12}+{}_*2^{15}$
2^{12}	${}_*2^{12}+{}_*2^{15}+{}_*2^{18}+{}_*2^{13}+{}_*2^{16}$
2^{13}	${}_*2^{13}+{}_*2^{16}+{}_*2^{19}+{}_*2^{14}+{}_*2^{17}$
2^{14}	${}_*2^{14}+{}_*2^{17}+{}_*2^{20}+{}_*2^{15}+{}_*2^{18}+{}_*2^{19}+{}_*2^{20}+{}_*2^{21}$
2^{15}	${}_*2^{15}+{}_*2^{18}+{}_*2^{21}+{}_*2^{16}+{}_*2^{22}$
2^{16}	${}_*2^{16}+{}_*2^{19}+{}_*2^{22}+{}_*2^{17}+{}_*2^{23}$
2^{17}	${}_*2^{17}+{}_*2^{20}+{}_*2^{23}+{}_*2^{18}+{}_*2^{19}+{}_*2^{20}+{}_*2^{21}+{}_*2^{24}$
2^{21}	${}_*2^{21}+{}_*2^{24}+{}_*2^{27}+{}_*2^{22}+{}_*2^{25}$
2^{22}	${}_*2^{22}+{}_*2^{25}+{}_*2^{28}+{}_*2^{23}+{}_*2^{26}$
2^{23}	${}_*2^{23}+{}_*2^{26}+{}_*2^{29}+{}_*2^{24}+{}_*2^{27}+{}_*2^{28}+{}_*2^{29}+{}_*2^{30}$
2^{24}	${}_*2^{24}+{}_*2^{27}+{}_*2^{30}+{}_*2^{25}+{}_*2^{31}$
2^{25}	${}_*2^{25}+{}_*2^{28}+{}_*2^{31}+{}_*2^{26}+{}_*2^{32}$
2^{26}	${}_*2^{26}+{}_*2^{29}+{}_*2^{32}+{}_*2^{27}+{}_*2^{28}+{}_*2^{29}+{}_*2^{30}+{}_*2^{33}$
2^{30}	${}_*2^{30}+{}_*2^{33}+2^{36}+2^{31}+2^{34}$

Plane non datur talis forma per 73 divisibilis.

Exemplum III. Sit divisor $41=1+2^3+2^5$, erunt

partes quoti	productum
1	$1+{}_*2^{3}+{}_*2^{5}$
2^{3}	${}_*2^{3}+{}_*2^{6}+{}_*2^{8}+{}_*2^{4}$
2^{4}	${}_*2^{4}+{}_*2^{7}+{}_*2^{9}+{}_*2^{5}+{}_*2^{6}+{}_*2^{7}+{}_*2^{8}+{}_*2^{9}+2^{10}$

ergo forma $1+2^{10}$ divisibilis est per 41 et quotus erit $1+2^3+2^4=25$.

Exemplum IV. Sit divisor $11 = 1 + 2^1 + 2^3$, erunt

partes quoti	productum
1	$1 + {}_*2^1 + {}_*2^3$
2^1	${}_*2^1 + {}_*2^2 + {}_*2^4 + {}_*2^2 + {}_*2^3 + {}_*2^4 + 2^5$

unde $1 + 2^5 = 11\,(1 + 2)$.

Exemplum V. Sit divisor $13 = 1 + 2^2 + 2^3$, erunt

partes quoti	productum
1	$1 + {}_*2^2 + {}_*2^3$
2^2	${}_*2^2 + {}_*2^4 + {}_*2^5 + {}_*2^3 + {}_*2^4 + {}_*2^5 + 2^6$

unde $2^6 + 1 = 13\,(1 + 2^2)$.

Exemplum VI. Sit divisor $7 = 1 + 2 + 2^2$, erunt

partes quoti	productum
1	$1 + {}_*2 + {}_*2^2$
2^1	${}_*2 + {}_*2^2 + {}_*2^3 + {}_*2^2 + {}_*2^3 + {}_*2^4$
2^2	${}_*2^2 + {}_*2^3 + {}_*2^4 + {}_*2^3 + {}_*2^4 + {}_*2^5$
2^4	${}_*2^4 + {}_*2^5 + {}_*2^6 + {}_*2^5 + {}_*2^6 + {}_*2^7$
2^5	${}_*2^5 + {}_*2^6 + {}_*2^7 + {}_*2^6 + {}_*2^7 + {}_*2^8$
2^7	${}_*2^7 + {}_*2^8 + {}_*2^9 + {}_*2^8 + {}_*2^9 + {}_*2^{10}$
2^8	${}_*2^8 + {}_*2^9 + {}_*2^{10} + {}_*2^9 + 2^{10} + 2^{11}$
2^{10}	etc.

Pro hoc ergo divisore non datur forma binomialis $1 + 2^n$; dantur autem trinomiales:

$$1 + 2 + 2^2,\quad 1 + 2^2 + 2^4,\quad 1 + 2^4 + 2^5,\quad 1 + 2^5 + 2^7,\quad 1 + 2^7 + 2^8,\quad 1 + 2^8 + 2^{10},\quad 1 + 2^{10} + 2^{11}.$$

(*Krafft.*)

Problema. Invenire numerum formae $2^n - 1$, qui habeat datum divisorem.

Solutio. Primo notetur esse

$$2^n - 1 = 1 + 2 + 2^2 + 2^3 + 2^4 + \ldots .\, 2^{n-1},$$

sicque omnes potestates ab unitate usque ad maximam occurrere debent. Si igitur, ut ante, quotus per partes quaeratur; in producto ex aliquot partibus orto notetur minima potestas, quae adhuc deficit, eaque ipsa erit nova pars quoti.

Exemplum I. Sit divisor $23 = 1 + 2 + 2^2 + 2^4$, erunt

partes quoti	productum
1	$1 + 2 + 2^2 + {}_*2^4$
2^3	$2^3 + {}_*2^4 + {}_*2^5 + {}_*2^7 + {}_*2^5 + {}_*2^6$
2^4	$2^4 + 2^5 + {}_*2^6 + {}_*2^8 + {}_*2^7 + {}_*2^8 + 2^9$
2^6	$2^6 + 2^7 + 2^8 + 2^{10}$

unde erit $n = 11$ sicque $2^{11} - 1$ divisibile est per 23 quoto existente

$$1 + 2^3 + 2^4 + 2^6 = 89.$$

Nota. Forma numerorum perfectorum est $2^{n-1}(2^n - 1)$, quoties fuerit factor posterior $2^n - 1$ numerus primus.

Exemplum II. Sit divisor $47 = 1 + 2 + 2^2 + 2^3 + 2^5$, erunt

$1 \mid 1 + 2^3 + 2^5$
$2^3 \mid 2^3 + 2^6 + 2^8 + 2^4$
$2^4 \mid 2^4 + 2^7 + 2^9 + 2^5 + 2^6 + 2^7 + 2^8 + 2^9 + 2^{10}$

partes quoti	productum
1	$1 + 2 + 2^2 + 2^3 + {}_*2^5$
2^4	$2^4 + {}_*2^5 + {}_*2^6 + {}_*2^7 + {}_*2^9 + {}_*2^6 + {}_*2^7 + {}_*2^8$
2^5	$2^5 + 2^6 + 2^7 + {}_*2^8 + {}_*2^{10} + {}_*2^9 + {}_*2^{10} + {}_*2^{11}$
2^8	$2^8 + 2^9 + 2^{10} + {}_*2^{11} + {}_*2^{13} + {}_*2^{12}$
2^{11}	$2^{11} + {}_*2^{12} + {}_*2^{13} + {}_*2^{14} + {}_*2^{16} + {}_*2^{13} + {}_*2^{14} + {}_*2^{15}$
2^{12}	$2^{12} + {}_*2^{13} + {}_*2^{14} + {}_*2^{15} + {}_*2^{17} + {}_*2^{14} + {}_*2^{15} + {}_*2^{16} + {}_*2^{17} + {}_*2^{18}$
2^{13}	$2^{13} + 2^{14} + {}_*2^{15} + {}_*2^{16} + {}_*2^{18} + {}_*2^{16} + {}_*2^{17} + {}_*2^{19}$
2^{15}	$2^{15} + 2^{16} + {}_*2^{17} + {}_*2^{18} + {}_*2^{20} + {}_*2^{18} + {}_*2^{19} + {}_*2^{20} + 2^{21}$
2^{17}	$2^{17} + 2^{18} + 2^{19} + 2^{20} + 2^{22}$

ergo $n = 23$ et $2^{23} - 1$ divisibile est per 47, quoto existente

$$2^{17} + 2^{15} + 2^{13} + 2^{12} + 2^{11} + 2^8 + 2^5 + 2^4 + 1 = 178481.$$

(*Lexell.*)

Verum haec omnia multo facilius atque adeo multo generalius per sequentem methodum expediri possunt:

Problema. Invenire exponentem x, ut formula $2^x - a$ datum habeat divisorem $= p$.

Solutio. Quaeritur ergo potestas binarii 2^x, quae per numerum p divisa relinquat residuum $= a$; notetur autem pro residuo a in genere scribi posse $a + \lambda p$, loco a igitur sumatur $a \pm p$, qui numerus cum sit par ac fortasse per majorem binarii potestatem divisibilis, ponatur $a \pm p = 2^\alpha b$, atque potestas $2^{x - \alpha}$ dabit residuum b, cujus loco sumatur iterum $b \pm p$, quod sit $= 2^\beta c$, sicque potestas $2^{x - \alpha - \beta}$ residuum dabit c, sive $c \pm p$, quod sit $= 2^\gamma d$, sicque potestas $2^{x - \alpha - \beta - \gamma}$ residuum dabit d, atque hoc modo eo usque procedatur, donec ad residuum perveniatur $= 1$, quod cum sit residuum potestatis 2^0, evidens est ultimum exponentem

$$x - \alpha - \beta - \gamma - \delta - \text{etc. esse debere} = 0,$$

consequenter habebitur

$$x = \alpha + \beta + \gamma + \delta + \text{etc.}$$

Tota haec operatio sequenti modo commode disponetur: Pro divisore $= p$:

potestates	residua	sive
2^x	a	$a \pm p = 2^\alpha b$
$2^{x-\alpha}$	b	$b \pm p = 2^\beta c$
$2^{x-\alpha-\beta}$	c	$c \pm p = 2^\gamma d$
$2^{x-\alpha-\beta-\gamma}$	d	$d \pm p = 2^\delta e$
.	.	.
.	.	.
.	.	.
$2^{x-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\cdots}$	$+1$	$x = \alpha + \beta + \gamma + \delta + \text{etc.}$

Exemplum I. Quaeratur formula $2^x + 1$, quae divisorem habeat 641. Pro hoc divisore

potestates	residua	sive
2^x	$a = -1$	$640 = 128.5 = 2^7.5$
2^{x-7}	5	$-636 = -2^2.159$
2^{x-9}	-159	$-800 = -2^5.25$
2^{x-14}	-25	$+616 = +2^3.77$
2^{x-17}	$+77$	$-564 = -2^2.141$
2^{x-19}	-141	$+500 = +2^2.125$
2^{x-21}	$+125$	$-516 = -2^2.129$
2^{x-23}	-129	$512 = +2^9.1$
2^{x-32}	1	ergo $x = 32$

Exemplum II. Quaerere formulam 2^x+1, quae divisorem habeat 29. Pro hoc divisore

potestates	residua	sive
2^x	-1	$-1+29=28=2^2.7$
2^{x-2}	7	$+36=2^2.9$
2^{x-4}	9	$-20=-2^2.5$
2^{x-6}	-5	$24=2^3.3$
2^{x-9}	3	$32=2^5.1$
2^{x-14}	1	$x=14$.

Exemplum III. Quaerere formulam 2^x+1, quae divisorem habeat 73. Pro divisore 73

potestates	residua	sive
2^x	-1	$2^3.9$
2^{x-3}	$+9$	$-64=-2^6.1$
2^{x-9}	-1	$72=\quad 2^3.9$
2^{x-12}	9	$-64=-2^6.1$
2^{x-18}	-1	

unde apparet hanc quaestionem esse impossibilem.

Exemplum IV. Quaerere formulam 2^x-1, quae habeat divisorem 23:

potestates	residua	sive
2^x	1	$24=\quad 2^3.3$
2^{x-3}	3	$-20=-2^2.5$
2^{x-5}	-5	$-28=-2^2.7$
2^{x-7}	-7	$16=\quad 2^4.1$
2^{x-11}	1	ergo $x=11$.

Exemplum V. Quaerere formam 2^x-3, quae habeat divisorem 19:

potestates	residua	sive
2^x	3	$-16=-2^4.1$
2^{x-4}	-1	$-20=-2^2.5$
2^{x-6}	-5	$-24=-2^3.3$
2^{x-9}	-3	$16=2^4.1$
2^{x-13}	1	$x=13$.

Problema generalius. Invenire exponentem x, ut formula AK^x-a datum habeat divisorem $=p$.

Solutio. Numerus ergo AK^x residuum dare debet $=a$, cui aequivalet $a\pm\lambda p=K^\alpha b$, unde numerus $AK^{x-\alpha}$ residuum dare debet b, sive $b\pm\lambda p=K^\beta c$, sicque numerus $AK^{x-\alpha-\beta}$ producet numerum c, sicque hoc modo procedendo, donec perveniatur ad numerum A, quod quia nascitur ex AK^0, manifestum est esse debere

$$x=\alpha+\beta+\gamma+\delta+\text{etc.}$$

Exemplum. Quaerere formulam 5^x-1, quae divisorem habeat 17.

potestates	residua	sive	potestates	residua	sive
5^x	1	$35=\quad 5.7$	5^{x-5}	-6	$-40=-5.8$
5^{x-1}	7	$-10=-5.2$	5^{x-6}	-8	$-25=-5^2$
5^{x-2}	-2	$15=\quad 5.3$	5^{x-8}	-1	
5^{x-3}	3	$20=\quad 5.4$	5^{x-16}	1	$x=16$
5^{x-4}	4	$-30=-5.6$			

Problema. Invenire exponentem x, ut formula $2^{2x}+2^x+1$ datum habeat divisorem p.

Solutio. Cum ergo formula $2^{2x}+2^x$ residuum habere debeat -1, sive $-1+\lambda p$, ponamus potestatem 2^x habere residuum r, atque ejus quadratum 2^{2x} residuum habebit rr, ideoque illius formae residuum erit $rr+r$. Quaeratur ergo r, ut fiat

$$rr+r=-1+\lambda p, \quad \text{sive} \quad 4rr+4r+1=(2r+1)^2=4\lambda p-3, \quad \text{unde} \quad 2r+1=\sqrt{(4\lambda p-3)};$$

λ igitur ita sumi debet, ut $4\lambda p-3$ sit quadratum. Invento autem r quaeratur potestas 2^x residuum habens r, quod est problema superius.

Sit verbi gratia divisor $p=19$ et quadratum esse debet $76\lambda-3$, quod fit si $\lambda=3$, ergo $2r+1=\pm 15$, consequenter vel $r=+7$, vel $r=-8$.

I. Pro $r=+7$	2^x resid.	$+7$	$-12=-2^2.3$
	2^{x-2}	-3	$16=2^4$
	2^{x-6}	1	hinc $x=6$

ideoque $2^{12}+2^6+1$ divisibile per 19.

II. Pro $r=-8$	2^x resid.	-8	$-2^3.1$
	2^{x-3}	-1	$-20=-2^2.5$
	2^{x-5}	-5	$-24=-2^3.3$
	2^{x-8}	-3	$16=2^4$
	2^{x-12}	1	$x=12$

ideoque $2^{24}+2^{12}+1$ divisibile per 19.

A. m. T. I. p. 143—149.

15.

(*J. A. Euler.*)

Cum sit $a^{2p}-1$ divisibile per $2p+1$, si $2p+1$ fuerit numerus primus, tum vel a^p-1, vel a^p+1 per eum dividi poterit. Duplicis ergo generis sunt potestates a^p, prouti vel formula a^p-1, vel a^p+1 fuerit divisibilis per $2p+1$.

Theorema. Cujus generis fuerit potestas a^p, ejusdem generis quoque erunt omnes istae

$$a^{2a+p}, \quad a^{4a+p}, \quad a^{6a+p} \quad \text{et in genere} \quad a^{2na+p},$$

ubi a debet esse primus ad $2p+1$ et n quoque potest esse numerus negativus.

Praeterea vero etiam ejusdem generis erunt hae potestates

$$a^{2a-p-1}, \quad a^{4a-p-1}, \quad a^{6a-p-1} \quad \text{et in genere} \quad a^{2na-p-1}$$

hoc autem posterius tantum valet, si a fuerit numerus positivus; si enim sit negativus, hae posteriores potestates ad alterum genus pertinent. Ratio hujus exceptionis manifesta est: si enim p fuerit numerus par, perinde est sive capiatur $+a$, sive $-a$; sin autem p sit impar, loco a sumendo $-a$, ipsa potestas fit negativa. Sicque si formula $(+a)^p\pm 1$ fuerit per $2p+1$ divisibilis, tum $(-a)^p\mp 1$ divisibilis erit.

Exemplum. Quia 2^1+1 per $2.1+1=3$ est divisibile, ubi $a=2$ et $p=1$, ad idem genus pertinebunt hae potestates

$$2^1,\ 2^5,\ 2^9,\ 2^{13},\ 2^{17},\ 2^{21}\ \ldots\ 2^{4n+1}$$

deinde etiam istae

$$2^2,\ 2^6,\ 2^{10},\ 2^{14},\ 2^{18},\ 2^{22}\ \ldots\ 2^{4n+2}.$$

Examinemus casum 2^{21}, an $2^{21}+1$ divisibile sit per 43, sive an 2^{21} per 43 divisum relinquat -1, quod ope methodi supra expositae ita fiet

divisor: 43	residua
2^{21}	$-1-43=-44=-2^2.11$
2^{21-2}	$-11+43=32=2^5.1$
2^{21-7}	1. Capiatur cubus
$2^{3.21-21}$	1. At
$2^{2.21}$	1. Dividatur
2^{21-21}	1, vel
2^0	1

quod cum sit verum, etiam prima formula est vera.

Examinetur jam potestas 2^{18}, num per 37 divisa relinquat -1. Calculus ita fiet

divisor: 37	residua
2^{18}	$-1+37=2^2.9$
2^{18-2}	$+9-37=-2^2.7$
2^{18-4}	$-7-37=-2^2.11$
2^{18-6}	-11
$2^{2.18}$	$-1331=+1$, quod etiam est verum.

Exemplum. Sit $a=3$ et $p=2$, erit 3^2+1 divisibile per 5; hujus ergo generis erunt omnes hae potestates:

$$3^2,\ 3^8,\ 3^{14},\ 3^{20},\ 3^{26}\ldots.3^{6n+2},\ \text{item hae}$$
$$3^3,\ 3^9,\ 3^{15},\ 3^{21},\ 3^{27}\ldots.3^{6n+3}.$$

Examinetur 3^{26} an per 53 divisa relinquat -1:

divisor: 53	residua
3^{26}	$+1+53=3^3.2$
3^{23}	$+2$
3^{46-26} vel 3^{20}	$+4$
3^{43-26} vel 3^{17}	$+8$
3^{14}	$+16$
3^5	$+128$ vel 22
3^2	44 vel -9,

quod cum sit falsum, residuum non erit $+1$ vel -1.

Examinetur 3^{33} an per 67 divisa relinquat $+1$.

divisor: 67	residua
3^{33}	$1+134=3^3.5$
3^{30}	5
3^{27}	25
3^{24}	125 vel -9
3^{18}	-225 vel -24
3^9	$+216$ vel $+15$
3^{33} vel 3^0	-135 vel -1

quod quia est falsum, nostra regula confirmatur.

Exemplum. Sit $a=6$ et fieri nequit $p=1$, quia neque 6^1+1, neque 6^1-1 per 3 est divisibile, ideoque excluduntur exponentes 1, 13, 25, 37, 49, etc., tum etiam

10, 22, 34, 46, 58, etc.

At 6^2-1 est per 5 divisibile, sive 6^2 per 5 divisum dat residuum $+1$, ergo $p=2$, et idem dabunt hae potestates

6^{14}, 6^{26}, 6^{38}, 6^{50}, 6^{62}, etc., tum etiam
6^{9}, 6^{21}, 6^{33}, 6^{45}, 6^{57}, etc.

Examinemus potestatem 6^{50} num per 101 divisa relinquat $+1$:

divisor: 101	residua
6^{50}	$+1+101=102=6.17$
6^{49}	$17-101=-6.14$
6^{48}	$-14-202=-216=-6^3$
6^{45}	-1
6^{5}	$-1-101=-6.17$
6^{4}	-17
6^{3}	$+14$
6^{1}	$-196+202=+6$

quod quia est verum, patet regula.

Examinetur potestas 6^{33} an per 67 divisa relinquat $+1$:

divisor: 67	residua
6^{33}	$+1-67=-6.11$
6^{32}	$-11-67=-6.13$
6^{31}	$-13+67=+6.9$
6^{30}	$+9$
6^{27}	$+81$ vel $+14$
6^{21}	$+196$ vel -5
6^{9}	$+25$
6^{3}	$+350$ vel 15
6^{0}	$+135-134$ vel $+1$

Utra formula $a^p\pm1$ per numerum primum $2p+1$ sit divisibilis sequens tabella ostendit:

2p + 1		2p + 1		2p + 1		2p + 1	
pro a = 2		*pro* a = 3		*pro* a = 5		*pro* a = 6	
$8n\pm1$	2^p-1	$12n\pm1$	3^p-1	$20n\pm1$	5^p-1	$24n\pm1$	6^p-1
$8n\pm3$	2^p+1	$12n\pm5$	3^p+1	$20n\pm3$	5^p+1	$24n\pm5$	6^p-1
				$20n\pm7$	5^p+1	$24n\pm7$	6^p+1
				$20n\pm9$	5^p-1	$24n\pm11$	6^p+1
pro a = 7		*pro* a = 8		*pro* a = 10		*pro* a = 11	
$28n\pm1$	7^p-1	$32n\pm1$	8^p-1	$40n\pm1$	10^p-1	$44n\pm1$	11^p-1
$28n\pm3$	7^p-1	$32n\pm3$	8^p+1	$40n\pm3$	10^p-1	$44n\pm3$	11^p+1
$28n\pm5$	7^p+1	$32n\pm5$	8^p+1	$40n\pm7$	10^p+1	$44n\pm5$	11^p-1
$28n\pm9$	7^p-1	$32n\pm7$	8^p-1	$40n\pm9$	10^p-1	$44n\pm7$	11^p-1
$28n\pm11$	7^p+1	$32n\pm9$	8^p-1	$40n\pm11$	10^p+1	$44n\pm9$	11^p-1
$28n\pm13$	7^p+1	$32n\pm11$	8^p+1	$40n\pm13$	10^p-1	$44n\pm13$	11^p+1
		$32n\pm13$	8^p+1	$40n\pm17$	10^p+1	$44n\pm15$	11^p+1
		$32n\pm15$	8^p-1	$40n\pm19$	10^p+1	$44n\pm17$	11^p+1
						$44n\pm19$	11^p-1
						$44n\pm21$	11^p+1

pro a = 12		pro a = 13		pro a = 14		pro a = 15	
$48n \pm 1$	$12^p - 1$	$52n \pm 1$	$13^p - 1$	$56n \pm 1$	$14^p - 1$	$60n \pm 1$	$15^p - 1$
$48n \pm 5$	$12^p + 1$	$52n \pm 3$	$13^p - 1$	$56n \pm 3$	$14^p + 1$	$60n \pm 7$	$15^p - 1$
$48n \pm 7$	$12^p + 1$	$52n \pm 5$	$13^p + 1$	$56n \pm 5$	$14^p - 1$	$60n \pm 11$	$15^p - 1$
$48n \pm 11$	$12^p - 1$	$52n \pm 7$	$13^p + 1$	$56n \pm 9$	$14^p - 1$	$60n \pm 13$	$15^p + 1$
$48n \pm 13$	$12^p - 1$	$52n \pm 9$	$13^p - 1$	$56n \pm 11$	$14^p - 1$	$60n \pm 17$	$15^p - 1$
$48n \pm 17$	$12^p + 1$	$52n \pm 11$	$13^p + 1$	$56n \pm 13$	$14^p - 1$	$60n \pm 19$	$15^p + 1$
$48n \pm 19$	$12^p + 1$	$52n \pm 15$	$13^p + 1$	$56n \pm 15$	$14^p + 1$	$60n \pm 23$	$15^p + 1$
$48n \pm 23$	$12^p - 1$	$52n \pm 17$	$13^p - 1$	$56n \pm 17$	$14^p + 1$	$60n \pm 29$	$15^p + 1$
		$52n \pm 19$	$13^p + 1$	$56n \pm 19$	$14^p + 1$		
		$52n \pm 21$	$13^p + 1$	$56n \pm 23$	$14^p + 1$		
		$52n \pm 23$	$13^p - 1$	$56n \pm 25$	$14^p - 1$		
		$52n \pm 25$	$13^p - 1$	$56n \pm 27$	$14^p + 1$		

A. m. T. I. p. 211—213. 215. 216.

16.

Theorema. Si potestas a^p per N divisa relinquat r, at potestas a^q residuum s, tum formula $s^p - r^q$ per N erit divisibilis.

Demonstratio. Cum $a^p - r$ sit divisibilis per N, tum etiam $a^{np} - r^n$ erit divisibilis, ergo etiam $a^{pq} - r^q$. Simili modo cum $a^q - s$ sit divisibilis per N, etiam $a^{pq} - s^p$ erit divisibilis; unde sequitur etiam $s^p - r^q$ fore divisibile per N. Hinc si $r = 1$, tum $s^p - 1$ erit divisibile.

Theorema. Si fuerit $r + \lambda N = a^\alpha s$, tum $a^{p-\alpha} - s$ est divisibile per N. Hic ergo est $r = a^\alpha s - \lambda N$ et $q = p - \alpha$; erit ergo

$$s^p - (a^\alpha s - \lambda N)^{p-\alpha} \text{ per } N \text{ divisibile.}$$

A. m. T. I. p. 214.

17.

(*Krafft.*)

Si fuerit p numerus impar, tum $\frac{2^p+1}{3}$ semper est numerus integer, qui quoties p est numerus primus, videtur etiam esse numerus primus, id quod examinetur.

Ponatur $\frac{2^p+1}{3} = y$; erit sequens $\frac{2^{p+2}+1}{3} = \frac{4.2^p+1}{3}$. At ex priore est $2^p = 3y - 1$; unde sequens erit $\frac{12y-3}{3} = 4y - 1$, unde formetur sequens series

$$\begin{array}{llllllllllll} p \ldots 1, & 3, & 5, & 7, & (9), & 11, & 13, & (15), & 17, & 19, & \text{etc.} \\ y \ldots 1, & 3, & 11, & 43, & (171), & 683, & 2731, & (10923), & 43691, & 174763, & \text{etc.} \end{array}$$

Hinc suspicio confirmatur usque ad ultimum 174763, qui sit $= a$, ita, ut sit $3a = 2^{19} + 1$; at hic numerus continetur in forma $2f^2 + g^2$, quae alios divisores non habet, nisi in eadem forma contentos; necesse ergo est, sit $174763 = 2r^2 + s^2$ idque unico modo. Si ergo hic numerus unico modo in forma $2r^2 + s^2$ contineatur, certo erit primus; sin autem pluribus modis contineatur, tum demum erit compositus; id quod non adeo difficile est explorare. Est autem

$$174763 = 2.295^2 + 713 = 2.294^2 + 1891 = 2.293^2 + 3065 \ldots (= 2.171^2 + 341^2).$$

(*Lexell.*)

At sine tanto calculo demonstrari potest hunc numerum esse primum. Si enim haberet divisorem, is *primo* minor esset, quam radix quadrata hujus numeri, quae est 418, sive < 419. *Secundo* divisor iste continebitur in forma vel $8n+1$, vel $8n+3$. *Tertio* divisor etiam formam habebit $19\lambda+1$, ubi λ primo esse debet par, erit ergo vel $\lambda=8n$, vel $8n+2$, vel $8n+4$, vel $8n+6$. Prima dat formam $8n+1$, quae congruit cum priore; at $\lambda=8n+2$ dat $8n+39$, ideoque $\lambda=8n+2$ excluditur; similiter $\lambda=8n+4$ dat $8n+5$, unde $\lambda=8n+4$ excluditur; at $\lambda=8n+6$ dat $8n+3$, quae valet. Duae ergo formae relinquuntur pro λ, $8n$ et $8n+6$; ergo ex priori $19\lambda+1$ habentur: 1, 153, 305, 457, et ex posteriori $19\lambda+1$: 115, 267, 419. Hi autem numeri, minores quam 419, omnes sunt compositi.

Neque vero propositio supra memorata est vera, plures enim casus assignari possunt, quibus fallit. Cum enim numerus primus $2p+1$ quoties fuerit formae $8n+3$, sit divisor formulae 2^p+1, ob $p=4n+1$ utique fieri potest, ut p sit numerus primus; iis ergo casibus etiam formula $\frac{2^p+1}{3}$ divisorem habebit $8n+3$, hoc itaque evenit, quoties tam $4n+1$ quam $8n+3$ fuerint numeri primi, cujusmodi casus sunt:

5,	29,	41,	53,	89
11,	59,	83,	107,	179.

A. m. T. I. p. 217.

18.

(*J. A. Euler.*)

Ut formulae x^4+1 divisor sit 17, erit . . . . $x=2$, vel 8, vel 9, vel 15.
Ut ejusdem formulae divisor sit 41, erit . . . . $x=3$, vel 14, vel 27, vel 38,
" " " 73, erit . . . . $x=10$, vel 22, vel 51, vel 63,
" " " 89, erit . . . . $x=12$, vel 37, vel 52, vel 77.

In omnibus scilicet casibus, si fuerit $x=a$, erit etiam

$$x=a^3 \text{ et } =a^5 \text{ et } =a^7 \text{ etc.}$$

A. m. T. I. p. 201.

d) *De divisoribus et residuis numerorum quadratorum.*

19.

THEOREMA, cujus demonstratio desideratur.

Si pro divisore d inter residua quadratorum occurrat $\pm r$, tum etiam pro divisore $4nr+d$, si fuerit numerus primus, inter residua quadratorum idem quoque residuum $\pm r$ occurret. Ita si sit $d=7$, inter residua quadratorum occurrit 2; ideoque quoties $8n+7$ fuerit numerus primus, (eo divisore) inter residua quadratorum reperiatur 2 necesse est.

Ratio in eo quaerenda videtur, quod si $8n+7$ est numerus primus, tum numerus residuorum semper est $4n+3$, dum si non fuerit primus, multitudo residuorum multo est minor: scilicet pro $8n+7=15$, multitudo residuorum non est 7, sed tantum 5.

A. m. T. I. p. 210.

20.

THEOREMATA DEMONSTRANDA.

I. Si per numerum primum $4n+1$ omnia quadrata dividantur, inter residua occurret non solum ipse numerus n, sed etiam omnes ejus divisores et quidem singuli utroque signo affecti.

II. Si per numerum primum $4n-1$ omnia quadrata dividantur, inter residua non solum occurret ipse numerus n, sed etiam omnes ejus divisores signo $+$ affecti; iidem enim signo $-$ affecti erunt non-residua.

Haec duo theoremata ita generalius proponi possunt: Denotante i numerum imparem quemcunque,

I. si per numerum primum $4n+ii$ quadrata dividantur, inter residua occurrent omnes divisores numeri n, tam signo $+$ quam signo $-$ affecti.

Corollarium. Hinc si $4n+ii$ est numerus primus et d aliquis divisor numeri n, semper dari poterit formula $xx\pm dyy$ per illum numerum $4n+ii$ divisibilis.

II. Si per numerum primum $4n-ii$ quadrata dividantur, inter residua occurrent omnes divisores numeri n positive sumti, iidem vero negative sumti erunt non-residua.

Corollarium. Ergo si d fuerit divisor quicunque numeri n, semper dabuntur hujusmodi formulae $xx-dyy$ per numerum primum $4n-ii$ divisibiles: contra vero nulla dabitur talis formula $xx+dyy$ per hunc numerum primum divisibilis. A. m. T. I. p. 224.

21.

(Krafft.)

Problema. Invenire omnes numeros primos formae $4n+1$, per quos si quadrata dividantur, inter residua occurrat datus numerus $\pm a$.

Solutio. Ante vidimus, si divisor primus fuerit $4ap+ii$, inter residua certo occurrere $\pm a$. Statuatur ergo $4n+1=4ap+ii$, et quia i est impar, ponatur $i=2c+1$, ut prodeat

$$4n+1=4ap+4c^2+4c+1, \text{ seu } n=ap+c^2+c.$$

Quoties ergo fuerit $n=ap+c^2+c$, quicunque numeri pro c et p statuantur, tum numerus $4n+1$ satisfaciet, siquidem fuerit primus.

Corollarium. Simili modo patebit, ut divisori primo $4n-1$ conveniat in residuis numerus $+a$, tum sumi debere $n=ap-c^2-c$.

Formula autem c^2+c hos praebet numeros: 0, 2, 6, 12, 20, 30, 42, 56, etc., quibus per a divisis sit quodvis residuum $=r$, quodvis autem non-residuum sit ϱ, atque sequentia theoremata obtinebuntur:

I. Si fuerit $4n+1$ primus et $n=ap+r$, tum in residuis quadratorum per $4n+1$ divisorum occurrunt numeri $+a$ et $-a$, ideoque dabuntur formulae x^2+ay^2 et x^2-ay^2 per $4n+1$ divisibiles; tum vero etiam formula $a^{2n}-1$ quoque erit divisibilis.

II. Existente $4n+1$ numero primo, si fuerit $n=ap+\varrho$, tum in residuis quadratorum neque $+a$ neque $-a$ occurret, et neutra formula x^2+ay^2 et x^2-ay^2, neque etiam haec $a^{2n}-1$ erit divisibilis per $2n+1$; cum ergo $a^{4n}-1$ sit divisibilis, sequitur, formulam $a^{2n}+1$ fore divisibilem per $4n+1$.

III. Si divisor primus $=4n-1$ atque $n=ap-r$, tum in residuis quadratorum occurret $+a$, non vero $-a$, ideoque dabitur formula $xx-ayy$ per $4n-1$ divisibilis, non vero $xx+ayy$; tum vero formula $a^{2n-1}-1$ divisibilis erit per $4n-1$.

IV. Si divisor primus $4n-1$, at $n=ap-\varrho$, inter residua quadratorum non occurret $+a$, sed $-a$, ideoque dabitur formula $xx+ayy$ divisibilis per $4n-1$, et jam formula $(-a)^{2n-1}-1$, sive $a^{2n-1}+1$ divisibilis erit per $4n-1$.

In his autem theorematibus praecedentia fere omnia continentur, id quod sequentibus ostendamus exemplis.

1) Sit $a=2$, erit $r=0$ et $\varrho=1$, unde sequitur

pro I. $n=2p$, ideoque divisor $4n+1=8p+1$; sequentes igitur dabuntur formulae per $8p+1$ divisibiles: x^2+2y^2, x^2-2y^2 et $2^{4p}-1$;

pro II. $n=2p+1$, ergo $4n+1=8p+5$, per quem numerum scilicet primum neutra formularum x^2+2y^2 et x^2-2y^2, at vero $2^{4p+2}+1$ erit divisibilis;

pro III. $n=2p$ et divisor primus $4n-1=8p-1$, per quem divisibilis erit formula x^2-2y^2, tum vero etiam $2^{4p-1}-1$;

pro IV. $n=2p-1$ et divisor $4n-1=8p-5$, sive $8p+3$, per quem divisibiles erunt formulae x^2+2y^2 et $a^{4p-3}+1$, sive $a^{4p+1}+1$.

2) Sit $a=3$, ubi $r=0$, 2 et $\varrho=1$; ergo

pro I. $n=3p+0$, vel $3p+2$, ideoque $4n+1=12p+1$, $12p+9$, ubi casus posterior est rejiciendus, ita, ut sit $4n+1=12p+1$, per quem divisibiles sunt $x^2\pm3y^2$ et $3^{2n}-1$;

pro II. $n=3p+1$ et divisor $4n+1=12p+5$, per quem divisibilis est formula $3^{2n}+1$;

pro III. $n=3p+0$, 2, et divisor $4n-1=12p-1$, sive $12p-9$, quod sponte excidit, per quem formulae divisibiles x^2+3y^2 et $3^{2n-1}-1$;

pro IV. $n=3p-1$, hinc $4n-1=12p-5$; formulae divisibiles x^2+3y^2 et $3^{2n-1}+1$.

3) Sit $a=5$, ubi $r=0$, 2, 1 et $\varrho=3$, 4, sive $=-1$, -2.

Pro I. $n=5p+0$, 1, 2; $4n+1=20p+1$, (5), 9; formulae divisibiles $x^2\pm5y^2$ et $5^{2n}-1$;

pro II. $n=5p-1$, -2; $4n+1=20p-3$, -7; formula divisibilis $5^{2n}+1$;

pro III. $n=5p-0$, 1, 2; $4n-1=20p-1$, (-5), -9; formulae divisibiles x^2-5y^2, $5^{2n-1}-1$;

pro IV. $n=5p+1$, 2; $4n-1=20p+3$, 7, formulae divisibiles x^2+5y^2 et $5^{2n-1}+1$;

4) Sit $a=6$, $r=0$, 2 et $\varrho=1$, 3, 4, 5, sive $=-2$, -1.

Pro I. $n=6p+0$, 2; $4n+1=24p+1$; formulae divisibiles $x^2\pm6y^2$ et $6^{2n}-1$;

pro II. $n=6p+1$, 3, -2, -1; $4n+1=24p+5$, 13, -7; formula divisibilis $6^{2n}+1$;

pro III. $n=6p-0$, 2 et $4n-1=24p-1$, 9; formulae divisibiles x^2-6y^2 et $6^{2n-1}-1$;

pro IV. $n=6p-1$, -3, $+2$, $+1$; $4n-1=24p-5$, -13, $+7$; formulae divisib. x^2+6y^2 et $6^{2n-1}+1$. Ubi notandum est, unitatem hic perperam referri ad ϱ, valores enim literarum r et ϱ inter se aequales esse debent et oporteret 1 ad r referre, ita ut pro 1 sit etiam $4n+1=24p+5$, quod etiam confirmatur per residua; si enim $n=0$, pro divisore 5 utique occurrit residuum 6, utpote $1+5$.

Idem inconveniens occurret, quoties n est numerus par; id vero incongruum ita diluendum videtur: Cum per divisorem 6 dividi debeant numeri 0, 2, 6, 12, 20, etc. utrinque diviso per 2, habebuntur numeri 0, 1, 3, 6, 10, etc. per 3 dividendi; unde manifesto oritur residuum 1 praeter praecedentia, quod ergo ex ϱ expungi debet: Ita si $a=10$, primo pro r reperimus hos valores 0, 2, 6; per binarium autem dividendo insuper accedunt ad r 1, 3, ita, ut valores ipsius r jam sint 0, 1, 2, 3, 6, ergo ipsius ϱ:

4, 5, 7, 8, 9; $4r+1=1$, (5), 9, 13, (25); $4\varrho+1=17$, 21, 29, 33, 37, sive 17, -19, -11, -7, -3, hic ergo etiam numerus 9 ab ϱ ad r est transferendus.

(*Lexell.*)

Vera autem solutio hujus difficultatis in indole numeri a est quaerenda, qui si fuerit primus, valores pro r et ϱ supra assignati recte se habent; sin autem est compositus, valores quidem pro r oriundi recte se habent, sed non omnes per regulam supra datam reperiuntur, sed aliunde insuper alii accedunt. Ut enim formula $(ab)^x-1$ divisibilis sit per numerum primum $2x+1$, id duplici modo contingere potest: priori quando a^x-1 et b^x-1 divisionem admittunt; si enim a^x-1 est divisibile, erit etiam $(ab)^x-b^x$; addatur formula divisibilis b^x-1, prodit formula divisibilis $(ab)^x-1$, atque hos casus regula nostra suppeditat. Praeterea vero formula $(ab)^x-1$ erit divisibilis, si istae a^x+1 et b^x+1 fuerint divisibiles; cum enim ex priori sequatur $(ab)^x+b^x$ divisibilis, auferendo hinc b^x+1 remanet $(ab)^x-1$ divisibilis. Hinc igitur novi valores ad r accedunt, qui supra ad ϱ perperam erant relati. Totum igitur hoc argumentum accuratius sequenti modo simulque concinnius pertractatur.

Denotet $2m+1$ semper numerum primum, et supra affirmavimus, si fuerit $2m+1=4ab+ii$ (denotante i numeros impares), tum in residuis quadratorum tam $+a$ quam $-a$ reperiri; sin autem fuerit $2m+1=4ab-ii$, tum tantum $+a$ in residuis occurrere; utroque autem casu, hoc est si $2m+1=4ab\pm ii$, formulam a^m-1 divisibilem esse per $2m+1$. Hujus quidem demonstratio nondum perfecta habetur, sed tamen non longe abesse videmur, cum enim quadrata per numerum $2m+1$ dividi debeant, ut residua eruantur, per $2m+1 = 4ab+ii$ dividatur ipsum quadratum ii, et residuum erit $-4ab$, ideoque etiam $-ab$, et quia divisor est formae $4n+1$, etiam $+ab$ erit residuum. Superest igitur tantum, ut demonstretur, tam $+a$ quam $+b$ seorsim inter residua occurrere; si enim ambo essent non-residua, nihilominus productum ab foret residuum. Ad hoc dilucidandum, proponatur divisor primus $2m+1 = 4ab+(2c+1)^2$, ita ut ab certe sit residuum, quoniam hic numerus pluribus aliis modis similiter exhiberi potest. Statuamus $2m+1 = 4p+(2q+1)^2$, et nunc etiam p certe erit residuum. Aequentur hae duae formulae inter se, et reperiemus $p = ab+cc+c-qq-q$, ubi q pro lubitu assumere licet, sicque plura alia residua prodibunt, inter quae si occurrat alteruter numerus a vel b, etiam alter certe erit residuum. Ut hoc uberius explicetur, notasse juvabit, inter residua primum omnia occurrere quadrata, deinde si occurrant numeri α, β, γ, etc., etiam producta ex binis vel pluribus occurrent. Et si occurrant numeri α et $\alpha\gamma$, etiam γ occurret, et si occurrat $\alpha\gamma^2$, etiam α occurret; hoc igitur exemplis illustremus.

Exemplum I. Sit $a = 2$, $b = 2$, ideoque $2m+1 = 16+(2c+1)^2$.

1) Sit $c = 0$ critque $p = 4-qq-q = 4-(0, 2, 6, 12)$, hinc capiatur $p = 4-2 = 2$, ergo 2 certe est residuum.

2) Sit $2c+1 = 5$, erit $p = 4+6-qq-q = 10-(0, 2, 6, 12)$ et sumto $q = 1$, erit $p = 8 = 2.4$, ergo 2 residuum.

3) Sit $c = 4$ sive $2m+1 = 97$, unde $p = 24-qq-q$; sumatur $q = 2$, erit $p = 18$, ideoque 2 residuum.

Exemplum II. Sit $a = 2$ et $b = 3$ et $2m+1 = 24+(2c+1)^2$. Sit $c = 3$, ut fiat $2m+1 = 73$, ergo $p = 6+12-qq-q = 18-qq-q$; sumatur $q = 0$ fit $p = 2.9$, ergo et 2 et 3 residua.

Exemplum III. Sit $a = 3$ et $b = 3$ et $2m+1 = 36+(2c+1)^2$. Sit $c = 0$, ut fiat $2m+1 = 37$, ergo $p = 9-qq-q = 9-(0, 2, 6)$; sumto $q = 2$, $p = 3$. Sit deinde $c = 2$, unde $2m+1 = 61$, hinc

$$p = 9+6-qq-q = 15-(0, 2, 6), \text{ ergo } p = 15-12 = 3.$$

Exemplum IV. Sit $ab = 2.3.5$, ideoque $2m+1 = 8.3.5+(2c+1)^2$. Sumto $c = 5$, ut sit $2m+1 = 241$, erit

$$p = 2.3.5+30-qq-q = 60-(0, 2, 6, 12, 20, 30, 42, 56).$$

At $60-6$ dat $54 = 6.9$, ergo 6 est residuum, ergo et 5; deinde $p = 60-12$ dat $48 = 3.16$, unde 3 est residuum et 2, sicque singuli factores 2, 3, 5 sunt residua.

Exemplum V. Sit $ab = 3.5.7 = 105$, ideoque $2m+1 = 420+(2c+1)^2$ et sumto $c = 0$, $2m+1 = 421$, unde

$$p = 105-q(q+1) = 105-(0, 2, 6, 12, 20, 30, 42, 56, 72, 90, 110).$$

Hinc $105-30 = 75 = 3.25$, ergo 3 est residuum, ideoque et 35. Deinde $p = 105-42 = 63 = 7.9$, ideoque 7 residuum ut et 5; sicque singuli factores sunt residua.

Hinc ergo tuto concludi posse videtur, quotcunque etiam factores habeat productum ab, singulos semper quoque inter residua occurrere, quod idem simili modo de altera forma $4ab-(2c+1)^2$ ostenditur; posito enim

$$4ab-(2c+1)^2 = 4p-(2q+1)^2, \text{ erit } p = ab-cc-c+qq+q;$$

ubi p certo est residuum.

Exemplum I. Sit $ab = 2.2$, $2m+1 = 16-(2c+1)^2$, sumto $c = 1$, $2m+1 = 7$, ergo

$$p = 4-2+qq+q = 2+qq+q,$$

unde si $q = 0$, patet 2 esse residuum.

Exemplum II. Sit $ab = 2.3 = 6$, erit $2m+1 = 24-(2c+1)^2$; posito $c = 0$, $2m+1 = 23$, ergo

$$p = 6+qq+q = 6+(0, 2, 6, 12, 20), \text{ unde } p = 6+2 = 8 = 2.4,$$

ergo 2 residuum, ideoque et 3, sive $p = 6+6 = 12 = 3.4$, ergo 3 residuum.

Exemplum III. Sit $ab = 2.2.3.5 = 60$ et $2m+1 = 240-(2c+1)^2$; posito

$$c = 0, \; 2m+1 = 239, \text{ unde } p = 60+(0, 2, 6, 12, 20, 30, 42, \text{etc.}).$$

42 76
21 152
10 ~~304~~
5 608
2 ~~1216~~
1 2432

76

532

Hinc $p = 60 + 12 = 72 = 2.36$, ergo 2 est residuum. Porro $p = 60 + 20 = 5.16$, ergo 5 residuum, ideoque etiam 3. Sive sumto $p = 60 + 30 = 90 = 10.9$, ergo 10 residuum, hinc etiam 5. Sumto autem $c = 3$ fit $2m + 1 = 191$ primus, ergo

$$p = 60 - 12 + qq + q = 48 + qq + q = 48 + (0, 2, 6, 12, 20, 30, 42).$$

Hinc statim $p = 48 = 3.16$ dat 3 pro residuo; deinde $p = 50 = 2.25$ dat 2 pro residuo. Porro

$$p = 48 + 42 = 90 = 10.9, \text{ ergo } 10 \text{ residuum, ideoque et } 5.$$

Quamquam haec prorsus certa videntur, tamen demonstratio desideratur.

Uberior consideratio formulae $2m + 1 = 4ab \pm ii$,

ubi primo inquirendum, quibusnam casibus a inter residua reperiatur. Quia ii semper est numerus formae $4r + 1$, nostra formula ita referetur $4ab \pm (4r + 1)$, at formula $4r + 1$ continet primo omnia quadrata imparia, quae quidem cum $4ab$ numeros primos dare possunt, majora autem infra $4a$ deprimi possunt, dum ab iis subtrahitur $4a$ quoties fieri possit, hocque modo pro quovis casu numeri a, formula $4r + 1$ certos sortietur valores minores, quam $4a$, ac si a fuerit numerus primus, hoc modo omnes prodeunt idonei valores pro $4r + 1$, qui autem numeri hujus formae non occurrunt, eos formula $4\varrho + 1$ indicemus, atque his numeris utriusque generis $4r + 1$ et $4\varrho + 1$ pro quovis numero primo a definitis, sequentia habebimus theoremata.

I. Si fuerit $2m + 1 = 4ab \pm (4r + 1)$, tum formula $a^m - 1$ semper erit divisibilis per $2m + 1$, ac casu signi superioris tam $+ a$ quam $- a$ inter residua quadratorum reperientur, casu autem signi inferioris, tantum $+ a$ erit residuum, et $- a$ non-residuum.

II. Si fuerit $2m + 1 = 4ab \pm (4\varrho + 1)$, tum semper formula $a^m + 1$ dividi poterit per $2m + 1$, tum vero pro signo superiore $+$ neque a nec $- a$ erit residuum, sive neque $xx + ayy$ nec $xx - ayy$ unquam per $2m + 1$ dividi poterit. Pro signo autem inferiore $-$, inter residua erit $- a$, sive formula $xx + ayy$ divisibilis erit per $2m + 1$; probe autem hic notetur, haec tantum valere, si a fuerit numerus primus, numeri enim compositi aliam requirunt evolutionem. Nunc igitur pro singulis numeris primis a exhibeamus numeros illos duplicis generis in formulis $4r + 1$ et $4\varrho + 1$ contentos.

$$a = 2 \begin{cases} 4r + 1 = 1, \;\Big|\; 9, 17, 25, 33, 41, 49, 57, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, \;\Big|\; 13, 21, 29, 37, 45, 53, 61, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 3 \begin{cases} 4r + 1 = 1, \;\Big|\; 13, 25, 37, 49, 61, 73, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, \;\Big|\; 17, 29, 41, 53, 65, 77, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 5 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 9, \;\Big|\; 21, 29, 41, 49, 61, 69, 81, 89, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 13, 17, \;\Big|\; 33, 37, 53, 57, 73, 77, 93, 97, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 7 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 9, 25, \;\Big|\; 29, 37, 53, 57, 65, 81, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, 13, 17, \;\Big|\; 33, 41, 45, 61, 69, 73, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 11 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 5, 9, 25, 37, \;\Big|\; 45, 49, 53, 69, 81, \;\Big|\; 89, 93, 97, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 13, 17, 21, 29, 41, \;\Big|\; 57, 61, 65, 73, 85, \;\Big|\; 101, 105, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 13 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 9, 17, 25, 29, 49, \;\Big|\; 53, 61, 69, 77, 81, 101, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, 21, 33, 37, 41, 45, \;\Big|\; 57, 73, 85, 89, 93, 97, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 17 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 9, 13, 21, 25, 33, 49, 53, \;\Big|\; 69, 77, 81, 89, 93, 101, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, 29, 37, 41, 45, 57, 61, 65, \;\Big|\; 73, 97, 105, \text{ etc.} \end{cases}$$

$$a = 19 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 5, 9, 17, 25, 45, 49, 61, 73, \;\Big|\; 77, 81, 85, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 13, 21, 29, 33, 37, 41, 53, 65, 69, \;\Big|\; \text{etc.} \end{cases}$$

$$a = 23 \begin{cases} 4r + 1 = 1, 9, 13, 25, 29, 41, 49, 73, 77, 81, 85, \text{ etc.} \\ 4\varrho + 1 = 5, 17, 21, 33, 37, 45, 53, 57, 61, 65, 89, \text{ etc.} \end{cases}$$

Geminas has series pro quovis numero primo a facile in infinitum continuare licet, eas autem in periodos distinximus, quarum prima continet numeros formae $4n+1$, minores quam $4a$, secunda periodus continet eosdem numeros $+4a$. Tertia continet numeros secundae periodi $+4a$ et ita porro.

Hinc igitur pro casibus, quibus a est primus, judicare licet, utrum formula a^m-1 an a^m+1 per numerum primum $2m+1$ sit divisibilis; prius scilicet evenit, quoties fuerit $2m+1=4ab\pm(4r+1)$, posterius vero quoties fuerit $2m+1=4ab\pm(4\varrho+1)$. Circa has series notari oportet, in qualibet periodo contineri $\frac{a-1}{2}$ terminos, ita ut in ordine $4\varrho+1$ totidem sint termini quot in $4r+1$; deinde omnes termini ordinis $4r+1$ vel ipsi sunt quadrata, vel tales, ut $4r+1+4an$ fieri possit quadratum. Contra vero numeri $4\varrho+1$ omnes ita sunt comparati, ut formula $4\varrho+1+4an$ nunquam fieri possit quadratum, quicunque numerus pro n capiatur.

Problema. Nunc videamus, quomodo judicium institui debeat, quando numerus a habet factores, scilicet tum etiam investigemus tam terminos $4r+1$ quam $4\varrho+1$ tali numero a convenientes.

Solutio. Sit $a=fg$ et f et g numeri primi. Quaerantur primo pro f numeri tam formae $4r+1$ quam $4\varrho+1$, qui ita designentur ${}^f(4r+1)$ et ${}^f(4\varrho+1)$, eodemque modo pro numero g habeantur formulae ${}^g(4r+1)$ et ${}^g(4\varrho+1)$, quo facto excerpantur omnes numeri binis formulis ${}^f(4r+1)$ et ${}^g(4r+1)$ communes, cujusmodi sit P, et ex praecedentibus patet, si divisor fuerit $4fp\pm P=2m+1$, tum formulam f^m-1 fore divisibilem per $2m+1$. Simili modo pro divisore $2m+1=4gq\pm P$ formulam g^m-1 esse divisibilem. Fiat nunc $p=gn$ et $q=fn$, ut prodeat communis divisor $4fgn\pm P$, per quem ambae formulae f^m-1 et g^m-1 erunt divisibiles, unde sequitur, quoque formulam $(fg)^m-1=a^m-1$ fore divisibilem. Praeterea cum a^m-1 quoque sit divisibile, si tam f^m+1 quam g^m+1 dividi queant, id quod evenit, si ex ordinibus ${}^f(4\varrho+1)$ et ${}^g(4\varrho+1)$ termini communes excerpantur, quam ob rem pro numero proposito $a=fg$ ordo $4r+1$ primo continebit omnes terminos communes ordinum ${}^f(4r+1)$ et ${}^g(4r+1)$, praeterea vero etiam terminos communes ordinibus ${}^f(4\varrho+1)$ et ${}^g(4\varrho+1)$. Reliqui vero numeri formae $4n+1$ hic non occurrentes ad ordinem $4\varrho+1$ sunt referendi, ubi ergo occurrent primo termini communes ordinibus ${}^f(4r+1)$ et ${}^g(4\varrho+1)$, tum vero etiam communes ordinibus ${}^g(4r+1)$ et ${}^f(4\varrho+1)$; hoc igitur modo pro numero $a=fg$ facile colligentur numeri ordinis $4r+1$ et $4\varrho+1$.

Corollarium 1. Si fuerit $g=f$, ita ut a fiat quadratum $=ff$, tum pro ordine $4r+1$ omnes plane numeri ordinis $4n+1$ occurrent, alter vero ordo $4\varrho+1$ plane manebit vacuus, id quod etiam inde manifestum est, quod si a fuerit quadratum $=ff$, semper formulam $a^m-1=f^{2m}-1$ esse divisibilem per numerum $2m+1$.

Corollarium 2. Sin autem factores f et g fuerint dispares, ex praecedentibus ordinibus serierum facile pro quovis numero $a=fg$ termini utriusque ordinis colligentur, quemadmodum ex sequentibus exemplis patebit.

Exemplum I. Sit $a=2.3$, ideoque $4a=24$, et terminus communis ordinum ${}^2(4r+1)$ et ${}^3(4r+1)$ est 1 cum sequentibus 25, 49, 73, 97; at vero terminus ordinibus ${}^2(4\varrho+1)$ et ${}^3(4\varrho+1)$ communis est 5, unde in primo ordine tantum occurrunt 1, 5, at pro ordine $(4\varrho+1)$ terminus communis ordinibus ${}^2(4r+1)$ et ${}^3(4\varrho+1)$ est 17, ordinibus autem ${}^3(4r+1)$ et ${}^2(4\varrho+1)$ communis est 13. Qui ordines ita referantur

$$a=6,\quad 4a=24\left\{\begin{array}{l|l} 4r+1=\ 1,\ 5, & 25,\ 29,\ 49,\ 53,\ 73,\ 77,\ 97,\ 101 \\ 4\varrho+1=13,\ 17, & 37,\ 41,\ 61,\ 65,\ 85,\ 89 \end{array}\right.$$

Exemplum 2. Sit $a=2.5=10$ et $4a=40$. Hic termini communes ordinum ${}^2(4r+1)$ et ${}^5(4r+1)$ sunt 1, 9, at termini communes ordinum ${}^2(4\varrho+1)$ et ${}^5(4\varrho+1)$ sunt 13, 37. At pro ordine $4\varrho+1$ sunt termini communes ${}^2(4r+1)$ et ${}^5(4\varrho+1)$, 17, 33, at ordines ${}^5(4r+1)$ et ${}^2(4\varrho+1)$ communes habent 21, 29, unde fit

$$a=10,\quad 4a=40\left\{\begin{array}{l|l} 4r+1=\ 1,\ 9,\ 13,\ 37, & 41,\ 49,\ 53,\ 77,\ 81,\ 89,\ 93 \\ 4\varrho+1=17,\ 21,\ 29,\ 33, & 57,\ 61,\ 69,\ 73,\ 97 \end{array}\right.$$

25.

(*N. Fass. I.*)

Theorema. Haec formula $x^{2n}+x^n+1$ semper est divisibilis per $xx+x+1$, dummodo n non sit multiplum ternarii.

Demonstratio. Si enim illa formula multiplicetur per x^n-1, productum $x^{3n}-1$ semper est divisibile per x^3-1, ideoque etiam per $xx+x+1$; quia ergo multiplicator x^n-1 non est divisibilis, necesse est ipsam formulam esse divisibilem. Q. e. d.

Theorema. Haec formula $x^{4n}+x^{3n}+x^{2n}+x^n+1$ semper est divisibilis per $x^4+x^3+x^2+x+1$, dummodo exponens n non fuerit multiplum ipsius 5.

Demonstratio similis praecedenti.

Theorema. Si capiatur angulus $=\left(\frac{m}{n\pm1}\right)360^0$, haec formula $x^{2n}-2x^n\cos\vartheta+1$ semper est divisibilis per hanc $xx-2x\cos\vartheta+1$.

A. m. T. I. p. 285.

26.

Theorema, cujus demonstratio etiamnunc desideratur. Si haec formula $4mnk+maa+nbb$ fuerit numerus primus, puta P, tum semper assignari possunt numeri x et y, ut fiat $mxx+nyy=P$.

Sit $m=3$, $n=2$, $a=1$ et $b=1$, erit $maa+nbb=5$ et $4mnk+5=24k+5$. Sumatur $k=2$, erit $P=53$ et esse debebit $3xx+2yy=53$, sit $x=1$ et $y=5$. Plerumque quidem tales numeri pro x et y dantur integri, interdum tamen non nisi fractos assignare licet, veluti si fuerit $m=7$ et $n=2$, praeterea vero $a=1$ et $b=1$, ita ut sit $P=56k+9$, unde sumto $k=4$ fit $P=233$, qui numerus in integris esse nequit $=7xx+2yy$. At si capiatur $x=\frac{5}{3}$, erit $233=\frac{175}{9}+2yy$, ergo $2yy=\frac{1922}{9}$, ergo $y^2=\frac{961}{9}$ et $y=\frac{31}{3}$.

A. m. T. I. p. 300.

27.

Theorema. Non dantur tria biquadrata, quorum summa esset divisibilis vel per 5, vel per 29, quae sola excipiuntur.

A. m. T. II. p. 161.

28.

Observatio. Proposito quocunque numero primo $p=2n+1$, omnes numeri eo minores, qui sunt $1, 2, 3, 4 \ldots 2n$, semper tali ordine disponi possunt, ut certis multiplis ipsius p aucti, progressionem geometricam constituant, sive tales assignari possunt numeri x, ut progressionis geometricae $1, x, x^2, x^3, x^4 \ldots x^{2n}$ si singuli termini per p divisi deprimantur, omnes numeri ipso p minores prodeant, uti ex sequentibus exemplis patebit. Notetur autem potestatem x^{2n} hoc modo semper dare unitatem, propterea quod $x^{2n}-1$ semper per p dividi potest, unde sequentes potestates x^{2n+1}, x^{2n+2}, x^{2n+3}, etc. eosdem reproducunt numeros, uti ab initio.

I. Sit $p=3$ et $n=1$ et progressio geometrica erit $1, x, xx$. Sumto ergo $x=2$, progressio geometrica erit 1, 2, 1, 2, 1, 2, 1, 2, etc.

II. Sit $p=5$ et $n=2$ et progressio geometrica $1, x, x^2, x^3$, etc. Hinc sumto $x=2$ habetur

1, 2, 4, 3, 1, 2, 4, 3, 1, etc.

sumto autem $x=3$, erit ea 1, 3, 4, 2, 1, 3, 4, 2, 1, etc.

III. Sit $p=7$ et $n=3$, erit progressio $1, x, x^2, x^3, x^4$, etc. Hinc sumto $x=2$, erit ea 1, 2, 4, 1, unde patet hinc tantum terminos pares oriri, unde x ita sumi debet, ut fiat $xx-2=7m$, ideoque $x=3$, et progressio geometrica erit 1, 3, 2, 6, 4, 5, 1, 3, 2, etc. Loco x autem etiam sumi posset alia potestas x^2, si modo λ ad 6 fuerit primus, ita sumto $\lambda = 5$, capi poterit $x = 5$, unde oritur 1, 5, 4, 6, 2, 3, 1, quae est prioris retrograda. Semper autem series retrograda aeque satisfacit.

IV. Sit $p = 11$ et $n = 5$, at sumto $x = 2$ erit progressio

1,	2,	4,	8,	5,	10,	9,	7,	3,	6,	1
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	

Hic autem primo etiam retrograda valet:

1, 6, 3, 7, 9, 10, 5, 8, 4, 2, 1.

Praeterea posito $x = x^3, x^7, x^9$, qui numeri sunt 8, 7 et 6, tum erit progressio:

1, 8, 9, 6, 4, 10, 3, 2, 5, 7, 1,

cujus retrograda oritur sumto $x = 7$.

V. Sit $p = 13$ et $n = 6$, at sumto $x = 2$, erit progressio

1,	2,	4,	8,	3,	6,	12,	11,	9,	5,	10,	7,	1
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	

Dein pro x sumi possunt numeri 6, 11, 7. Sumto igitur $x = 6$, ea erit

1, 6, 10, 8, 9, 2, 12, 7, 3, 5, 4, 11, 1.

Reflexiones generales. 1. Perpetuo hic potestati x^n conveniet numerus $2n$. Cum enim ejus quadratum

$$x^{2n} \text{ det } 1, \text{ erit } x^n = \sqrt{1}, \text{ ergo } x^n = -1 = p - 1 = 2n.$$

2. Si potestati x^λ respondeat numerus a, tum potestati $x^{n+\lambda}$ respondebit numerus $p - a = 2n + 1 - a$. Cum enim sit

$$x^\lambda = +a \text{ et } x^n = -1, \text{ erit } x^{\lambda+n} = -a = p - a = 2n + 1 - a.$$

Sufficit ergo seriem usque ad medium $2n$ continuare, quia sequentes sunt complementa priorum.

3. Posito $x = a$, ejus reciprocum vocemus $\frac{1}{a}$, sive $\frac{mp+1}{a}$, ut prodeat numerus integer, quem designemus per α, ut sit $\alpha = \frac{1}{a}$, eodemque modo $\beta = \frac{1}{b}$, $\gamma = \frac{1}{c}$ etc. Ita casu $p = 13$, si fuerit

$$a = 2, \ 3, \ 4, \ 5, \ 6, \ 7, \ \text{etc.}$$

$$\text{erit} \quad \alpha = 7, \ 9, \ 10, \ 8, \ 11, \ 2.$$

Notetur enim complementorum reciproca etiam esse complementa.

4. Constitutis his reciprocis, si fuerit $x^\lambda = a$, tum erit $x^{2n-\lambda} = \alpha$, propterea, quod productum potestatum est $x^{2n} = 1$, ideoque $a\alpha = 1$. Deinde vidimus esse $x^{n+\lambda} = p - a$, erit igitur $x^{n-\lambda} = p - \alpha$; ita ut cognito uno termino, simul quatuor innotescant, quod exemplis illustretur.

Sit $p = 19$, $n = 9$

potestates	numeri	potestates	numeri
1	1	x^9	18
x^1	a	x^{10}	$19 - a$
x^2	b	x^{11}	$19 - b$
x^3	c	x^{12}	$19 - c$
x^4	d	x^{13}	$19 - d$
x^5	$p - \delta$	x^{14}	δ
x^6	$p - \gamma$	x^{15}	γ
x^7	$p - \beta$	x^{16}	β
x^8	$p - \alpha$	x^{17}	α

Hic igitur notetur esse debere $b = a^2$, $c = a^3$, $d = a^4$, etc. Si ergo sumatur $a = 2$, erit $b = 4$, $c = 8$, $d = 16$, tum vero $\alpha = 10$, $\beta = 5$, $\gamma = 12$, $\delta = 6$, unde formatur haec progressio geometrica

25.

(*N. Fuss I.*)

THEOREMA. Haec formula $x^{2n}+x^n+1$ semper est divisibilis per $xx+x+1$, dummodo n non sit multiplum ternarii.

DEMONSTRATIO. Si enim illa formula multiplicetur per x^n-1, productum $x^{3n}-1$ semper est divisibile per x^3-1, ideoque etiam per $xx+x+1$; quia ergo multiplicator x^n-1 non est divisibilis, necesse est ipsam formulam esse divisibilem. Q. e. d.

THEOREMA. Haec formula $x^{4n}+x^{3n}+x^{2n}+x^n+1$ semper est divisibilis per $x^4+x^3+x^2+x+1$, dummodo exponens n non fuerit multiplum ipsius 5.

DEMONSTRATIO similis praecedenti.

THEOREMA. Si capiatur angulus $=\left(\frac{m}{n\pm1}\right)360^0$, haec formula $x^{2n}-2x^n\cos\vartheta+1$ semper est divisibilis per hanc $xx-2x\cos\vartheta+1$. A. m. T. I. p. 285.

26.

THEOREMA, cujus demonstratio etiamnunc desideratur. Si haec formula $4mnk+maa+nbb$ fuerit numerus primus, puta P, tum semper assignari possunt numeri x et y, ut fiat $mxx+nyy=P$.

Sit $m=3$, $n=2$, $a=1$ et $b=1$, erit $maa+nbb=5$ et $4mnk+5=24k+5$. Sumatur $k=2$, erit $P=53$ et esse debebit $3xx+2yy=53$, sit $x=1$ et $y=5$. Plerumque quidem tales numeri pro x et y dantur integri, interdum tamen non nisi fractos assignare licet, veluti si fuerit $m=7$ et $n=2$, praeterea vero $a=1$ et $b=1$, ita ut sit $P=56k+9$, unde sumto $k=4$ fit $P=233$, qui numerus in integris esse nequit $=7xx+2yy$. At si capiatur $x=\frac{5}{3}$, erit $233=\frac{175}{9}+2yy$, ergo $2yy=\frac{1922}{9}$, ergo $y^2=\frac{961}{9}$ et $y=\frac{31}{3}$.

A. m. T. I. p. 300.

27.

THEOREMA. Non dantur tria biquadrata, quorum summa esset divisibilis vel per 5, vel per 29, quae sola excipiuntur. A. m. T. II. p. 161.

28.

OBSERVATIO. Proposito quocunque numero primo $p=2n+1$, omnes numeri eo minores, qui sunt 1, 2, 3, 4 . . . $2n$, semper tali ordine disponi possunt, ut certis multiplis ipsius p aucti, progressionem geometricam constituant, sive tales assignari possunt numeri x, ut progressionis geometricae $1, x, x^2, x^3, x^4 \ldots x^{2n}$ si singuli termini per p divisi deprimantur, omnes numeri ipso p minores prodeant, uti ex sequentibus exemplis patebit. Notetur autem potestatem x^{2n} hoc modo semper dare unitatem, propterea quod $x^{2n}-1$ semper per p dividi potest, unde sequentes potestates x^{2n+1}, x^{2n+2}, x^{2n+3}, etc. eosdem reproducunt numeros, uti ab initio.

I. Sit $p=3$ et $n=1$ et progressio geometrica erit $1, x, xx$. Sumto ergo $x=2$, progressio geometrica erit 1, 2, 1, 2, 1, 2, 1, 2, etc.

II. Sit $p=5$ et $n=2$ et progressio geometrica $1, x, x^2, x^3$, etc. Hinc sumto $x=2$ habetur

1, 2, 4, 3, 1, 2, 4, 3, 1, etc.

sumto autem $x=3$, erit ea 1, 3, 4, 2, 1, 3, 4, 2, 1, etc.

III. Sit $p=7$ et $n=3$, erit progressio $1, x, x^2, x^3, x^4$, etc. Hinc sumto $x=2$, erit ea 1, 2, 4, 1, unde patet hinc tantum terminos pares oriri, unde x ita sumi debet, ut fiat $xx-2=7m$, ideoque $x=3$, et progressio geometrica erit 1, 3, 2, 6, 4, 5, 1, 3, 2, etc. Loco x autem etiam sumi posset alia potestas x^λ, si modo λ ad 6 fuerit primus, ita sumto $\lambda = 5$, capi poterit $x = 5$, unde oritur 1, 5, 4, 6, 2, 3, 1, quae est prioris retrograda. Semper autem series retrograda aeque satisfacit.

IV. Sit $p = 11$ et $n = 5$, at sumto $x = 2$ erit progressio

$$\begin{array}{ccccccccccc} 1, & 2, & 4, & 8, & 5, & 10, & 9, & 7, & 3, & 6, & 1 \\ & 1 & 2 & 3 & 4 & 5 & 6 & 7 & 8 & 9 & \end{array}$$

Hic autem primo etiam retrograda valet:

$$1,\ 6,\ 3,\ 7,\ 9,\ 10,\ 5,\ 8,\ 4,\ 2,\ 1.$$

Praeterea posito $x = x^3, x^7, x^9$, qui numeri sunt 8, 7 et 6, tum erit progressio:

$$1,\ 8,\ 9,\ 6,\ 4,\ 10,\ 3,\ 2,\ 5,\ 7,\ 1,$$

cujus retrograda oritur sumto $x = 7$.

V. Sit $p = 13$ et $n = 6$, at sumto $x = 2$, erit progressio

$$\begin{array}{ccccccccccccc} 1, & 2, & 4, & 8, & 3, & 6, & 12, & 11, & 9, & 5, & 10, & 7, & 1 \\ & 1 & 2 & 3 & 4 & 5 & 6 & 7 & 8 & 9 & 10 & 11 & \end{array}$$

Dein pro x sumi possunt numeri 6, 11, 7. Sumto igitur $x = 6$, ea erit

$$1,\ 6,\ 10,\ 8,\ 9,\ 2,\ 12,\ 7,\ 3,\ 5,\ 4,\ 11,\ 1.$$

Reflexiones generales. 1. Perpetuo hic potestati x^n conveniet numerus $2n$. Cum enim ejus quadratum

$$x^{2n} \text{ det } 1, \text{ erit } x^n = \sqrt{1}, \text{ ergo } x^n = -1 = p-1 = 2n.$$

2. Si potestati x^λ respondeat numerus a, tum potestati $x^{n+\lambda}$ respondebit numerus $p - a = 2n+1-a$. Cum enim sit

$$x^\lambda = +a \text{ et } x^n = -1, \text{ erit } x^{\lambda+n} = -a = p - a = 2n+1-a.$$

Sufficit ergo seriem usque ad medium $2n$ continuare, quia sequentes sunt complementa priorum.

3. Posito $x = a$, ejus reciprocum vocemus $\frac{1}{a}$, sive $\frac{mp+1}{a}$, ut prodeat numerus integer, quem designemus per α, ut sit $\alpha = \frac{1}{a}$, eodemque modo $\beta = \frac{1}{b}$, $\gamma = \frac{1}{c}$ etc. Ita casu $p = 13$, si fuerit

$$a = 2,\ 3,\ 4,\ 5,\ 6,\ 7, \text{ etc.}$$

$$\text{erit } \alpha = 7,\ 9,\ 10,\ 8,\ 11,\ 2.$$

Notetur enim complementorum reciproca etiam esse complementa.

4. Constitutis his reciprocis, si fuerit $x^\lambda = a$, tum erit $x^{2n-\lambda} = \alpha$, propterea, quod productum potestatum est $x^{2n} = 1$, ideoque $a\alpha = 1$. Deinde vidimus esse $x^{n+\lambda} = p - a$, erit igitur $x^{n-\lambda} = p - \alpha$; ita ut cognito uno termino, simul quatuor innotescant, quod exemplis illustretur.

Sit $p = 19$, $n = 9$

potestates	numeri	potestates	numeri
1	1	x^9	18
x^1	a	x^{10}	$19-a$
x^2	b	x^{11}	$19-b$
x^3	c	x^{12}	$19-c$
x^4	d	x^{13}	$19-d$
x^5	$p-\delta$	x^{14}	δ
x^6	$p-\gamma$	x^{15}	γ
x^7	$p-\beta$	x^{16}	β
x^8	$p-\alpha$	x^{17}	α

Hic igitur notetur esse debere $b = a^2$, $c = a^3$, $d = a^4$, etc. Si ergo sumatur $a = 2$, erit $b = 4$, $c = 8$, $d = 16$, tum vero $\alpha = 10$, $\beta = 5$, $\gamma = 12$, $\delta = 6$, unde formatur haec progressio geometrica

$$\begin{array}{cccccccccccccccccc} 1, & 2, & 4, & 8, & 16, & 13, & 7, & 14, & 9, & 18, & 17, & 15, & 11, & 3, & 6, & 12, & 5, & 10 \\ & 1 & 2 & 3 & 4 & 5 & 6 & 7 & 8 & 9 & 10 & 11 & 12 & 13 & 14 & 15 & 16 & 17 \end{array}$$

Loco x autem quoque sumi possunt numeri potestati x^{λ} respondentes, si modo λ ad 18 fuerit primus. Cum autem $18 = 2.3^2$, multitudo numerorum ad 18 primorum est 6 et valores pro λ sunt 1, 5, 7, 11, 13, 17, unde pro x sumi possunt hi numeri 2, 13, 14, 10, 3, 15, unde sex progressiones geometricas formare licet, quarum tres erunt priorum retrogradae.

Exemplum. Sit $p = 41$ et $n = 20$, et sumatur $x = 2$, unde progressio geometrica oritur

$$\begin{array}{ccccccccccc} 1, & 2, & 4, & 8, & 16, & 32, & 23, & 5, & 10, & 20, & 40 \\ & 1 & 2 & 3 & 4 & 5 & 6 & 7 & 8 & 9 & 10 \end{array}$$

unde pro x^{20} prodit $+1$, ita ut sit $2^{20} = +1$, unde patet esse $xx = 2$, ideoque $x = \sqrt{(2+41m)} = 17$ (posito $m = 7$). Factum hinc est sequens schema:

41)

0	1						
1	17	11	11	21	23	31	30
2	2	12	23	22	39	32	18
3	34	13	22	23	7	33	19
4	4	14	5	24	37	34	36
5	27	15	3	25	14	35	38
6	8	16	10	26	33	36	31
7	13	17	6	27	28	37	35
8	16	18	20	28	25	38	21
9	26	19	12	29	15	39	29
10	32	20	40	30	9	40	1

Jam ad 40 valores ipsius λ primi sunt 1, 3, 7, 9, 11, 13, 17, 19, 21, 23, 27, 29, 31, 33, 37, 39, unde pro x accipi poterunt sequentes numeri: 17, 34, 13, 26, 11, 22, 6, 12, 24, 7, 28, 15, 30, 19, 35, 29. Si sumsissemus $x = 3$, prodiisset progressio

$$\begin{array}{ccccc} 1, & 3, & 9, & 27, & 40, \\ & 1 & 2 & 3 & 4 \end{array}$$

sequeretur $3^4 = x^{20}$, ergo $3 = x^5$. Supra autem invenimus esse $2 = x^2$, ergo $4 = x^4$, unde oritur $x = \frac{3}{4}$, sive $x = \frac{3+41m}{4} = 11$. Cum igitur formula $a^{40} - 1$ semper dividi queat per 41 h. e. si fuerit $a = x^{\lambda}$, denotante λ numero quocunque, ista formula $b^{20} - 1$ dividi poterit per 41, si fuerit $b = aa$, h. e. si fuerit $b = x^{2\lambda}$. Quoniam igitur $a^{40} - 1 = (a^{20} - 1)(a^{20} + 1)$, prior vero factor $a^{20} - 1$ divisibilis sit casibus $a = x^{2\lambda}$, sequitur, reliquis casibus, h. e. casibus $a = x^{2\lambda+1}$, formulam $a^{20} + 1$ divisibilem esse per 41, h. e. si fuerit

erit areae curvae differentiale $= ydx$; unde quantitas, cujus differentiale $= ydx$ exhibebit aream inter lineam curvam et coordinatas x et y contentam.

14. Hinc etiam infinitarum aliarum quantitatum, quae ipsae per x et y exprimi nequeunt, differentialia assignari poterunt. Concipiatur curva BM circa axem AP converti, ut generetur solidum rotundum, atque hac rotatione trapezium $PMmp$ generabit conum truncatum, cujus soliditas praebebit differentiale illius solidi rotundi; superficies autem convexa istius coni truncati differentiale superficiei solidi rotundi. Ad haec differentialia exprimenda sit $1 : \pi$ ratio diametri ad peripheriam, seu radii ad semicircumferentiam, erit circuli, radio $PM = y$ descripti, peripheria $= 2\pi y$, et area πyy; circuli autem radio $pm = y + dy$ descripti peripheria $= 2\pi(y + dy)$ et area $= \pi(y + dy)^2$. Jam pro differentiali superficiei erit semisumma circumferentiarum utriusque basis coni truncati $= \pi y + \pi(y + dy) = 2\pi y$, quae per latus coni $Mm = \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$ multiplicata dabit differentiale superficiei solidi rotundi $= 2\pi y\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = 2\pi y dx\sqrt{(1 + pp)}$, posito $dy = pdx$.

15. Soliditas autem hujus coni truncati, quae dat differentiale soliditatis solidi rotundi, secundum regulas stereometriae reperietur, si ad summam basium $\pi yy + \pi(y + dy)^2$ addatur media proportionalis inter easdem $\pi y(y + dy)$, eritque aggregatum $= 3\pi yy + 3\pi y dy + \pi dy^2 = 3\pi yy$, ob reliquos terminos prae $3\pi yy$ evanescentes. Deinde triens hujus summae πyy multiplicari debet per altitudinem coni scaleni $Pp = dx$, eritque productum $\pi yydx$ soliditas coni truncati, simulque differentiale soliditatis solidi rotundi; unde ope calculi integralis vicissim tam volumen istius solidi rotundi quam ipsius superficiei inveniri poterit.

16. Praeterea hic quoque diligenter observandum est, in calculo omnia differentialia perpetuo tanquam affirmativa spectari. Scilicet quantitas variabilis quaecunque z in statu sequenti proximo semper in $z + dz$ abire assumitur, sive ea crescat sive decrescat; et cum differentiale sit differentia, quae remanet, si quantitas variabilis z a suo valore sequente $z + dz$ subtrahatur, erit $+ dz$ semper ejus differentiale. Nihilo tamen minus hoc modo omnium quantitatum, sive sint crescentes sive decrescentes, differentialia distincte exhibentur; si enim z crescat, ejus differentiale dz affirmativum, sin decrescat, negativum valorem habere invenitur. Sic si sit $z = \frac{1}{x}$ erit $+ dz = \frac{-dx}{xx}$, unde manifestum est quantitatem z decrescere, dum x crescit. Hac autem hypothesi innititur constantia regularum analysis infinitorum, unde summus usus in calculum redundat.

17. Quodsi autem figurae veritati conformiter delineentur, atque in iis differentialia modo ante exposito repraesententur, saepenumero ea a calculo discrepare videbuntur; neque tamen hinc ulla confusio, si ad principia sedulo attendamus, oriri poterit, quin potius, si ab hac lege recederemus, maximis difficultatibus implicaremur, unde nos extricare non possemus, nisi novis calculi differentialis regulis stabiliendis. Sic si quantitas variabilis x (Fig. 3) linea recta AP repraesentetur, eaque in situ proximo abeat in Ap, haec linea Ap per $x + dx$ designari debebit, eritque propterea $Pp = Ap - AP = -dx$. Si quis autem hoc decrementum Pp per dx exprimere velit, atque ideo $Ap = x - dx$ statuere, is contra principia calculi differentialis stabilita peccaret, vel aliis regulis ad calculum prosequendum uti deberet. Praeter necessitatem autem has regulas multiplicare ridiculum foret.

18. Omnis autem ambiguitas evitabitur, si, postquam singulas quantitates in calculum ingredientes suis litteris denominaverimus, easdem quantitates in situm proximum translatas iisdem litteris suis differentialibus auctis designemus. In figura autem, si lineis principalibus litteras majusculas adscripserimus, iisdem in statum proximum translatis, easdem litteras minusculas adscribemus. Sic si (Fig 4) in curva BM ad axem AP relata vocetur abscissa $AP = x$, et applicata $PM = y$, in situ proximo erit abcissa $Ap = x + dx$, et applicata $pm = y + dy$. Unde manifestum est fore $Pp = Ap - AP = dx$, et ducta mn axi parallela, erit particula $Mn = PM - pm = -dy$. Imprimis igitur attendendum est ad quantitatem variabilem primariam, cujus reliquae tanquam functiones spectantur, qua cautela adhibita omnes difficultates, quae alias subnasci possent, sponte evanescent.

19. Neque etiam opus est, ut omnes quantitates variabiles ab eodem axis puncto initium trahant, a quo abscissae computantur; sed nihil impedit, quominus reliquae quantitates variabiles ad aliud principium referantur. Sic etiamsi abscissarum AP (Fig. 2) initium in axis puncto A collocetur, fieri potest ut, exempli gratia, area curvae BPM ab alio puncto fixo B aestimetur. Positis enim coordinatis $AP = x$, $PM = y$, si vocetur area $BPM = v$, erit puncto P in situm proximum p promoto, $Ap = x + dx$, $pm = y + dy$, et area $Bpm = v + dv$, unde cum sit $dv = PMmp$, erit ut ante $dv = ydx$. Simili modo, si (Fig. 4) sumtis abscissa $AP = x$, $PM = y$, area $CDMP$ a puncto fixo C computetur et ponatur $= v$, fiet omnibus in situm proximum translatis, area $CDmp = v + dv$, eritque ergo $dv = - PMmp = - ydx$. Atque si arcus DM positus fuerit $= s$, erit $Dm = s + ds$, et $ds = - Mm = - \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$. Haeque animadversiones sufficiant ad calculum cum figura conjungendum.

20. Quae hactenus de differentialibus applicatarum, arearum et arcuum curvae sunt tradita proprie tantum ad ejusmodi curvas pertinent, quarum applicatae sunt functiones uniformes abscissarum, ita ut unicuique abscissae unica tantum applicata respondeat. Si enim eidem abscissae plures applicatae respondeant, alii abscissae, priore scilicet quapiam quantitate aucta, totidem applicatae respondebunt, atque applicatae incrementum multiplex esse oportebit: quaelibet namque applicatarum priorum, a qualibet posteriorum subtracta, relinquet residuum, quod applicatae incrementum repraesentabit. Simili modo hoc casu eidem abscissae plures respondebunt areae, ac propterea eidem abscissae incremento multo plura arearum incrementa; sicque apparet functionum multiformium incrementa esse quoque functiones multiformes. His ergo casibus, si ex dato abscissae incremento quaeratur incrementum applicatae vel areae, quaestio non erit determinata, sed plures responsiones postulabit.

21. Quae quo clarius perspiciantur, ponamus applicatam y esse functionem triformem ipsius abscissae x, seu eidem abscissae (Fig. 5) $AP = x$ respondeant tres applicatae PM, PM' et PM'', quae omnes in valore litterae y contineantur, quod evenit si y per hujusmodi aequationem cubicam exprimatur $y^3 - Py^2 + Qy - R = 0$, existentibus P, Q, R, functionibus quibuscunque ipsius x. Hujus ergo aequationis pro abscissa $AP = x$ tres radices erunt PM, PM' et $-PM''$, propterea quod ultima in regionem negativam cadit. Quare ex natura aequationum erit

$$P = PM + PM' - PM''$$
$$Q = PM \cdot PM' - PM \cdot PM'' - PM' \cdot PM''$$
$$R = -PM \cdot PM' \cdot PM''.$$

22. Ponamus jam abscissam x incremento, ac primo quidem finito Δx augeri, ita ut sit $Ap = x + \Delta x$ et $Pp = \Delta x$. Applicata ergo y abibit in $y + \Delta y$, quae in figura denotabit tres applicatas pm, pm', $-pm''$. Cum igitur y designet quamvis ex applicatis PM, PM' et $-PM''$, differentia Δy exhibere debet singulas differentias inter has et illas applicatas, unde Δy sequentes novem denotabit valores:

1. $pm - PM$,	4. $pm' - PM$,	7. $-pm'' - PM$
2. $pm - PM'$,	5. $pm' - PM'$,	8. $-pm'' - PM'$
3. $pm + PM''$,	6. $pm' + PM''$,	9. $-pm'' + PM''$.

Quamobrem necesse est ut Δy per aequationem noni gradus determinetur. Scilicet si ipsa quantitas y eliminetur, prodibit aequatio, in qua quantitas Δy ad nonum gradum ascendet.

23. Ad hanc aequationem inveniendam ponatur in aequatione pro curva $y^3 - Py^2 + Qy - R = 0$, $x + \Delta x$ loco x, et $y + \Delta y$ loco y; et cum sint P, Q et R functiones ipsius x, eae, si pro x ponatur $x + \Delta x$, abeant in $P + \Delta P$, $Q + \Delta Q$ et $R + \Delta R$. Sicque prodibit haec aequatio

$$\left.\begin{array}{l} y^3 + 3y^2\Delta y + 3y\Delta y^2 + \Delta y^3 \\ - Py^2 - 2Py\Delta y - P\Delta y^2 \\ - y^2\Delta P - 2y\Delta P\Delta y - \Delta P\Delta y^2 \\ + Qy + Q\Delta y \\ + y\Delta Q + \Delta Q\Delta y \\ - R \\ - \Delta R \end{array}\right\} = 0.$$

Si jam ex hac aequatione cum priori conjuncta littera y eliminetur, et Δy tanquam incognita spectetur, orietur aequatio novem dimensionum, cujus radices erunt novem illae differentiae supra exhibitae.

24. Si quis hunc eliminationis laborem in se suscipere velit, revera ad aequationem novem dimensionum perveniet. Neque vero hac eliminatione est opus; cum enim y per priorem aequationem cubicam detur, unde tres nanciscitur valores, qui si tanquam cogniti spectentur, ex altera aequatione pariter cubica incognita Δy erui poterit, quae pariter ternos sortietur valores. Quia autem in hos tres valores ingredietur variabilis y, quae jam per se triplicem habet valorem, si ejus loco hi valores seorsim substituantur, omnino novem ipsius Δy povenient valores, qui erunt ii ipsi valores, quos supra exhibuimus. Ad hoc autem commodius paestandum prior aequatio a posteriori subtrahi poterit, sicque relinquetur sequens aequatio

$$\left.\begin{array}{l} -y^2\Delta P + 3y^2\Delta y + 3y\Delta y^2 + \Delta y^3 \\ +y\,\Delta Q - 2Py\Delta y - P\Delta y^2 \\ -\quad \Delta R - 2y\Delta P\Delta y - \Delta P\Delta y^2 \\ \qquad + Q\Delta y \\ \qquad + \Delta Q\Delta y \end{array}\right\} = 0.$$

25. Quemadmodum igitur, si y fuerit functio triformis ipsius x, seu si definiatur per aequationem cubicam, ejus incrementum Δy novem induit valores, ita si aequatio, qua applicata y determinatur, habuerit quatuor dimensiones, ejus incrementum Δy, quod pariter, nisi y eliminetur, ad quatuor dimensiones exsurgit, omnino sedecim habebit valores diversos. Atque in genere si applicata y per aequationem n dimensionum definiatur, ejus incrementam Δy aequatione totidem dimensionum determinatum reperietur, totidemque habebit valores, in quibus etiamnum inerit y, quae cum ipsa habeat n valores, incrementum Δy omnino nn sortietur valores, qui erunt differentiae inter singulos valores ipsarum y et $y + \Delta y$.

26. Ne igitur tanta sit valorum incrementi Δy multitudo, consideremus aequationem quadratam, quae duos tantum ipsius y exhibeat valores, sitque

$$yy - 2Py + Q = 0$$

ubi P et Q sint functiones quaecunque abscissae x, et y denotet applicatam. Ex hac ergo aequatione commode ambo valores ipsius y exhiberi possunt, qui sunt

$$y = P + \sqrt{(P^2 - Q)} \text{ et } y = P - \sqrt{(P^2 - Q)}.$$

Crescat nunc abscissa x incremento Δx, hincque ejus functiones P et Q incrementis ΔP et ΔQ, applicatae vero y incrementum sit Δy, quod propterea hac aequatione exponetur

$$\left.\begin{array}{lll} yy & + 2y\Delta y & + \Delta y^2 \\ -2Py & - 2P\Delta y & \\ -2y\Delta P & - 2\Delta P\Delta y & \\ +Q & & \\ +\Delta Q & & \end{array}\right\} = 0$$

vel priori aequatione ablata, hac

$$\left.\begin{array}{l} -2y\Delta P + 2y\Delta y + \Delta y^2 \\ + \Delta Q \quad - 2P\Delta y \\ \quad\quad\quad - 2\Delta P\Delta y \end{array}\right\} = 0.$$

27. Quodsi jam ex hac aequatione quaeratur incrementum Δy, reperietur

$$\Delta y = -y + P + \Delta P \pm \sqrt{(y^2 - 2yP + P^2 + 2P\Delta P + \Delta P^2 - \Delta Q)}$$

qui bini valores, si loco y ejus valores ambo ante inventi substituantur, abibunt in quatuor valores ipsius Δy, qui his binis formulis continebuntur

$$\Delta y = \Delta P \pm \sqrt{(P^2 - Q)} + \sqrt{(P^2 - Q + 2P\Delta P + \Delta P^2 - \Delta Q)}$$
$$\Delta y = \Delta P \pm \sqrt{(P^2 - Q)} - \sqrt{(P^2 - Q + 2P\Delta P + \Delta P^2 - \Delta Q)}$$

seu in unica formula erit

$$\Delta y = \Delta P \pm \sqrt{(P^2 - Q)} \pm \sqrt{(P^2 - Q + 2P\Delta P + \Delta P^2 - \Delta Q)}.$$

28. Ponamus jam incrementum ipsius x, quod in his valoribus finitum est assumtum, fieri infinite parvum, eruntque functionum P et Q incrementa ΔP et ΔQ pariter infinite parva, abibuntque in dP et dQ. Hinc erit

$$\sqrt{(P^2 - Q + 2PdP + dP^2 - dQ)} = \sqrt{(P^2 - Q)} + \frac{2PdP - dQ}{2\sqrt{(P^2 - Q)}}$$

unde quaterni ipsius Δy valores erunt

$$\Delta y = 2\sqrt{(P^2 - Q)} + dP + \frac{2PdP - dQ}{2\sqrt{(P^2 - Q)}}$$
$$\Delta y = -2\sqrt{(P^2 - Q)} + dP - \frac{2PdP + dQ}{2\sqrt{(P^2 - Q)}}$$
$$\Delta y = dP + \frac{2PdP - dQ}{2\sqrt{(P^2 - Q)}}$$
$$\Delta y = dP - \frac{2PdP + dQ}{2\sqrt{(P^2 - Q)}}.$$

Ex his apparet binos priores valores ipsius Δy non obstante incrementi dx parvitate infinita, esse finitae magnitudinis, binos autem posteriores esse infinite parvos; hisque casibus ob $\sqrt{(P^2 - Q)} = y - P$,

erit $$\Delta y = dP + \frac{2PdP - dQ}{2y - 2P} = \frac{2ydP - dQ}{2y - 2P}$$

qui valor quoque per differentiationem consuetam eruitur.

29. Scilicet si ponamus binos ipsius y valores in figura esse PM et PM', qui abscissae $AP = x$ respondeant, atque abscissae suo differentiali auctae $Ap = x + dx$ respondere applicatas pm et pm', quae per $y + \Delta y$ exprimentur, incrementum Δy hos quatuor habebit valores

1. $pm - PM$, 3. $pm' - PM$
2. $pm - PM'$, 4. $pm' - PM'$

quorum duo, nempe secundus et tertius, erunt finitae magnitudinis, primus autem et quartus infinite parvi. Illi ergo duo valores, cum sint finiti, non pro differentiali ipsius y haberi, neque per dy exprimi poterunt, sed soli duo posteriores, qui cum sint infinite parvi, differentialia utriusque applicatae repraesentabunt. Ductis nimirum axi AP parallelis lineolis Mn et $M'n'$, erit mn differentiale applicatae PM, et $-m'n'$ differentiale alterius applicatae PM'.

30. Simili modo, si uti in figura applicata y tres habeat valores, tum ex novem valoribus ipsius Δy tres erunt infinite parvi, siquidem pro incremento abscissae sumatur ejus differentiale dx. Isti scilicet tres ipsius Δy valores infinite parvi erunt: $pm - PM = mn$, $pm' - PM' = -m'n'$ et $-pm'' + PM'' = -m''n''$, quia videlicet applicatae pm'' et PM'' sunt negativae. Hae igitur tres lineolae mn, $-m'n'$, $-m''n''$ praebent valores differentialis ipsius y, ideoque per dy designari possunt. Reliqui autem sex valores ipsius Δy hic in considerationem non veniunt. Atque in hoc ipso denuo insignis calculi differentialis usus includitur, quod valores ipsius Δy ad propositum facientes facile a reliquis inutilibus segregare liceat; nam nisi differentia Δx infinite parva statuatur, tam facile ex novem illis ipsius Δy valoribus, qui omnes essent finiti, ii, qui differentias duarum applicatarum in eodem curvae ramo sumtarum denotant, separari non possent.

31. Cum igitur hic ii tantum ipsius Δy valores requirantur, qui sint infinite parvi, et locum ipsius dy tenere queant, ponamus dy loco Δy, et dP, dQ et dR pro ΔP, ΔQ et ΔR, neglectisque in aequatione (24) inventa terminis, in quibus differentialia plures obtinent dimensiones, habebitur ista aequatio

$$-y^2 dP + y dQ - dR + 3y^2 dy - 2Py\,dy + Q\,dy = 0$$

ex qua fit $\quad dy = \dfrac{y^2 dP - y dQ + dR}{3y^2 - 2Py + Q}$.

Quanquam autem hic unicus duntaxat pro dy valor invenitur, tamen quia ipsa applicata y triplicem habet valorem, hinc etiam tres valores pro dy oriuntur. Scilicet si pro y ponatur PM, tum prodit $dy = mn$; sin ponatur PM' pro y, fiet $dy = -m'n'$; at si pro y substituatur $-PM''$, invenietur $dy = -m''n''$.

32. Hinc perspicitur has applicatarum differentias infinite parvas dy, quae prodeunt dum abscissa x suo differentiali dx augetur, per regulas consuetas calculi differentialis inveniri. Si enim aequatio proposita

$$y^3 - Py^2 + Qy - R = 0$$

differentietur, prodibit

$$3yy\,dy - 2Py\,dy - y^2 dP + Q\,dy + y\,dQ - dR = 0,$$

unde oritur, uti modo invenimus:

$$dy = \frac{y^2 dP - y dQ + dR}{3yy - 2Py + Q}.$$

Quocirca calculus differentialis etiam functionum multiformium ea ipsa praebet differentialia, quibus opus habemus. Neque enim quasvis requirimus differentias inter singulos applicatarum valores praecedentes et sequentes, sed eas tantum, quae ad unum eundemque ramum pertinent. Ex his enim differentiis determinari debet positio tangentium et normalium aliarumque quantitatum a curvatura pendentium.

33. Quotcunque ergo applicatae in eadem linea curva eidem abscissae respondeant, uniuscujusque incrementum vel decrementum assignari, sicque plures rami, ex quibus linea curva componitur, tanquam totidem lineae simplices considerari possunt. Quaecunque enim fuerit aequatio inter abscissam x et applicatam y, ejus differentialis erit hujusmodi $dy = Z dx$, denotante Z functionem ipsarum

x et y. Quodsi ergo valores ipsius y fuerint p, q, r, s, etc., si in functione Z pro y ponatur valor p, prodibit incrementum applicatae p; similique modo si pro y successive ponantur valores q, r, s, etc. quantitas Zdx harum applicatarum differentialia exhibebit. Hinc ergo magis confirmantur et illustrantur, quae in libro superiori de differentiatione functionum multiformium sunt tradita.

34. Quoniam ergo pro differentiali dy totidem valores nanciscimur, quot ipsa applicata y diversos sortitur valores, totidem inde quoque resultabunt expressiones pro differentialibus singulorum curvae ramorum. Scilicet cum ante invenerimus elementum seu differentiale lineae curvae per $\sqrt{(dx^2+dy^2)}$ exprimi, si pro dy substituatur valor mn, tum $\sqrt{(dx^2+dy^2)}$ praebebit elementum Mm, quod est differentiale arcus EM; sin autem pro dy substituatur $-m'n'$, eadem expressio dabit differentiale arcus DM'; ac si fiat $dy=-m''n''$, tum $\sqrt{(dx^2+dy^2)}$ exhibebit differentiale arcus EM''. Simili ergo modo quotcunque linea curva habuerit ramos, eidem abscissae respondentes, hinc singulos istos ramos seorsim dimetiri licebit; quod argumentum fusius pertractabitur, ubi de dimensione linearum curvarum sermo instituetur.

35. Quae hactenus explicavimus ad eos tantum casus, quibus natura curvae aequatione inter binas coordinatas orthogonales exprimitur, pertinent. Interim tamen ex his quoque facile perspicitur, quemadmodum, si coordinatae non fuerint normales inter se, sed ad datum quemvis angulum inclinatae, differentialia ad figuras transferri debeant. Quin etiam, si natura curvae alio quocunque modo exprimatur, applicatio calculi ad figuram nullam fere habebit difficultatem; atque si ulla supersit, ea in sequenti tractatione prorsus tolletur. Ceterum in hujusmodi investigationibus omnis vis in eo est posita, quod differentiale ipsius lineae curvae tanquam lineola recta spectari possit; idem enim modus, quo hoc pro coordinatis orthogonalibus est ostensum, aeque ad omnes alios modos naturam curvarum exprimendi patet.

Caput II.

De tangentibus linearum curvarum.

1. In capite praecedente vidimus particulas infinite parvas cujusvis lineae curvae tanquam lineolas rectas spectari posse. Hancobrem omnis linea curva instar figurae rectilineae, cujus latera sint infinite parva, considerari poterit; definitio autem nostra infinite parvorum, qua ea prorsus evanescentia nihiloque aequalia statuimus, omnes difficultates, quae vulgo contra hanc propositionem allegari solent, penitus tollit. Quando enim dicimus lineam curvam per multisectionem in infinitum repetitam in particulas rectas secari, nihil aliud affirmamus, nisi hoc sectionis modo nunquam prorsus ad particulas, quae sint lineolae rectae, perveniri; sicque ab iis non dissentimus, qui negant ullas linearum curvarum particulas, quantumvis sint exiguae, unquam recte pro lineolis rectis haberi. Quamprimum autem particulae infinite parvae considerantur, eae a particulis infinite parvis lineae rectae omnino discrepare non possunt.

2. Quo haec clarius intelligantur, primo quidem nullum est dubium, quin omnes partes lineae rectae, quantumvis sint parvae, sint pariter lineolae rectae. Quocirca quando dicimus particulas

infinite parvas linearum curvarum pro lineolis rectis haberi posse, nihil aliud dicimus, nisi particulas infinite parvas linearum curvarum a particulis infinite parvis lineae rectae non differre. Quo ulterius enim linea curva dividitur et in minores particulas secatur, eo magis discrimen a curvedine ortum diminuitur; si enim arcus cujusvis curvae corda subtendatur, quantumvis sit discrimen inter arcum et ejus cordam; hoc discrimen continuo fiet minus, quo minor arcus capiatur. Hincque recte concluditur, si arcus in infinitum diminuatur, discrimen inter eum ejusque cordam penitus evanescere, atque adeo particulam infinite parvam cujusque lineae curvae pro lineola recta infinite parva haberi posse.

3. Hujus principii etiam insignis solet esse usus in geometria elementari. Ubi enim quadratura circuli investigatur, ibi assumitur area circuli aequari polygono infinitorum laterum, circulo vel inscripto, vel circumscripto. Dum enim circulo polygona regularia inscribuntur, mox apparet omnia quidem circulo esse minora; interim tamen quo plura ea habeant latera, eo minus ea a circulo discrepare. Unde colligitur, si numerus laterum polygoni in infinitum augeatur, tum discrimen inter ejus aream et aream circuli omnino evanescere; quae convenientia quoque contrario modo in polygonis circumscriptis locum habet. Neque vero solum area polygoni infinitorum laterum sive inscripti sive circumscripti aequalis est areae circuli, sed etiam ejus perimeter aequalis censetur peripheriae circuli; quod admitti non posset, nisi arculi circuli infinite parvi suis cordis essent aequales.

4. Contra hanc arculorum circuli infinite parvorum cum suis cordis convenientiam ab iis, qui in mechanica sunt versati, grave argumentum allegari solet. Cum enim descensus corporis gravis super arcu circuli usque ad ejus imum punctum investigatur, deprehenditur tempus descensus non evanescere, etiamsi arcus in infinitum diminuatur, quo casu suae subtensae fit aequalis. Deinde omnes descensus corporis super singulis cordis in imo circuli puncto terminatis aeque diuturni inveniuntur, neque tamen si et arcus et corda infinite parva statuantur, tempus descensus super arcu aequale est tempori descensus super corda. Hocque vero casu is valde falleretur, qui arcum et cordam, etiamsi utrumque sit infinite parvum, inter se confundere vellet. Verum cum hic tempus descensus super arcu quamvis infinite parvo, tamen sit finitum, hoc ipso investigatio ab infinite parvis ad finita est traducenda, ita ut haec objectio in praesenti instituto nullam vim retineat. Hic enim plus non affirmamus, quam inter arcus et cordas evanescentes rationem aequalitatis intercedere, quam ista objectio non infringit.

5. Quamvis elementa infinite parva cujusque lineae curvae aliter nisi puncta concipi nequeant, ideoque in illis nullae dentur partes ullam longitudinem constituentes; tamen calculus nobis cujusvis elementi directionem exhibet. Dum enim (Fig. 2) triangulum Mnm continua diminutione intervalli Pp in infinitum diminuitur atque in rectilineum abit, ob rationem inter ejus latuscula finitam, anguli ad M, n et m erunt cogniti, hincque inclinatio elementi Mm ad elementum Mn, quod axi AP parallelum concipitur, innotescet. Etiamsi igitur revera elementum Mm tanquam punctum in se nullam habeat directionem, tamen si cum sequente consideretur, plaga, secundum quam cum eo connectitur, directionem determinabit. Hanc directionem quoque hoc modo concipere licet, dum triangulum Mnm adhuc est finitum, intelligatur in eo ducta corda Mm cujus directio ergo erit nota; jam triangulum Mnm diminuendo, directio cordae continuo mutabitur. Sed ita tamen ad certam quandam

directionem jugiter propius accedet, quam attingere censenda erit tum, cum triangulum in infinitum erit diminutum.

6. Omnes autem difficultates penitus evanescent, si genesin linearum curvarum ita imaginemur, ut motu puncti super plano incedentis describantur. Sic enim linea curva BM erit quasi via, secundum quam punctum ex B in M est progressum. Hoc modo linea recta describitur, si punctum in motu suo perpetuo eandem servat directionem; linea curva autem, si ejus directio continuo immutatur. In quovis autem lineae curvae BM loco punctum istud describens certam habebit directionem, sine qua motus consistere non posset; atque in triangulo infinite parvo Mnm hypotenusa Mm repraesentabit directionem, secundum quam punctum illud, cum in M pervenerit, motum suum prosequitur. Hancobrem angulus mMn monstrabit inclinationem illius directionis ad axem AP; ex angulo autem Mmn constabit, quantum directio puncti lineam curvam describentis ad applicatam PM inclinetur.

7. Ducatur, per punctum curvae M linea recta indefinita TMV, quae ad axem AP (Fig. 6) vel rectam ei parallelam Mn eandem teneat inclinationem, quam in triangulo infinite parvo Mmn habet hypotenusa Mm ad basin Mn, atque haec recta TMV ita exprimet directionem puncti motu suo lineam curvam AM describentis, ut si hoc punctum eandem directionem, quam in M habet, invariatam retineret, ipsam lineam rectam MV descripturum esset. Hujus ergo lineae rectae TMV elementum infinite parvum Mm, quia ad Mn eandem habet inclinationem, quam tenet elementum lineae curvae Mm, cum hoc elemento congruet, atque adeo elementum Mm commune erit lineae rectae TMV et curvae AM. Quamobrem ista linea recta TMV tanget lineam curvam in puncto M; linea recta enim tangens lineam curvam ita definitur, ut cum linea curva in eo puncto, ubi est contactus, eandem directionem habere dicatur.

8. Si igitur pro coordinatis orthogonalibus AP et PM vocetur abscissa $AP = x$, applicata $PM = y$, in triangulo infinite parvo Mnm erit $Mn = Pp = dx$, $mn = dy$ et $Mm = \sqrt{(dx^2 + dy^2)}$, et angulus mMn metietur inclinationem tangentis TMV ad axem AP, eritque si tangens axem in puncto T secare ponatur, angulus $PTM = mMn$, unde ob angulos ad P et n rectos, triangula TMP et Mmn inter se erunt similia, ac propterea latera proportionalia. Fiet ergo

$$mn\,(dy) : Mn\,(dx) = MP\,(y) : PT\left(\frac{ydx}{dy}\right), \quad \text{ideoque} \quad PT = \frac{ydx}{dy}.$$

Hinc in axe definiri potest punctum T, ex quo, si per punctum M agatur linea recta TMV, ea futura sit tangens lineae curvae in puncto M. Vocari autem haec linea PT solet substangens.

9. Inventa ergo pro quavis curva, cujus natura aequatione inter coordinatas orthogonales exprimitur, subtangente $PT = \frac{ydx}{dy}$, tangens curvae in puncto M expeditissime ducitur, ducendo scilicet per puncta T, M linea recta TMV. Longitudo autem ipsius lineae tangentis MT erit $= \frac{y\sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{dy}$. Aliis quoque modis punctum T, quo tangens determinatur, assignari potest: sic ejus distantia a puncto A, seu intervallum AT erit $= \frac{ydx}{dy} - x = \frac{ydx - xdy}{dy}$. Sin autem punctum T nimis longe excurrat, commodius in linea recta AB ad axem normali definitur punctum S, per quod tangens transit. Namque ob triangula similia TAS, Mnm, erit $dx : dy = AT : AS$, ideoque ob

$$AT = \frac{ydx - xdy}{dy}, \text{ erit } AS = \frac{ydx - xdy}{dx} = y - \frac{xdy}{dx}.$$

Vel ducta MQ axi AP parallela, ob $AQ = PM = y$, erit $QS = \frac{xdy}{dx}$. Hinc invento puncto S, linea recta per ambo puncta M et S ducta curvam in M tanget.

10. Cognita tangente ad curvam, facile linea recta duci poterit, quae cum curva angulum quemcunque constituat; quaevis enim recta ad lineam curvam in dato puncto aeque inclinata censetur, atque ad tangentem in eo puncto. Sic si per punctum M linea recta duci debeat, quae sit ad curvam normalis, totum negotium absolvetur, si ad tangentem MT in puncto M normalis educatur MN. Hujusmodi recta MN, quae in geometria sublimiori frequentissime occurrit, normalis appellari solet, et portio axis PN, inter applicatam et occursum normalis cum axe intercepta, subnormalis vocatur. Cum jam triangula Mmn, MNP sint pariter similia, erit

$$dx : dy = PM : PN \quad \text{ideoque} \quad PN = \frac{ydy}{dx}.$$

Facile ergo per differentiationem invenitur subnormalis PN, hincque recta per puncta M et N ducta erit normalis ad curvam in puncto M, quoniam ad tangentem est perpendicularis.

11. Ponamus ad curvam in puncto M duci debere rectam MO, quae cum curva angulum quemcunque datum OMT constituat. Sit iste angulus $TMO = \varphi$, et ponatur angulus $TMP = \omega$, ita ut sit

$$\sin\omega = \frac{dx}{\sqrt{(dx^2 + dy^2)}} \quad \text{et} \quad \cos\omega = \frac{dy}{\sqrt{(dx^2 + dy^2)}},$$

erit in triangulo PMO angulus $PMO = \varphi - \omega$, atque $\cos(\varphi - \omega) : y = \sin(\varphi - \omega) : PO$, unde fit

$$PO = y \operatorname{tang}(\varphi - \omega) = \frac{y(\operatorname{tang}\varphi - \operatorname{tang}\omega)}{1 + \operatorname{tang}\varphi \,.\, \operatorname{tang}\omega}.$$

At est $\operatorname{tang}\omega = \frac{dx}{dy}$, ergo $PO = \frac{y(dy \operatorname{tang}\varphi - dx)}{dy + dx \operatorname{tang}\varphi}$, seu $PO = \frac{y(dy \sin\varphi - dx\cos\varphi)}{dy\cos\varphi + dx\sin\varphi}$.

Hinc sequitur si angulus $OMT = \varphi$ debeat esse rectus, ob $\sin\varphi = 1$ et $\cos\varphi = 0$, fore $PO = PN = \frac{ydy}{dx}$. Sin autem angulus φ debeat esse nullus, seu MO in ipsam tangentem incidere, ob $\sin\varphi = 0$ et $\cos\varphi = 1$, erit $PO = -\frac{ydx}{dy} = -PT$, uti pro tangente invenimus.

12. Hoc modo non solum tangentes et aliae lineae rectae ad curvam utcunque inclinatae duci possunt, si applicata fuerit functio uniformis ipsius abscissae, sed etiam quotcunque curvae puncta eidem abscissae puncto P respondeant, ad quodvis punctum duci poterit tangens. Si enim applicata
* y tres habeat valores, puta PM, PM' et $-PM''$ (Fig. 5), ex aequationis resolutione non solum singuli cognoscentur, sed etiam cujusque differentiale dy. Habebuntur ergo tam pro y quam pro dy tres valores, qui in formula $\frac{ydx}{dy}$ substituti dabunt subtangentem pro quovis puncto. Vel si sit $dy = pdx$, existente p functione rationali ipsarum x et y, formula $\frac{y}{p}$, si ponatur $y = PM$, dabit subtangentem pro puncto M; sin autem pro y substituatur vel valor PM' vel PM'', prodibit subtangens vel pro puncto M', vel pro puncto M''.

13. Regulam pro inveniendis tangentibus, si natura curvae exprimatur aequatione inter coordinatas orthogonales, aliquot exemplis illustrasse juvabit:

* **Exemplum 1.** *Sit igitur curva* AM (Fig. 6) *parabola Appolloniana, cujus natura inter coordinatas* AP = x et PM = y *hac aequatione* yy = 2ax *exprimitur.*

Cum sit $yy = 2ax$, erit differentiando $ydy = adx$, ideoque $\frac{dx}{dy} = \frac{y}{a}$, et subtangens

$$PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{yy}{a} = 2x, \text{ ob } yy = 2ax.$$

Tenet ergo perpetuo subtangens PT ad abscissam AP rationem duplam. Deinde cum sit subnormalis $PN = \frac{ydy}{dx}$, ob $ydy = adx$, fiet $PN = a$; ideoque in parabola subnormalis perpetuo aequalis est semissi lateris recti. Cum porro sit resecta $AT = AP = x$, erit $AS = \frac{1}{2}y$; hinc si in puncto S ad tangentem MT ducatur normalis SF, erit $AF = \frac{1}{4}yy : x = \frac{1}{2}a$; ideoque punctum F est fixum et incidit in focum parabolae. Quae proprietates, cum aliunde sint notissimae, veritatem regulae non mediocriter confirmant.

Exemplum 2. *Sit curva* AM *parabola altioris gradus hac aequatione* $y^{m+n} = a^m x^n$ *expressa, cujus tangentem invenire oporteat.*

Si aequatio differentietur, prodit $(m+n)y^{m+n-1}dy = na^m x^{n-1}dx$, unde fit

$$\frac{dx}{dy} = \frac{(m+n)y^{m+n-1}}{na^m x^{n-1}} \text{ et subtangens } PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{(m+n)y^{m+n}}{na^m x^{n-1}}.$$

Jam ob $y^{m+n} = a^m x^n$ erit $PT = \frac{m+n}{n}x$, et $AT = \frac{m}{n}x$; ideoque abscissa AP ad resectam AT rationem habet constantem ut n ad m. Tum vero erit substangens PT ad abscissam AP ut $m+n$ ad n. Praeterea cum sit

$$\frac{dy}{dx} = \frac{na^m x^{n-1}}{(m+n)y^{m+n-1}}, \text{ erit subnormalis } PN = \frac{ydy}{dx} = \frac{na^m x^{n-1}}{(m+n)y^{m+n-2}} = \frac{na^m x^n y^2}{(m+n)xy^{m+n}}.$$

Substituatur hic $a^m x^n$ loco y^{m+n} fietque $PN = \frac{ny^2}{(m+n)x}$.

Exemplum 3. *Sit* (Fig. 7) *curva* AMB *circulus centro* C *radio* $AC = a$ *descriptus, cujus natura inter* $AP = x$ *et* $PM = y$ *hac aequatione* $yy = 2ax - xx$ *exprimitur.* *

Haec aequatio differentiata dat $ydy = adx - xdx$, unde fit

$$\frac{dx}{dy} = \frac{y}{a-x} \text{ et substangens } PT = \frac{yy}{a-x} = \frac{2ax - xx}{a-x} = \frac{x(2a-x)}{a-x}.$$

Quoniam vero est $AB = 2a$, erit $BP = 2a - x$, et ob $CP = a - x$, erit $PT = \frac{AP \cdot BP}{CP}$. Deinde est resecta

$$AT = \frac{2ax - xx}{a-x} - x = \frac{ax}{a-x} = \frac{AC \cdot AP}{CP}.$$

Porro erit

$$CT = \frac{ax}{a-x} + a = \frac{aa}{a-x} = \frac{AC^2}{CP}.$$

Denique cum sit $ydy = adx - xdx$, erit subnormalis $\frac{ydy}{dx} = a - x = CP$, unde patet normalem per centrum C transire. Quanquam hic pro abscissa $AP = x$ applicata y duplicem habet valorem, alterum PM, alterum $-PM'$, tamen quia neque in expressione subtangentis neque subnormalis inest y, tam utraque tangens MT et $M'T$ axem in eodem puncto T secat, quam utraque normalis MC et $M'C$ per centrum C transibit. Quae quidem sunt notissimae circuli proprietates.

Exemplum 4. *Si natura curvae* AM (Fig. 6) *hac aequatione exprimatur* $yy = X$, *existente* X *functione quacunque ipsius* x, *ejus tangentem in quovis puncto* M *invenire.* *

Sit $dX = Pdx$, et aequatio differentiata dabit $2ydy = Pdx$, unde fit

$$\frac{dx}{dy} = \frac{2y}{P}, \text{ et subtangens } PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{2yy}{P} = \frac{2X}{P}.$$

*

Deinde cum sit $\frac{ydy}{dx} = \frac{1}{2}P$, subnormalis erit $PN = \frac{1}{2}P$, qui valores tam subtangentis quam subnormalis pro utroque applicatae valore $\pm\sqrt{X}$ valebunt, quod quidem per se est perspicuum, cum partes curvae ad utramque axis partem sitae sint inter se similes et aequales.

* **Exemplum 5.** *Positis* (Fig. 8) *abscissa* $\mathrm{AP} = \mathrm{x}$ *et applicata orthogonali* $= \mathrm{y}$, *sit natura curvae hac aequatione expressa* $\mathrm{yy} = 2\mathrm{ay} + 2\mathrm{xy} - \mathrm{aa} + \mathrm{xx}$, *ita ut unicuique abscissae* $\mathrm{AP} = \mathrm{x}$ *binae respondeant applicatae* PM *et* $-$ PM′.

Aequatio differentiata dabit

$$ydy = ady + xdy + ydx + xdx$$

unde fit

$$\frac{dx}{dy} = \frac{y-a-x}{y+x},$$

ideoque erit subtangens

$$\frac{ydx}{dy} = \frac{yy-ay-xy}{y+x} = \frac{ay+xy-aa+xx}{y+x}, \text{ atque resecta } \frac{ydx}{dy} - x = \frac{a(y-a)}{y+x}.$$

Jam ob binos valores ipsius y duo reperiuntur puncta T et T', quorum illud tangenti in M, hoc vero tangenti in M' respondet. Erit nempe, si $y = PM$, $AT = \frac{a(PM-a)}{AP+PM}$; sin autem $y = -PM'$, erit $AT' = -\frac{a(PM'+a)}{AP-PM'}$. Simili modo ob $\frac{dy}{dx} = \frac{y+x}{y-a-x}$, erit subnormalis

$$\frac{ydy}{dx} = \frac{yy+yx}{y-a-x} = \frac{2ay+3yx-aa+xx}{y-a-x},$$

quae praebebit intervallum PN si ponatur $y = PM$; sin autem ponatur $y = -PM'$, prodibit intervallum PN' respondens puncto M'.

Exemplum 6. *Invenire subtangentem in lineis tertii ordinis hac aequatione contentis*

$$\mathrm{y}^3 + \alpha\mathrm{y}^2\mathrm{x} + \beta\mathrm{y}\mathrm{x}^2 + \gamma\mathrm{x}^3 + \delta\mathrm{y}^2 + \varepsilon\mathrm{yx} + \zeta\mathrm{xx} + \eta\mathrm{y} + \theta\mathrm{x} + \iota = 0.$$

Aequatione hac differentiata obtinebitur

$$dy(3yy + 2\alpha yx + \beta xx + 2\delta y + \varepsilon x + \eta) + dx(\alpha yy + 2\beta yx + 3\gamma xx + \varepsilon y + 2\zeta x + \theta) = 0$$

unde fit subtangens

$$\frac{ydx}{dy} = \frac{-3y^3 - 2\alpha y^2x - \beta yxx - 2\delta yy - \varepsilon yx - \eta y}{\alpha yy + 2\beta yx + 3\gamma xx + \varepsilon y + 2\zeta x + \theta}, \text{ seu}$$

$$\frac{ydx}{dy} = \frac{\alpha y^2x + 2\beta yxx + 3\gamma x^3 + \delta yy + 2\varepsilon yx + 3\zeta xx + 2\eta y + 3\theta x + 3\iota}{\alpha yy + 2\beta yx + 3\gamma xx + \varepsilon y + 2\zeta x + \theta}.$$

Si hinc abscissa x subtrahatur, remanebit resecta

$$\frac{ydx}{dy} - x = \frac{\delta yy + \varepsilon yx + \zeta xx + 2\eta y + 2\theta x + 3\iota}{\alpha yy + 2\beta yx + 3\gamma xx + \varepsilon y + 2\zeta x + \theta}.$$

Quodsi jam hic pro y ejus varii valores substituantur, prodibunt axis portiones AT pro singulis curvae punctis abscissae x respondentibus.

14. Formula $\frac{ydx}{dy}$ non solum quantitatem subtangentis, quae est portio axis inter applicatam et tangentem intercepta, ostendit, sed etiam ejus positionem demonstrat. Si enim $\frac{ydx}{dy}$ affirmativum habeat valorem, punctum T ad eandem partem applicatae PM cadit, in qua reperitur initium abscissarum. Scilicet si abscissae AP a puncto A dextrorsum capiantur, subtangens $\frac{ydx}{dy}$, si ejus valor fuerit affirmativus, a puncto P sinistrorsum capi debebit, et contra, si valor ipsius $\frac{ydx}{dy}$ fuerit negativus.

Subnormalis autem $PN = \frac{ydy}{dx}$ si fuerit affirmativa, a puncto P dextrorsum capi debebit, siquidem abscissae x ab initio A dextrorsum progrediantur; hocque casu subnormalem, si fuerit negativa, sinistrorsum sumi oportet.

15. Nullum autem dubium relinquetur, si punctorum T et N distantiae ab initio abscissarum A computentur, unde in unam axis plagam abscissae affirmativae, in alteram negativae vergunt. Ponamus (Fig. 9) tam punctum T quam N in regionem abscissarum affirmativarum incidere, et cum, positis *

$$AP = x, \quad PM = y, \quad \text{sit} \quad PT = \frac{ydx}{dy} \quad \text{et} \quad PN = \frac{ydy}{dx}, \quad \text{erit} \quad AT = x - \frac{ydx}{dy} \quad \text{et} \quad AN = x + \frac{ydy}{dx}.$$

Quoties ergo expressio $\frac{xdy - ydx}{dy}$ affirmativum tenet valorem, toties intervallum AT a puncto A in regione abscissarum affirmativarum capi debet. Sin autem $\frac{xdy - ydx}{dy}$ habeat valorem negativum, seu $\frac{ydx - xdy}{dy}$ affirmativum, intervallum AT in regionem abscissarum negativarum incidet. Simili modo distantia $AN = \frac{xdx + ydy}{dx}$, si sit affirmativa, in regione axis affirmativa, sin autem sit $\frac{xdx + ydy}{dx}$ negativa quantitas, in regione axis negativa capienda erit. Cujus discriminis aliquot exempla subjungamus.

Exemplum 1. *Sit* (Fig. 7) *propositus circulus centro* C *radio* AC = a *descriptus, et abscissae* CP = x *a centro sinistrorsum capiantur, ut sit* yy = aa — xx, *invenire subnormalem et subtangentem.* *

Cum sit $yy = aa - xx$, erit $ydy = -xdx$ et $\frac{dx}{dy} = -\frac{y}{x}$, unde fit

$$\frac{ydx}{dy} = -\frac{yy}{x} \quad \text{et} \quad CT = x - \frac{ydx}{dy} = \frac{xx + yy}{x} = \frac{aa}{x};$$

quae expressio cum sit affirmativa, punctum T in parte axis affirmativa sumi debet. Sin autem abscissa x sumatur negativa, quantitas $\frac{aa}{x}$ pariter fit negativa, ideoque in axe a puncto C dextrorsum capi debet. Deinde pro normali cum sit $ydy + xdx = 0$, erit quoque $\frac{ydy + xdx}{dx} = 0$, unde patet normalem perpetuo per ipsum punctum C, quod est abscissarum initium simulque centrum circuli, transire.

Exemplum 2. *Sit* (Fig. 10) *linea curva ellipsis super axe* AB *centro* C *descripta, unde sumtis coordinatis* CP = x *et* PM = y, *ejus natura hac aequatione* aayy = aacc — ccxx *exprimatur.* *

Erit ergo a semiaxis transversus CA vel CB, et c semiaxis conjugatus. Differentiata aequatione erit

$$aaydy = -ccxdx \quad \text{et} \quad \frac{dx}{dy} = -\frac{aay}{ccx}, \quad \text{atque} \quad \frac{ydx}{dy} = -\frac{aayy}{ccx},$$

unde fit
$$CT = x - \frac{ydx}{dy} = \frac{aayy + ccxx}{ccx} = \frac{aa}{x};$$

cadit ergo intervallum CT in partem axis abscissis affirmativis destinatam. Deinde cum sit

$$\frac{ydy}{dx} = -\frac{ccx}{aa}, \quad \text{erit} \quad CN = \frac{ydy + xdx}{dx} = \frac{(aa - cc)x}{aa}.$$

Hoc est, si fuerit $a > c$, intervallum CN erit affirmativum, sin autem sit $a < c$, intervallum CN sinistrorsum sumi debet.

Exemplum 3. *Sit* (Fig. 11) *linea curva hyperbola, cujus natura inter coordinatas orthogonales* AP = x, PM = y *hac aequatione exprimatur:* $yy = 2xy + aa$. *

Hic unicuique abscissae x duae respondent applicatae PM et PM' eritque

$$PM = x + \sqrt{(aa + xx)} \quad \text{et} \quad -PM' = x - \sqrt{(aa + xx)},$$

atque in initio A fit $$AB = AB' = a.$$

Ad tangentes jam in punctis M et M' inveniendas differentietur aequatio, prodibitque

$$ydy = xdy + ydx, \quad \text{unde fit} \quad \frac{dx}{dy} = \frac{y - x}{y}, \quad \text{et subtangens} \quad PT = y - x.$$

Unde si $y = PM$, erit $PT = PM - AP$; sin autem $y = -PM'$, quia punctum T' in regionem oppositam cadit, erit $-PT' = -PM' - AP$, seu $PT' = PM' + AP$. Cum autem sit

$$y = x \pm \sqrt{(aa + xx)}, \quad \text{erit subtangens} = \pm \sqrt{(aa + xx)},$$

cujus ambigui valoris prior $+\sqrt{(aa+xx)}$ dat subtangentem PT, alter $-\sqrt{(aa+xx)}$ subtangentem $-PT'$, erit ergo $PT = PT'$. Subnormalis porro

$$PN = \frac{yy}{\sqrt{(aa + xx)}} = \frac{aa + 2xx}{\sqrt{(aa + xx)}} + 2x,$$

et altera subnormalis

$$-PN' = \frac{-aa - 2xx}{\sqrt{(aa + xx)}} + 2x, \quad \text{seu} \quad PN' = \frac{aa + 2xx}{\sqrt{(aa + xx)}} - 2x.$$

Exprimi quoque potest tam subtangens quam subnormalis per applicatam y. Cum enim sit

$$x = \frac{yy - aa}{2y}, \quad \text{erit} \quad PT = \frac{yy + aa}{2y}, \quad AT = \frac{aa}{y} \quad \text{et} \quad PN = \frac{2y^3}{yy + aa},$$

unde pro duplici valore ipsius y gemini quoque valores pro punctis T et N inveniuntur.

* **Exemplum 4.** *Sit curva* BM (Fig. 9) *logarithmica ad suam asymtotam* AP *tanquam axem relata, cujus positis coordinatis* $\mathrm{AP} = \mathrm{x}$, $\mathrm{PM} = \mathrm{y}$, *natura hac aequatione exprimatur* $\mathrm{x} = \mathrm{c}\,\mathrm{l}\frac{\mathrm{y}}{\mathrm{a}}$.

Differentiata hac aequatione erit $dx = \frac{cdy}{y}$, ideoque $\frac{ydx}{dy} = c$, unde subtangens logarithmicae $PT = \frac{ydx}{dy}$ ubique ejusdem est quantitatis, quae est hujus curvae proprietas notissima. Hinc cum subnormalis semper sit tertia proportionalis ad subtangentem et applicatam, erit subnormalis $PN = \frac{yy}{c}$. Ex hoc autem exemplo perspicitur, quomodo curvarum transcendentium tangentes inveniri oporteat.

16. Vulgo in elementis linea tangens ita definiri solet, ut omnia puncta praeter unicum, quod punctum contactus vocatur, extra lineam curvam posita habere dicantur. Haec autem definitio non nisi in circulo et sectionibus conicis aliisque curvis, quae a lineis rectis in pluribus quam duobus * punctis secari nequeunt, justam tangentis ideam praebet. Ita si (Fig. 12) curva AMN alicubi cursum suum inflectat, linea recta TMN eam in puncto M tangere potest, etiam si eadem alibi in N curvam secet; hocque modo fieri potest, ut eadem linea recta curvam tangat simulque in pluribus punctis intersecet. Casus autem iste nostram definitionem non turbat, qua diximus lineam tangentem in uno puncto cum linea curva ita convenire, ut ibi utraque communem habeat directionem. Seu cum etiam in minimo curvae elemento directio agnosci debeat, linea tangens nil aliud erit, nisi hoc elementum utrinque productum.

17. Alias quoque idea tangentis ex idea linearum secantium derivari solet, ita ut (Fig. 13) linea secans TMm in tangentem abire censeatur, cum binae intersectiones M et m in unum punctum conveniunt. Haec idea non solum cum ea, quam supra dedimus, perfecte congruit, sed etiam eandem regulam pro inveniendis tangentibus suppeditat. Posita abscissa $AP = x$, sit applicata respondens $PM = y$ functio quaecunque ipsius x; tum consideretur recta TMm per punctum quodpiam axis T ducta quaecunque, eritque posita $AT = t$ aequatio pro recta ista hujusmodi $y = n(t + x)$, quae ob y functionem ipsius x, tot habebit radices, quot fuerint intersectiones hujus rectae cum linea curva. Si jam ponamus duas intersectiones in unum punctum coalescere, aequatio $y = n(t + x)$ duas habebit radices aequales; ac propterea per ea, quae in praecedente libro de aequalitate duarum radicum sunt demonstrata, erit aequationem $y = n(t + x)$ differentiando, posita sola quantitate x ejusque functione y variabili, $dy = ndx$, unde fit $n = \frac{dy}{dx}$. Qui valor si loco n in illa aequatione substituatur, erit $y = \frac{(t+x)\,dy}{dx}$ et $(t + x) = PT = \frac{ydx}{dy}$, quae est eadem expressio, quam supra pro subtangente PT invenimus.

18. Patet ergo ex hoc consensu, si elementum lineae curvae, quod etiamsi sit infinite parvum, tamen determinata directione non caret, utrinque producatur in directum, lineam rectam hoc modo oriundam fore tangentem lineae curvae in eo elemento. Quamobrem perpetuo positio lineae tangentis ex directione elementi curvae, quae per minimum triangulum Mnm (Fig. 6) determinatur, recte definietur. Cum igitur hoc praestiterimus, quando natura curvae per aequationem inter coordinatas orthogonales definitur, superest, ut quoque alios modos naturam curvarum exprimendi perpendamus, et quemadmodum lineae tangentes inveniri queant, ostendamus. Cognita autem tangente, simul omnes aliae lineae, quarum positio ab ea pendet, cujusmodi sunt normales in curvam, aliaeque lineae ad curvam utcunque inclinatae, facillime innotescent.

19. Quoniam hactenus applicatas ad axem normales assumsimus, faciant nunc applicatae MP cum axe AP angulum quemcunque constantem APM, qui sit $= \zeta$; voceturque abscissa $AP = x$, applicata $PM = y$. Sumatur jam alia abscissa aliquanto major $Ap = x + \Delta x$, sitque respondens applicata $pm = y + \Delta y$. Ducta ergo linea Mn axi parallela, erit $Mn = Pp = \Delta x$, et $mn = \Delta y$, atque triangulum mixtilineum Mnm abibit in rectilineum, si incrementum Δx statuatur infinite parvum. Fiat igitur $\Delta x = dx$ et $\Delta y = dy$, atque in triangulo rectilineo Mnm, ob data $Mn = Pp = dx$, $mn = dy$ et angulum $Mnm = \zeta$, dabitur positio lateris Mm, quae producta praebebit tangentem curvae MT in puncto M, quae si axi in T occurrat, triangula Mnm et TPM erunt similia, unde oritur $mn(dy) : Mn(dx) = PM(y) : PT$, erit ergo intervallum $PT = \frac{ydx}{dy}$, sicque innotescit punctum T, per quod si ex M ducatur recta MT, ea futura sit curvae tangens quaesita, unde patet subtangentem PT ab angulo ζ non pendere.

20. Definiri hinc quoque possunt differentialia tam areae quam arcus curvae. Si enim ponatur area $APM = u$, erit area $Apm = u + du$, ideoque du = trapezio $PpmM$, quod cum constet duabus partibus, parallelogrammo scilicet $PpnM$ et triangulo Mnm, erit area parallelogrammi $PpnM = ydx\sin\zeta$ et area trianguli $Mnm = \frac{1}{2}dxdy\sin\zeta$; hincque fit elementum areae $du = ydx\sin\zeta + \frac{1}{2}dxdy\sin\zeta$, quod est differentiale areae completum. In quo cum terminus posterior prae priori evanescat, erit

$du = ydx \sin\zeta$. Deinde, si arcus curvae AM ponatur $= s$, erit $Mm = ds$; verum ex triangulo Mnm reperitur

$$Mm = \sqrt{(dx^2 - 2dxdy\cos\zeta + dy^2)}, \text{ unde erit } ds = \sqrt{(dx^2 - 2dxdy\cos\zeta + dy^2)}.$$

Quodsi ergo quantitates assignari possent, quarum differentialia sint

$$= ydx\sin\zeta \quad \text{et} \quad \sqrt{(dx^2 - 2dxdy\cos\zeta + dy^2)},$$

earum altera aream curvae u, altera arcum s esset exhibitura.

21. Ex cognita positione tangentis MT determinari poterit angulus, quem linea utcunque per punctum M ducta cum linea curva constituit, quaevis enim linea cum curva eundem angulum constituere censetur, atque cum tangente. Hinc ergo vicissim duci poterit recta MO, quae cum curva in M angulum datum constituat. Sit iste angulus $TMO = \theta$, ac ponatur tantisper angulus $TMP = Mmn = \varphi$, erit angulus $PMO = \theta - \varphi$, atque ob $APM = \zeta$, erit $AOM = \zeta - \theta + \varphi$. Hinc ob cognitum in triangulo PMO, praeter omnes angulos, latus $PM = y$, erit

$$\sin AOM : PM = \sin PMO : PO, \text{ ideoque fiet } PO = \frac{y\sin(\theta - \varphi)}{\sin(\zeta - \theta + \varphi)} = \frac{y \operatorname{tang}(\theta - \varphi)}{\sin\zeta - \cos\zeta \operatorname{tang}(\theta - \varphi)}.$$

At est $\operatorname{tang}\varphi = \operatorname{tang} Mmn = \frac{dx\sin\zeta}{dy - dx\cos\zeta}$, ideoque

$$\operatorname{tang}(\theta - \varphi) = \frac{dy\operatorname{tang}\theta - dx\cos\zeta\operatorname{tang}\theta - dx\sin\zeta}{dy - dx\cos\zeta + dx\sin\zeta\operatorname{tang}\theta} = \frac{dy\sin\theta - dx\sin(\zeta + \theta)}{dy\cos\theta - dx\cos(\zeta + \theta)}.$$

Quamobrem reperietur

$$PO = \frac{y(dy\sin\theta - dx\sin(\zeta + \theta))}{dy\sin(\zeta - \theta) + dx\sin\theta}.$$

Si ergo linea MO ad curvam debeat esse normalis, ob $\theta = 90^0$, erit $PO = \frac{y(dy - dx\cos\zeta)}{-dy\cos\zeta + dx}$, unde si normalis MN ad alteram partem applicatae MP cadat, erit

$$PN = \frac{y(dx\cos\zeta - dy)}{dx - dy\cos\zeta}.$$

Exemplum. Sit curva AM (Fig. 10) ellipsis, vel alia sectio conica quaecunque, cujus sit AB diameter et PM applicata alteri diametro conjugatae parallela. Positis ergo $AP = x$, $PM = y$ et angulo $APM = \zeta$, erit ex natura sectionum conicarum: $yy = 2ax - nxx$. Hinc fit

$$ydy = adx - nxdx, \quad \text{seu} \quad \frac{dy}{dx} = \frac{a - nx}{y}.$$

Quare erit subtangens

$$PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{yy}{a - nx}, \quad \text{ideoque} \quad PT = \frac{x(2a - nx)}{a - nx}.$$

Sit C centrum sectionis conicae, erit $AC = \frac{a}{n}$, et $AB = \frac{2a}{n}$, ex quibus obtinetur

$$PT = \frac{x(AB - x)}{AC - x} = \frac{AP \cdot BP}{CP}, \quad \text{et} \quad CT = \frac{aa}{n(a - nx)} = \frac{AC^2}{CP}.$$

Deinde si MN fuerit ad curvam normalis, erit

$$PN = \frac{y(a - nx - y\cos\zeta)}{y - (a - nx)\cos\zeta},$$

cujus lineae valor erit duplex, prout y significet vel applicatam superiorem PM, vel inferiorem PM'. Quia autem inferior superiori est aequalis, pro puncto M' fiet y negativa, eritque ergo pro subnormali puncto M' respondente

$$PN' = \frac{y(a - nx + y\cos\zeta)}{y + (a - nx)\cos\zeta},$$

unde in lineis erit

$$PN = \frac{PM(CP.PM - AP.BP\cos\zeta)}{AP.BP - CP.PM\cos\zeta} \quad \text{et} \quad PN' = \frac{PM(CP.PM + AP.BP\cos\zeta)}{AP.BP + CP.PM\cos\zeta}.$$

22. Sit jam (Fig. 15) angulus APM, quem applicata PM cum axe AP constituit, utcunque variabilis, * seu exprimatur per functionem quampiam abscissae AP, cujus cum quoque applicata PM sit functio, pro assumta qualibet abscissa AP, tam angulus APM quam longitudo applicatae PM determinabitur, sicque punctum curvae M innotescet. Sit ergo abscissa $AP = x$, angulus $APM = \varphi$ et applicata $PM = y$, atque si tam φ quam y detur per x, hinc facile aequatio pro curva inter coordinatas orthogonales eruetur. Nam demissa ex M in axem AP perpendiculari MQ, ponatur $AQ = p$ et $QM = q$, eritque $q = y\sin\varphi$ et $p = x - y\cos\varphi$, unde aequatio inter p et q elicietur, qua inventa positio tangentis MT sine difficultate definietur. Cum enim sit $QT = \frac{qdp}{dq}$, ob $q = y\sin\varphi$, $dp = dx - dy\cos\varphi + yd\varphi\sin\varphi$ et $dq = dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi$, erit

$$QT = \frac{y\sin\varphi(dx - dy\cos\varphi + yd\varphi\sin\varphi)}{dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi}.$$

Addatur $PQ = y\cos\varphi$ prodibitque intervallum

$$PT = \frac{y(dx\sin\varphi + yd\varphi)}{dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi}.$$

23. Definiamus autem sine subsidio hujus reductionis positionem tangentis MT, ex sola consideratione differentialium. In hunc finem concipiatur applicata proxima pm, ita ut sit

$$Pp = dx, \quad \text{ang.}\, Apm = \varphi + d\varphi \quad \text{et} \quad pm = y + dy.$$

Producantur hae ambae applicatae, donec sibi occurrant in V, et cum in triangulo PVp sit $Pp = dx$, anguli $VPp = \varphi$, $VpB = \varphi + d\varphi$, et propterea angulus $V = d\varphi$, fiet

$$\sin d\varphi : dx = \sin(\varphi + d\varphi) : PV = \sin\varphi : pV.$$

Quare ob $\sin d\varphi = d\varphi$, $\sin(\varphi + d\varphi) = \sin\varphi + d\varphi\cos\varphi$, eo quod $\cos d\varphi = 1$, erit

$$PV = \frac{dx\sin\varphi + dxd\varphi\cos\varphi}{d\varphi} \quad \text{et} \quad pV = \frac{dx\sin\varphi}{d\varphi}.$$

Ducta jam Mn axi AP parallela erit $PV : pV = PM : pn$, hincque

$$pn = \frac{ydx\sin\varphi}{dx\sin\varphi + dxd\varphi\cos\varphi} = \frac{y\sin\varphi}{\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi} = y - \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi},$$

deinde ob $PV : dx = VM : Mn$ erit $Mn = dx + \frac{yd\varphi}{\sin\varphi}$. Est vero $pm = y + dy$, ideoque erit

$$mn = dy + \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi}.$$

Jam triangula Mmn et TMP sunt inter se similia, quia discrimen inter triangula TMP et Tmp est infinite parvum, seu nullum; hincque erit

$$mn : Mn = PM : PT$$

$$dy + \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi} : dx + \frac{yd\varphi}{\sin\varphi} = y : \frac{y(dx\sin\varphi + yd\varphi)}{dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi},$$

quae congruit cum expressione ante inventa.

24. Ex hoc ratiocinio intelligitur quantitates infinite parvas prae finitis non semper abjici licere; quanquam enim inveneramus $PV = \frac{dx}{d\varphi}(\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi)$, tamen in altero factore $\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi$ posterius membrum prae priori perperam negligeretur. Negligi quidem sine errore posset, si lineae PV quantitas absoluta quaereretur. At cum differentia inter eam et lineam pV in computum sit ducenda, ob $pV = \frac{dx\sin\varphi}{d\varphi}$, si idem valor pro PV quoque assumeretur, differentia prodiret nulla, neque propterea cum differentiali Pp comparari posset. Hinc ergo simul perspicitur, quibus casibus differentialia prae finitis quantitatibus rejicere liceat; hoc scilicet fieri potest, si valor absolutus quantitatis cujuspiam finitae investigatur. Verum si quantitas ejusmodi sit definienda, cujus deinde discrimen ab alia finita sibi aequali considerari debeat, isthac rejectione uti non licebit. Non magis enim pro valore lineae VP accipi potest $\frac{dx\sin\varphi}{d\varphi}$, cum sit revera $\frac{dx\sin\varphi}{d\varphi} + \frac{dxd\varphi\cos\varphi}{d\varphi}$, quam pro $Ap = x + dx$ valor x. Quoniam enim comparatio inter infinite parva est instituenda, etsi ea revera sint nulla, tamen suis debitis expressionibus designari debent, ut comparatio institui possit. Contra vero in determinando valore lineolae Mn pro PV recte adhibitus est valor $\frac{dx\sin\varphi}{d\varphi}$, quia nusquam differentia inter eam et aliam sibi aequalem in computum ingreditur.

25. Cum in triangulo Mnm sit $Mn = dx + \frac{yd\varphi}{\sin\varphi}$ et $mn = dy + \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi}$ atque ang. $Mnm = \varphi$, erit area hujus trianguli

$$= \frac{1}{2}Mn\,.\,mn\sin\varphi = \frac{(dx\sin\varphi + yd\varphi)(dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi)}{2\sin\varphi},$$

quae quia est differentialis secundi ordinis, prae differentialibus primi ordinis evanescit. Quare si hujus curvae area APM ponatur $= u$, erit

$$du = \text{trapezio } PMnp = \frac{1}{2}(Pp + Mn)\,MQ,$$

unde erit

$$du = y\,dx\sin\varphi + \frac{1}{2}yy\,d\varphi.$$

Si porro arcus curvae AM dicatur $= s$, erit $ds = Mm$, cujus valor ex triangulo Mnm reperitur $= \sqrt{(Mn^2 - 2Mn.mn.\cos\varphi + mn^2)} = \sqrt{(dx^2 - 2dxdy\cos\varphi + dy^2 + 2ydxd\varphi\sin\varphi + y^2d\varphi^2)} = ds$. Definiamus nunc quoque normalem MN in curvam, quae ex coordinatis superioribus $AQ = p$, $QM = q$, ita est assignata ut sit

$$QN = \frac{qdq}{dp} = \frac{y\sin\varphi\,(dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi)}{dx - dy\cos\varphi + yd\varphi\sin\varphi},$$

qui valor a $PQ = y\cos\varphi$ subtractus relinquit:

$$PN = \frac{y(dx\cos\varphi - dy)}{dx - dy\cos\varphi + yd\varphi\sin\varphi}.$$

26. Denique notari meretur pro quavis abscissa punctum V, ex quo applicatae divergunt; erit autem

$$PV = \frac{dx\sin\varphi}{d\varphi} \quad \text{et recta} \quad MV = y + \frac{dx\sin\varphi}{d\varphi}.$$

Ad hoc punctum alio modo determinandum demittatur ex eo in axem perpendiculum VX, eritque ob $PV = \frac{dx \sin\varphi}{d\varphi}$ et $VPX = \varphi$, $VX = \frac{dx \sin^2\varphi}{d\varphi}$ et $PX = -\frac{dx \sin\varphi \cos\varphi}{d\varphi}$, unde fit $AX = x + \frac{dx \sin\varphi \cos\varphi}{d\varphi}$. Cognito autem puncto hoc V, subtangens PT ita definietur, ut sit $PT = \frac{y.MV.d\varphi}{dy \sin\varphi + y\, d\varphi \cos\varphi}$. Hinc apparet, si fuerit $x = a + \frac{b \cos\varphi}{\sin\varphi}$, ob $dx = -\frac{b\, d\varphi}{\sin^2\varphi}$, fore $VX = -b$ et $AX = a$, ita ut hoc casu omnes applicatae se mutuo constanter in eodem puncto V decussent. Quod idem quoque hinc intelligitur, si ob punctum V constans ponatur $AX = a$ et $VX = -b$, erit enim $PV = -\frac{b}{\sin\varphi}$ et $PX = -\frac{b\cos\varphi}{\sin\varphi}$; ideoque $AP = x = a + \frac{b\cos\varphi}{\sin\varphi}$, uti ante assumseramus.

27. Cum relatio inter abscissam $AP = x$ et angulum $APM = \varphi$ data ponatur, ex ea cognoscetur pro quavis abscissa $AP = x$ (Fig. 16) punctum V, quia est $PV = \frac{dx \sin\varphi}{d\varphi}$, hincque tangentis TM positio ita simplicius exprimitur, ut sit $PT = \frac{MV.y\, d\varphi}{dy \sin\varphi + y\, d\varphi \cos\varphi}$. Ponamus nunc applicatam $PM = y$ perpetuo esse constantis magnitudinis, ex qua hypothesi conchois vulgaris resultat, si punctum V statuatur fixum. Quamvis autem hoc punctum V utcunque sit variabile, dummodo sit $PM = y = c$, tamen tangens expedite determinatur; nam ob $dy = 0$, erit $PT = \frac{MV}{\cos\varphi}$. Ducatur ergo ad MV normalis MS, et per V axi AP parallela VS, illi MS occurrens in S, erit $VS = \frac{MV}{\cos\varphi}$, quare si ex S rectae VM parallela agatur ST, fiet $PT = \frac{MV}{\cos\varphi}$, atque recta MT curvam in puncto M tanget. Hinc si punctum V praeterea statuatur fixum, tangens conchoidis facillime invenitur.

28. Si natura curvae exprimatur aequatione inter rectam CM (Fig. 17) ex puncto quodam fixo C ad curvam ductam, et angulum ACM, quem ista recta CM cum recta data CA pro axe assumta constituit, hic casus quidem in praecedente continebitur; verum quia saepissime natura curvarum hoc modo exhiberi solet, methodum ducendi tangentes hic seorsim trademus. Sit igitur recta $CM = y$ et angulus $ACM = \varphi$; concipiatur ducta proxima Cm, erit $Cm = y + dy$ et $ACm = \varphi + d\varphi$, ideoque angulus $MCm = d\varphi$. Centro C radio CM describatur arculus Mn, qui cum sit infinite parvus, pro lineola recta haberi poterit, quae simul in Cm erit perpendicularis. Erit ergo $mn = dy$, et cum sit $\frac{Mn}{CM} = d\varphi$, erit $Mn = y\, d\varphi$, atque triangulum Mnm erit rectilineum simulque ad n rectangulum, cujus hypotenusa Mm producta dabit positionem tangentis MT.

29. Demittatur nunc ex C in tangentem MT perpendiculum CP, et si triangula CmP, Mmn inter se comparentur, ea similia deprehendentur, propterea quod ambo sunt rectangula et angulum ad m communem habent. Quia vero triangulum CMP a triangulo CmP infinite parum tantum, hoc est nihil differt, triangulum quoque CMP simile erit triangulo Mnm. Cum igitur in triangulo Mmn sit $Mm = \sqrt{(dy^2 + y^2 d\varphi^2)}$, erit $Mm : CM = Mn : CP = mn : MP$ ideoque

$$CP = \frac{yy\, d\varphi}{\sqrt{(dy^2 + y^2 d\varphi^2)}} \quad \text{et} \quad MP = \frac{y\, dy}{\sqrt{(dy^2 + y^2 d\varphi^2)}}.$$

Si ergo super CM tanquam diametro describatur semicirculus, in eoque ex M corda applicetur

$$MP = \frac{y\, dy}{\sqrt{(dy^2 + y^2 d\varphi^2)}},$$

dabit ea tangentem curvae in puncto M.

30. Alio autem modo facilius punctum T in axe inveniri potest, per quod tangens MT transeat. In hunc finem ducatur per M recta Mt axi parallela, atque ob angulum $CMt = \varphi$, et $Mtm = \varphi + d\varphi$, in triangulo CMt erit

$$\begin{array}{llll} \sin Mtm & : CM = \sin MCt : & Mt & = \sin CMt : \quad Ct \\ \sin\varphi + d\varphi\cos\varphi : & y = d\varphi & : \frac{yd\varphi}{\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi} = & \sin\varphi : \frac{y\sin\varphi}{\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi} \end{array}$$

Erit ergo $Mt = \frac{yd\varphi}{\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi} = \frac{yd\varphi}{\sin\varphi}$; quia enim differentia lineolae Mt ab alia sibi aequali nusquam in computum venit, in denominatore terminum $d\varphi\cos\varphi$ prae $\sin\varphi$ tuto rejicimus. At cum Ct subtrahere debeamus ab Cm, et differentia haec ipsa sit infinite parva, praecedentem omissionem facere non licet, eritque $Ct = \frac{y\sin\varphi}{\sin\varphi + d\varphi\cos\varphi} = y - \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi}$. Quare cum sit

$$Cm = y + dy, \text{ fiet } mt = dy + \frac{yd\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi}.$$

Nunc igitur triangula mtM et MCT similia dabunt $mt : Mt = MC : CT$, unde obtinetur

$$CT = \frac{yyd\varphi}{dy\sin\varphi + yd\varphi\cos\varphi}.$$

* 31. Exprimatur nunc (Fig. 18) natura curvae BM aequatione inter rectam CM, ex puncto quodam fixo C ad curvam ductam, et portionem rectae AP positione datae, quae a recta illa CM abscinditur. Consideratur scilicet haec recta AP instar axis, in quo punctum A, ubi recta CA ad axem est normalis, pro initio assumatur, voceturque $AP = x$ et $CM = y$. Ducatur recta Cm ipsi CM proxima, eritque $Ap = x + dx$, ideoque $Pp = dx$ et $Cm = y + dy$. Jam ex triangulo CAP rectangulo, posito $CA = a$, erit $CP = \sqrt{(aa + xx)}$, et ex natura differentialium

$$Cp = \sqrt{(aa + xx)} + \frac{xdx}{\sqrt{(aa + xx)}}.$$

Hinc ducta Mn axi parallela, ob triangula CPp et CMn similia, erit $CP : CM = Pp : Mn = Cp : Cn$, unde fit

$$Mn = \frac{ydx}{\sqrt{(aa + xx)}} \quad \text{et} \quad Cn = y + \frac{yxdx}{aa + xx}.$$

Hanc ob rem erit $mn = dy - \frac{yxdx}{aa + xx}$. Cum nunc ducta tangente MT triangulum pmT ideoque et PMT simile sit triangulo nmM, erit $mn : Mn = PM : PT$, ideoque

$$PT = \frac{(y - \sqrt{(aa + xx)})\,ydx}{dy\sqrt{(aa + xx)} - \frac{yxdx}{\sqrt{(aa + xx)}}}.$$

32. Ponatur $PM = z$, dataque sit aequatio inter x et z, unde aeque ac in casu praecedente, curva cognoscetur et construetur. Erit ergo $y = z + \sqrt{(aa + xx)}$ et $dy = dz + \frac{xdx}{\sqrt{(aa + xx)}}$, quibus valoribus substitutis obtinebitur $PT = \frac{zdx\,(z + \sqrt{(aa + xx)})}{dz\sqrt{(aa + xx)} - zxdx : \sqrt{(aa + xx)}}$. Si statuatur z constans sive affirmativa, sive negativa, curva erit conchois vel exterior, vel interior; hocque casu si ponatur $z = c$ ob $dz = 0$, fiet $PT = \frac{c\,(c + \sqrt{(aa + xx)})}{-cx : \sqrt{(aa + xx)}} = \frac{-c\sqrt{(aa + xx)} - aa - xx}{x}$, seu erit $PT = -\frac{CM.\,CP}{AP}$, ita ut sit $AP : CP = CM : -PT$, unde pro tangente conchoidis invenienda eadem oritur constructio, quam jam ante dedimus.

* 33. Referatur nunc (Fig. 19) proposita curva EM ita ad duo puncta fixa A et B ceu polos, ut inde ad quodvis curvae punctum M ductis rectis AM et BM relatio inter istas rectas exprimatur aequatione

quacunque. Sit igitur $AM = x$, $BM = y$, et concipiatur punctum m ipsi M proximum, ad quod ductis rectis Am et Bm erit $Am = x + dx$ et $Bm = y + dy$. Tum centris A et B descriptis arculis Ma, Mb, qui cum sint infinite parvi, pro lineolis rectis in Am et Bm normalibus haberi poterunt, erit $ma = dx$ et $mb = dy$; sicque super communi hypotenusa Mm duo habebuntur triangula rectangula Mam et Mbm. Jam ex quovis tangentis puncto T demittantur in AM et BM perpendicula TP et TQ, quae cum quoque in Am et Bm futura sint normalia, erunt triangula Tpm seu TPM et Mam, itemque triangula Tqm seu TQM et Mbm inter se similia, ideoque $Mm : MT = ma : MP = mb : MQ$, unde erit $MP : MQ = ma : mb = dx : dy$. Cum igitur ex aequatione inter x et y detur ratio $dx : dy$, in eadem ratione capiantur intervalla MP et MQ; quo facto, ex punctis P et Q ad AM et BM normaliter ducantur PT et QT, sese in puncto T intersecantes, eritque recta MT curvae tangens in puncto M.

34. Quantitas autem elementi curvae Mm sequenti modo determinabitur: Sit angulus AMB seu $AmB = \varphi$, qui ex distantia punctorum AB dabitur; si enim ponatur haec distantia

$$AB = a, \quad \text{erit} \quad \cos\varphi = \frac{xx + yy - aa}{2xy}.$$

Tum juncta ab ob angulum $amb = \varphi$, erit $ab = \sqrt{(dx^2 + dy^2 - 2dxdy\cos\varphi)}$. Describatur nunc (Fig. 20) super diametro Mm semicirculus, erunt puncta a et b in ejus peripheria, et in cordam ab ex centro c demittatur perpendiculum cd, erit ang. $acd = amb = \varphi$, ideoque $\frac{ad}{ac} = \frac{ab}{Mm} = \sin\varphi$; hinc erit $Mm = \frac{ab}{\sin\varphi}$. Quare habebitur elementum curvae (Fig. 19) $Mm = \frac{\sqrt{(dx^2 + dy^2 - 2dxdy\cos\varphi)}}{\sin\varphi}$. *

35. Invento elemento $Mm = \frac{\sqrt{(dx^2 + dy^2 - 2dxdy\cos\varphi)}}{\sin\varphi}$, reperietur $Ma = \frac{dx\cos\varphi - dy}{\sin\varphi}$ et $Mb = \frac{dx - dy\cos\varphi}{\sin\varphi}$, qui iidem valores geometrice quoque inveniuntur, si ex a in Bm, item ex b in Am demittantur perpendicula puta $a\alpha$ et $b\beta$, quae quidem in figura non sunt expressa. Erit autem

$$m\alpha = dx\cos\varphi \quad \text{et} \quad b\alpha = dx\cos\varphi - dy \quad \text{atque} \quad \frac{b\alpha}{Ma} = \sin\varphi,$$

similique modo erit $m\beta = dy\cos\varphi$ et $a\beta = dx - dy\cos\varphi$ atque $\frac{a\beta}{Mb} = \sin\varphi$. Jam ob triangula MPT et maM similia, si MP pro lubitu capiatur, atque ex P ad AM normalis usque ad tangentem MT ducatur, erit $ma : Ma = MP : PT$, ideoque $PT = MP \cdot \frac{dx\cos\varphi - dy}{dx\sin\varphi}$. Hinc ergo angulus AMT cognoscitur, quippe cujus tangens $= \frac{dx\cos\varphi - dy}{dx\sin\varphi}$; similique modo anguli BMT tangens erit $= \frac{dx - dy\cos\varphi}{dy\sin\varphi}$. Bisecetur angulus AMB recta MC, et cum sit angulus $AMC = \frac{1}{2}\varphi$, erit

$$\operatorname{tang} CMT = \frac{(dx - dy)\cos\frac{1}{2}\varphi}{(dx + dy)\sin\frac{1}{2}\varphi}, \quad \text{seu} \quad \operatorname{tang} CMT \cdot \operatorname{tang} AMC = \frac{dx - dy}{dx + dy}.$$

Quia vero est $\cos\varphi = \frac{xx + yy - aa}{2xy}$, erit $\frac{\cos\frac{1}{2}\varphi}{\sin\frac{1}{2}\varphi} = \sqrt{\frac{(x + y + a)(x + y - a)}{(a - x + y)(a + x - y)}}$, ideoque

$$\operatorname{tang} CMT = \frac{dx - dy}{dx + dy}\sqrt{\frac{(x + y + a)(x + y - a)}{(a - x + y)(a + x - y)}}.$$

Exemplum 1. Sit $mx + ny = b$, erit curva, si $m = \pm n$, sectio conica circa focos A et B descripta; in genere ergo cum sit $mdx + ndy = 0$, fiet $dx : dy = n : -m$. Quare sumtis in rectis AM, BM portionibus $MP : MQ = n : -m$, concursus normalium PT, QT in puncto T dabit tangentem. Quod si autem angulus AMB ponatur $=\varphi$, erit

$$\operatorname{tang} AMT = \frac{n\cos\varphi + m}{n\sin\varphi} \quad \text{et} \quad \operatorname{tang} BMT = \frac{-n-m\cos\varphi}{m\sin\varphi}.$$

Ducta vero recta MC angulum AMB bisecante, erit $\operatorname{tang} CMT = \frac{(m+n)\cos\frac{1}{2}\varphi}{(n-m)\sin\frac{1}{2}\varphi}$; unde patet si $m=n$, quod fit in ellipsi, angulum CMT esse rectum; sin autem $m=-n$, quod fit in hyperbola, ipsa tangens MT angulum AMB bisecabit, uti ex elementis constat.

Exemplum 2. Sit $mxx+nyy=bb$, erit $mxdx+nydy=0$, ideoque $dx:dy=ny:-mx$, unde si capiatur $MP:MQ=n.BM:-m.AM$, concursus perpendiculorum in T determinabit positionem tangentis MT. Posito autem angulo $AMB=\varphi$, qui ex aequatione $\cos\varphi=\frac{x^2+y^2-a^2}{2xy}$ datur, erit $\operatorname{tang} AMT=\frac{ny\cos\varphi+mx}{ny\sin\varphi}$ et $\operatorname{tang} BMT=\frac{-ny-mx\cos\varphi}{mx\sin\varphi}$. Dicatur ang $AMT=\theta$, ut sit $\operatorname{tang}\theta=\frac{ny\cos\varphi+mx}{ny\sin\varphi}$, et angulus $BAM=p$, ut sit $\cos p=\frac{a^2+x^2-y^2}{2ax}$, atque concipiatur recta CM ad tangentem MT normalis, erit angulus $AMC=90^0-\theta$ et $BCM=90^0-\theta+p$. Hinc erit $\sin BCM:AM=\sin AMC:AC$, seu $AC=\frac{x\cos\theta}{\cos(\theta-p)}=\frac{x}{\cos p+\sin p\operatorname{tang}\theta}$. At est $\sin\varphi:\sin p=a:y$, ideoque $\sin p=\frac{y\sin\varphi}{a}$, unde fit $\sin p\operatorname{tang}\theta=\frac{ny\cos\varphi+mx}{na}=\frac{mx}{na}+\frac{xx+yy-aa}{2ax}$; hincque porro $\cos p+\sin p\operatorname{tang}\theta=\frac{mx}{na}+\frac{x}{a}=\frac{(m+n)x}{na}$. Ex quibus efficitur $AC=\frac{na}{m+n}$ et $BC=\frac{ma}{m+n}$. Punctum ergo C in recta AB erit fixum, ex quo cum omnes rectae ad curvam ductae in eam simul sint normales, manifestum est hanc curvam esse circulum centro C descriptum; quod idem ex elementis facile demonstratur. Radius ergo hujus circuli erit recta CM, cujus longitudo reperitur ex analogia hac:

$$\sin AMC:AC=\sin p:MC, \quad \text{unde fit} \quad MC=\frac{na\sin p}{(m+n)\cos\theta}=\frac{ny\sin\varphi}{(m+n)\cos\theta}.$$

Est vero

$$\cos\theta=\frac{ny\sin\varphi}{\sqrt{(m^2x^2+n^2y^2+2mnxy\cos\varphi)}}, \text{ seu } \cos\theta=\frac{ny\sin\varphi}{\sqrt{(m(m+n)xx+n(m+n)yy-mnaa)}}=\frac{ny\sin\varphi}{\sqrt{((m+n)bb-mnaa)}},$$

ergo erit radius $$CM=\frac{\sqrt{((m+n)bb-mnaa)}}{m+n}.$$

Denique cum sit $dx:dy=ny:-mx$, erit elementum curvae

$$Mm=\frac{dx\sqrt{(n^2y^2+m^2x^2+2mnxy\cos\varphi)}}{ny\sin\varphi}=\frac{dx\sqrt{((m+n)bb-mnaa)}}{ny\sin\varphi},$$

est vero $$y\sin\varphi=\frac{\sqrt{(2(m+n)bbxx-2n(m-n)aaxx-(bb-naa)^2-(m+n)^2x^4)}}{2nx}.$$

36. Referatur nunc quidem, ut ante, curva ad duos polos fixos A et B, quorum distantia sit $AB=a$; verum detur relatio inter angulos $BAM=p$ et $ABM=q$. Hinc angulus AMB, quem ante vocavimus φ, nunc erit $=180^0-p-q$, ita ut sit

$$\sin\varphi=\sin(p+q) \quad \text{et} \quad \cos\varphi=-\cos(p+q).$$

Ex triangulo ergo AMB erit

$$AM=x=\frac{a\sin q}{\sin(p+q)} \quad \text{et} \quad BM=y=\frac{a\sin p}{\sin(p+q)}.$$

Hinc erit

$$\frac{dx}{a} = \frac{dq \sin p - dp \sin q \cos(p+q)}{\sin^2(p+q)} \quad \text{et} \quad \frac{dy}{a} = \frac{dp \sin q - dq \sin p \cos(p+q)}{\sin^2(p+q)},$$

qui valores in formulis supra inventis substituti dabunt

$$\operatorname{tang} AMT = \frac{dp}{(dp+dq)\cot(p+q) - dq \cot q}, \quad \operatorname{tang} BMT = \frac{dq}{dp \cot p - (dp+dq)\cot(p+q)}.$$

Quodsi autem tangens MT eousque producatur, donec cum AB producta concurrat, atque angulus iste ponatur $= t$, reperietur

$$\operatorname{tang} t = \frac{dq \sin^2 p + dp \sin^2 q}{dq \sin p \cos p - dp \sin q \cos q}.$$

Ex hoc angulo t vicissim relatio inter incrementa angulorum p et q cognoscetur, erit enim

$$dp : dq = \sin p \sin(t-p) : \sin q \sin(t+q).$$

At elementum curvae, si in superiori expressione loco dx et dy valores hic inventi substituantur, reperietur

$$Mm = \frac{a\sqrt{(dp^2 \sin^2 q + dq^2 \sin^2 p - 2dp\,dq \sin p \sin q \cos(p+q))}}{\sin^2(p+q)}.$$

Sin autem angulus AMB recta MC bisecetur, erit

$$\operatorname{tang} CMT = \frac{dq \sin p - dp \sin q}{dq \sin p + dp \sin q} \cot. \tfrac{1}{2}(p+q).$$

Exemplum. Sit summa angulorum p et q perpetuo eadem, puta $p+q=\theta$, seu $q=\theta-p$, erit

$$\operatorname{tang} AMT = \frac{1}{\cot(\theta-p)} = \operatorname{tang} q;$$

ideoque ang. $AMT =$ ang. ABM et ang. $t = p - q$, quae cum sit proprietas circuli, manifestum est curvam esse circulum per puncta ambo A et B transeuntem, quippe quae circuli proprietas ex elementis constat.

Caput III.

De tangentibus linearum curvarum, quae per alias lineas curvas utcunque determinantur.

1. Curvas, quarum tangentes in capite praecedente invenire docuimus, vel per coordinatas, sive orthogonales sive obliquangulas, vel per alias lineas rectas, utcunque ductas determinatas assumsimus, ita ut in determinationem illarum curvarum solae lineae rectae exclusis curvis ingrederentur. Cum autem saepenumero constructio linearum curvarum jam alias lineas curvas requirat, in hoc capite methodum trademus earum quoque linearum curvarum tangentes inveniendi, quarum natura per alias lineas curvas determinatur: quod cum innumerabilibus modis fieri possit, hic tantum praecipuos commemorabimus, quibus tam plerarumque linearum adhuc tractatarum proprietates continentur, quam simul via aperiatur ad alias quasvis determinationum rationes enodandas.

2. Sit igitur (Fig. 21) data curva quaecunque AL ad axem AP applicatis LP sive normalibus sive ad datum angulum inclinatis relata. Ex hac autem curva ita generetur alia AM, ut ejus applicatae PM ad illius curvae applicatas PL datam teneant rationem, siquidem ad eandem abscissam AP referantur. Si jam ponamus curvae datae AL tangentes LT in quovis puncto L esse cognitas, hinc positionem *

tangentium alterius curvae genitae AM investigemus. Ponamus igitur abscissam $AP = x$, quae utrique curvae est communis, applicatam curvae datae $PL = u$, ejus subtangentem $PT = t$, erit, sive applicatae sint normales sive ad datum angulum inclinatae, $t = \frac{udx}{du}$. Pro curva autem genita AM vocetur applicata $PM = y$; et quia ratio $PM : PL$ est constans, sit ea $= n : 1$ eritque $y = nu$, unde, quicunque valor numero n tribuatur, ex curva data AL altera curva genita AM facile construitur.

3. Cum igitur sit $y = nu$, erit $dy = ndu$, ideoque elementa applicatarum mn et lk inter se eandem tenent rationem, quam ipsae applicatae. Subtangens itaque curvae genitae AM, quae est $= \frac{ydx}{dy}$, ob $y = nu$ et $dy = ndu$, abit in $\frac{udx}{du} = t$, unde patet utramque curvam AL et AM communem habere subtangentem PT, pro eadem abscissa AP, atque tangentes in L et M axi in eodem puncto T occurrere. Cum igitur curvae AM subtangens $PT = \frac{udx}{du}$ non a ratione $n : 1$ pendeat, si ex curva AL infinitae hujusmodi curvae AM concipiantur genitae, omnes pro eadem abscissa AP eandem habebunt subtangentem. Si curva AL fuerit semicirculus, curvae hoc modo genitae erunt semi-ellipses super eodem axe descriptae, quae igitur omnes eandem habebunt subtangentem, uti constat.

4. Curvae autem datae erit subnormalis $PK = \frac{udu}{dx}$, curvae genitae autem subnormalis erit $PN = \frac{ydy}{dx}$. Cum igitur sit $y = nu$, erit $PN = \frac{nnudu}{dx}$, seu erit $PN : PK = nn : 1 = PM^2 : PL^2$; subnormales ergo multo magis sunt inaequales quam applicatae PM et PL. Porro cum areae APL elementum sit $= udx$, et areae APM elementum $= ydx = nudx$, haec elementa arearum eandem inter se rationem tenent, quam ipsae applicatae, quae quia est constans, areae quoque ipsae eandem inter se rationem habebunt, eritque area APM: aream $APL = n : 1$. Quare si curvae datae area APL assignari poterit, curvae quoque genitae APM area habebitur. Hinc si area circuli exhiberi posset, omniumque quoque ellipsium areae forent cognitae: Secus vero est comparata ratio arcuum AL et AM, illius enim si applicatae sint orthogonales, elementum est $Ll = \sqrt{(dx^2 + du^2)}$, hujus vero $Mm = \sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \sqrt{(dx^2 + nndu^2)}$, cujus ad illud ratio non est constans, neque ideo ex rectificatione curvae AL rectificatio curvae AM cognoscitur.

5. Ex his jam facile perspicitur, quemadmodum curvae genitae AM tangens MT inveniri debeat, si applicata $PM = y$ rationem quamcunque variabilem ad applicatam $PL = u$ habeat, seu si y fuerit functio quaecunque non solum ipsius u, sed etiam ipsarum x et u conjunctim. Sit enim differentiali sumto $dy = Pdx + Qdu$, erit curvae genitae AM subtangens $= \frac{ydx}{Pdx + Qdu}$, et subnormalis $= \frac{y(Pdx + Qdu)}{dx}$. At si curvae datae AL ponatur subtangens $\frac{udx}{du} = t$, ut sit $dx : du = t : u$, per quantitates finitas reperietur curvae genitae AM subtangens $AT = \frac{ty}{Pt + Qu}$, et subnormalis $PN = Py + \frac{Quy}{t}$. Ex quibus formulis saepe concinnae constructiones elici possunt: ita si fuerit $yy = aa + uu$, ideoque $ydy = udu$ et $\frac{ydy}{dx} = \frac{udu}{dx}$, curva data AL et genita AM communem habebunt subnormalem.

6. Neque etiam inventio tangentis fit difficilior, si (Fig. 22) ipse arcus AL curvae datae in expressionem applicatae PM ingrediatur. Ponamus curvam AM ex curva data AL ita formari, ut perpetuo sit applicata $PM = PL +$ arcu AL. Sic autem curva AM erit cyclois, si pro curva data AL accipiatur circulus centrum in axe AP habens. Sit vero curva AL quaecunque, ac ponatur abscissa ejus $AP = x$, applicata $PL = u$ et arcus $AL = s$, erit ejus elementum $ds = \sqrt{(dx^2 + du^2)}$, siquidem applicatae statuantur ad axem AP perpendiculares. Atque si hujus curvae normalis ducatur LJ, erit

$$PJ = \frac{udu}{dx} \quad \text{et} \quad LJ = \frac{u\sqrt{(dx^2 + du^2)}}{dx} = \frac{uds}{dx}.$$

Ex A erigatur ad axem normalis AQ, ducaturque $LQ = AP = x$, erit $AQ = u$, cui tangens LR occurrat in R, erit ob similitudinem triangulorum LPJ et LQR, $QR = \frac{xdu}{dx}$ et $LR = \frac{xds}{dx}$, unde relatio differentialium dx, du et ds per lineas finitas LP, PJ, LJ seu LQ, QR, LR exprimetur.

7. Cum jam ponamus esse $PM = PL + AL = u + s$, quoniam et curvae genitae abscissa est $AP = x$, ponatur ejus applicata $PM = y$, eritque $y = u + s$ et $dy = du + ds$. Ducta itaque tangente MT, erit subtangens $PT = \frac{ydx}{dy} = \frac{ydx}{du + ds}$. Cum autem differentialibus dx, du, ds sint proportionales rectae LQ, QR, LR, erit $PT = \frac{PM \cdot LQ}{QR + LR}$. Jungatur ergo ipsi QR in directum $RS = LR$, ut sit $QS = QR + LR$, erit $PT = \frac{PM \cdot LQ}{QS}$, seu $QS : LQ = PM : PT$, unde patet triangula SQL et MPT esse similia, ideoque tangentem MT rectae LS parallelam. Si curva AL sit circulus, erit $RA = LR$, ac recta LS fiet corda LA, cui igitur tangens cycloidis MT erit parallela, uti constat.

8. Inventa positione tangentis MT sponte se offert positio normalis MN; interim tamen immediate satis succincte exhiberi potest. Cum enim sit subnormalis $= \frac{ydy}{dx}$, erit

$$\operatorname{tang} PMN = \frac{dy}{dx} = \frac{du + ds}{dx}.$$

Differentialibus autem dx, du, ds proportionales sunt rectae LP, PJ, LJ, quibus loco differentialium substitutis erit

$$\operatorname{tang} PMN = \frac{PJ + LJ}{LP}.$$

Sumatur ergo in axe $JK = LJ$, erit $PK = PJ + LJ$, et jungatur LK, eritque

$$\operatorname{tang} PMN = \frac{PK}{LP} = \operatorname{tang} PLK.$$

Prodit ergo angulus $PMN = \text{ang} . PLK$, ideoque normalis MN parallela est rectae LK. Quodsi ergo curva AL fuerit circulus, erit J ejus centrum, LJ radius, ideoque K altera diametri extremitas, ad quam si ducatur corda LK, erit ei constanter parallela recta MN, quae ad cycloidis punctum M ducitur normalis.

9. Ponamus jam (Fig. 23) ex curva data am formari aliam AM ita, ut etiam abscissae varientur. Sit in curva proposita am abscissa $ap = t$, applicata $pm = u$, ideoque subtangens $pt = \frac{udt}{du}$ et subnormalis $pn = \frac{udu}{dt}$, siquidem coordinatae t et u fuerint normales. In curva autem formata AM vocentur coordinatae $AP = x$, $PM = y$, unde fit subtangens $PT = \frac{ydx}{dy}$ et subnormalis $PN = \frac{ydy}{dx}$.

Ponamus igitur primo curvam AM ex data am ita formari, ut tam abscissae quam applicatae eandem perpetuo teneant rationem: sit scilicet $x = nt$ et $y = nu$, qua proprietate continetur natura similitudinis, ita ut curva AM similis futura sit curvae am punctaque M et m homologa. Cum igitur sit quoque $dx = ndt$ et $dy = ndu$, erit

$$PT = \frac{nudt}{du} \text{ et } PN = \frac{nudu}{dt}, \text{ seu } PT = n \,.\, pt \text{ et } PN = n \,.\, pn,$$

quemadmodum natura similitudinis postulat.

10. Sin autem utraque quidem ratio $AP : ap$ et $PM : pm$ fuerit constans, sed non eadem, scilicet $x = mt$ et $y = nu$, curvae non erunt similes, sed tamen arcta quadam affinitate ita conjunguntur, ut eas affines appellari conveniat. In his igitur curvis cum sit $dx = mdt$ et $dy = ndu$, habebitur $\frac{ydx}{dy} = \frac{mudt}{du}$ et $\frac{ydy}{dx} = \frac{nnudu}{mdt}$. Erit itaque $PT = m \,.\, pt$, seu $PT : pt = AP : ap$, ita ut subtangentes ipsam rationem abscissarum teneant. Verum ob $PN = \frac{nn}{m} \cdot pn$, erit

$$PN : pn = PM^2 \,.\, ap : pm^2 \,.\, AP \text{ seu } \frac{AP \,.\, PN}{PM^2} = \frac{ap \,.\, pn}{pm^2}.$$

Porro cum elementum areae APM sit $ydx = mnudt$, erit ipsa area APM ad aream apm ut mn ad 1, hoc est ut $AP \,.\, PM$ ad $ap \,.\, pm$. Elementum autem ipsius arcus AM, quod est

$$\sqrt{(dx^2 + dy^2)} = \sqrt{(m^2 dt^2 + n^2 du^2)}$$

non tenet constantem rationem ad elementum arcus am, quod est $= \sqrt{(dt^2 + du^2)}$, praeter casum $m = n$, quo affinitas in similitudinem abit. Hoc autem casu manifestum est esse $AM : am = AP : ap$.

11. Contemplemur nunc (Fig. 24) applicatas CM ex puncto quodam fixo C exeuntes, sitque data quaecunque curva BL, cujus tangentes QL cuique applicatae CL respondentes constent. Tum ex hac curva formetur alia AM hac lege, ut intervallum LM in recta CL producta sumtum semper aequale capiatur rectae cuidam datae, eritque curva AM ex conchoidum genere, quia, si curva data BL sumatur recta, hoc modo prodit conchois vulgaris. Quo igitur curvae AM hac ratione ex curva data BL formatae tangens MP definiatur, ponatur in curva data $CL = y$ et angulus $CLQ = \theta$, ita ut demisso ex C in tangentem LQ perpendiculo CQ, sit $CQ = y \sin \theta$ et $LQ = y \cos \theta$. Deinde ponatur intervallum constans $LM = a$, ut sit curvae quaesitae applicata $CM = a + y$; angulus vero CMP, quem tangens MP cum CM constituit, vocetur $= \varphi$, ita ut ducta CP ad tangentem MP normali, sit $CP = (a + y) \sin \varphi$ et $MP = (a + y) \cos \varphi$.

12. Concipiatur jam ducta applicata proxima Clm, centroque C describantur arculi $L\lambda$ et $M\mu$ pro rectis habendi; ob $lm = LM = a$ et $\lambda\mu = LM = a$, erit $m\mu = l\lambda = dy$; atque ob triangula similia $CL\lambda$ et $CM\mu$ erit $M\mu : L\lambda = CM : CL = a + y : y$. Cum igitur sit

$$\text{tang } Mm\mu = \text{tang } CMP = \text{tang } \varphi = \frac{M\mu}{m\mu}, \text{ et tang } Ll\lambda = \text{tang } CLQ = \text{tang } \theta = \frac{L\lambda}{l\lambda},$$

erit
$$\text{tang } \varphi : \text{tang } \theta = \frac{M\mu}{m\mu} : \frac{L\lambda}{l\lambda} = M\mu : L\lambda = a + y : y;$$

ideoque
$$\text{tang } \varphi = \frac{(a + y)}{y} \text{tang } \theta.$$

Hinc ergo definitur tangens anguli CMP, cum sit tang CMP : tang $CLQ = CM : CL$; ideoque positio tangentis MP determinatur. Seu erit

$$\frac{CP}{MP} : \frac{CQ}{LQ} = CM : CL, \text{ vel } \frac{CM \cdot MP}{CP} = \frac{CL \cdot LQ}{CQ}.$$

Ideoque inventio tangentis MP ad resolutionem et constructionem problematis geometrici est perducta.

13. Commoda autem hinc constructio sequenti modo adornari potest. (Fig. 25) Ad applicatam CLM in C constituatur perpendicularis CRS tangentem curvae datae LR secans in R, erit

$$\frac{CR}{CL} = \text{tang}\, CLR = \text{tang}\, \theta.$$

Tum per M ducatur recta MS ipsi LR parallela, erit

$$CL : CM = CR : CS, \quad \text{ideoque} \quad CS = \frac{CM \cdot CR}{CL}.$$

Quodsi jam ducatur recta LS, erit tang CLS : tang $CLR = CS : CR = CM : CL$, hincque fiet

$$\text{tang}\, CLS = \frac{CM}{CL} \text{tang}\, CLR = \frac{a+y}{y} \text{tang}\, \theta.$$

Quamobrem erit tang CLS = tang φ, ideoque $CLS = \varphi$, angulus ergo CMT aequalis esse debet angulo CLS. Hinc per M ducatur rectae LS parallela MT, eritque haec MT tangens curvae formatae AM. Sicque facilis modus omnium curvarum conchoidalium tangentes inveniendi habetur: ducatur scilicet ad CM normalis CS, et per M tangenti LR parallela MS, junctaeque rectae LS per M ducatur parallela MT, erit haec tangens quaesita.

14. Prodit ergo haec succincta tangentium constructio, si intervallum LM perpetuo datae magnitudinis capiatur; sin autem LM ad applicatam CL in data ratione sumeretur, manifestum est curvam AM ipsi BL similem esse futuram, atque tangentes in punctis L et M fore parallelas. Generatim autem problema ita proponi posset, ut sumta CM = functioni cuicunque ipsius CL, positio tangentis, in M investigaretur, neque solutio difficilior foret (Fig. 24). Positis enim

$$CL = y, \quad \text{ang}\,.\, CLQ = \theta \quad \text{atque} \quad CM = z \quad \text{et} \quad \text{ang}\,.\, CMP = \varphi, \quad \text{erit} \quad l\lambda = dy \quad \text{et} \quad m\mu = dz.$$

Hinc fiet $$\text{tang}\, Ll\lambda = \text{tang}\, \theta = \frac{L\lambda}{dy} \quad \text{et} \quad \text{tang}\, Mm\mu = \text{tang}\, \varphi = \frac{M\mu}{dz},$$

unde habebitur haec analogia

$$\text{tang}\, \varphi : \text{tang}\, \theta = \frac{M\mu}{dz} : \frac{L\lambda}{dy} = \frac{z}{dz} : \frac{y}{dy} = \frac{zdy}{ydz} : 1, \quad \text{ob} \quad M\mu : L\lambda = z : y,$$

ita ut sit $$\text{tang}\, \varphi = \frac{zdy}{ydz} \text{tang}\, \theta.$$

Quare si constituta (Fig. 25) CR ad CL normali, capiatur $CR : CS = 1 : \frac{zdy}{ydz}$, recta LS parallela erit tangenti quaesitae MT.

15. Huc quoque referendae sunt ejusmodi curvarum descriptiones, ubi recta CM non functioni ipsius applicatae CL, sed functioni arcus BL curvae datae aequalis assumitur. Ex quo genere imprimis sunt notatu dignae eae curvae, quae hoc modo ex circulo nascuntur. Sit itaque curva data

circulus (Fig. 26), cujus centrum in ipso puncto C sit positum. Detur igitur circulus ABE centro C descriptus, cujus radius AC ponatur $= a$, sumtoque puncto A pro initio, a quo arcus AS computentur, ponatur arcus $AS = s$, ac per S agatur recta CSM aequalis functioni cuicunque arcus AS; sicque puncta M posita erunt in quadam curva CMD hoc modo describenda, cujus tangentes in singulis punctis M determinari oporteat. Manifestum autem est hujusmodi curvas CMD fore transcendentes, cum earum constructio a rectificatione circuli pendeat. Atque ex hoc genere nonnullae lineae curvae a geometris diligentius sunt exploratae et propriis nominibus distinctae, quas hic evolvi conveniet.

16. Primum ergo ponamus rectam CM perpetuo ipsi arcui AS proportionalem capi, sicque orietur curva CMD a primo inventore spiralis Archimedea appellata. Haec enim curva, postquam ex C exierit, spiris continuo divergentibus in infinitum gyratur. Deinde arcubus AS sumtis negativis, haec constructio praebebit alterum curvae ramum CN priori CM similem et aequalem, ita ut recta CD ad AC normaliter constituta hujus curvae futura sit diameter. Cum igitur positis

$$AC = a, \; AS = s \text{ et } CM = y, \text{ sit } y = \frac{bs}{a}.$$

Si tota peripheria hujus circuli ponatur $= c$, sumtis arcubus s, $c + s$, $2c + s$, $3c + s$, etc., rectae CM respondentes eandem positionem tenebunt, atque ideo recta CM producta spiralem in infinitis punctis secabit, seu longitudo CM infinitos habebit valores, qui erunt

$$\frac{bs}{a}, \; \frac{b(c+s)}{a}, \; \frac{b(2c+s)}{a}, \; \frac{b(3c+s)}{a}, \text{ etc.},$$

ideoque in progressione arithmetica, cujus differentia est $= \frac{bc}{a}$ procedunt, quae est proprietas palmaria hujus spiralis Archimedeae.

17. Ad tangentem hujus curvae inveniendam consideretur radius proximus Cm, ducaturque arculus $M\mu$. Jam ob $Ss = ds$, erit

$$M\mu = \frac{yds}{a} = \frac{bsds}{aa} \text{ et } m\mu = dy = \frac{bds}{a},$$

ex quo fiet

$$m\mu : M\mu = 1 : \frac{s}{a}.$$

Quare si ad radium SC normalis jungatur $CV = \text{arc}\, AS = s$, erit $CS : CV = a : s = m\mu : M\mu$, ideoque angulus VSC aequalis erit angulo $Mm\mu = CMT$. Hinc si rectae SV per M parallela ducatur MT, haec tanget spiralem Archimedeam in puncto M. Facilius autem normalis ad curvam MO definitur: Si enim recta CO sit ad CM normalis, erit

$$M\mu : m\mu = MC : CO, \text{ hoc est ob } MC = \frac{bs}{a}, \text{ erit } s : a = \frac{bs}{a} : CO, \text{ unde fit } CO = b.$$

Quare si radio MC perpetuo normaliter jungatur recta $CO = b$, tum recta MO erit in curvam normalis. Ceterum cum sit $\operatorname{tang} CMT = \frac{s}{a}$, perspicuum est angulum CMT, quem radius CM cum curva facit, continuo crescere: in ipso enim puncto C, pro quo fit $AS = 0$, hic angulus evanescit, ideoque ipsa recta CA ibi spiralem tanget. In puncto D, ubi fit $s = \frac{1}{4}c$ et $\frac{s}{a} = 1{,}5707963$, angulus CDM fit $= 57^\circ\, 31'\, 6''\, 6'''$. Deinceps hi anguli continuo fiunt majores, atque in spiris infinitesimis cum rectis confunduntur.

18. Exhiberi quoque potest pro hac curva aequatio ad perpendiculum CQ ex C in tangentem MT demissum. Si enim ponatur $CQ = p$ et $MQ = q$, ut sit $pp + qq = yy$, quia est

$$\frac{p}{q} = \frac{M\mu}{m\mu} = \frac{s}{a}, \text{ ob } \frac{s}{a} = \frac{y}{b}, \text{ erit } \frac{p}{q} = \frac{y}{b}, \text{ seu } bp = qy \text{ vel } y = \frac{bp}{\sqrt{(yy - pp)}},$$

unde fit $$y^4 = (bb + yy)\,pp \text{ atque } p = \frac{yy}{\sqrt{(bb + yy)}} \text{ et } q = \frac{by}{\sqrt{(bb + yy)}}.$$

Quin etiam aequatio transcendens inter coordinatas orthogonales $CP = x$ et $PM = z$ dari poterit. Ponatur enim angulus

$$ACS = \frac{s}{a} = \varphi, \text{ erit } y = b\varphi \text{ et } \frac{x}{z} = \operatorname{tang}\varphi, \text{ itemque } \frac{x}{y} = \sin\varphi \text{ et } \frac{z}{y} = \cos\varphi,$$

unde fit $$\frac{ydx - xdy}{yy} = d\varphi\cos\varphi = \frac{zd\varphi}{y}.$$

At est $$d\varphi = \frac{dy}{b}, \text{ ergo } ydx - xdy = \frac{yzdy}{b}.$$

Jam vero est

$$yy = xx + zz, \text{ hincque } ydy = xdx + zdz, \; dy = \frac{xdx + zdz}{\sqrt{(xx + zz)}},$$

atque $$ydx - xdy = \frac{zzdx - xzdz}{\sqrt{(xx + zz)}} = \frac{z(xdx + zdz)}{b}.$$

Quamobrem inter coordinatas x et z haec eruitur aequatio differentialis $\frac{zdx - xdz}{\sqrt{(xx + zz)}} = \frac{xdx + zdz}{b}$, quae naturam spiralis Archimedeae exprimit.

19. Quemadmodum ante applicatae CM arcui AS directe proportionales sunt positae, ita nunc easdem arcubus reciproce proportionales statuamus. Sit igitur (Fig. 27) arcus circuli $CA = a$, * arcus $AS = s$ et curvae quaesitae applicata $CM = y$, erit pro hac curva $y = \frac{ab}{s}$, seu $CM \cdot AS = ab$; ob cujus aequationis similitudinem cum hyperbola ad asymtotos relata, haec curva a Cel. Joh. Bernoullio spiralis hyperbolica est appellata. Cum igitur posito $s = 0$ fiat $y = \infty$, evidens est radium CA productum cum curva in infinito convenire. Dehinc crescentibus arcubus s, applicatae $CM = y$ continuo decrescunt, neque tamen penitus evanescent, nisi fiat $s = \infty$, ex quo perspicitur hanc curvam infinitis gyris circa centrum C serpere, qui perpetuo fiant minores, donec tandem post infinitos circumitus in ipsum centrum incidant. Porro etiam sumtis arcubus negativis, uti casu praecedente intelligitur, radium CB similiter fore asymtoton, rectamque ex C ad AB normaliter erectam fore hujus curvae diametrum.

20. Jam ad tangentes hujus curvae inveniendas ducatur applicata proxima $Cm = y + dy$, erit $M\mu = -dy$; et ob $Ss = ds$ fiet $m\mu = \frac{yds}{a}$, ideoque erit $M\mu : \mu m = -dy : \frac{yds}{a}$. Cum igitur sit $y = \frac{ab}{s}$, erit $dy = \frac{-abds}{ss}$, ideoque $M\mu : \mu m = \frac{ab}{ss} : \frac{b}{s} = a : s$. Ducatur ad radium CM normalis CT tangenti occurrens in T, eritque ob triangula similia $M\mu m$ et MCT, $MC : CT = a : s$. Quare per S ducatur tangenti parallela SV, erit $CS : CV = a : s$, unde ob $CS = a$, erit $CV = s = AS$. Ac propterea vicissim si radio CS jungatur normalis $CV =$ arcui AS, rectaeque SN parallela

agatur MT, erit haec tangens curvae in puncto M. Vel facilius, cum sit

$$CM = \frac{ab}{s}, \quad \text{erit} \quad CM : CT = a : s = \frac{ab}{s} : b.$$

Hincque fit $CT = b$. Ergo perpetuo radio MC normaliter jungatur $CT = b$, eritque MT tangens curvae. Anguli itaque CMT, quem radius CM cum curva facit, tangens erit $= \frac{s}{a}$. Hic ergo angulus continuo fit major, et postquam curva circa C infinitas spiras absolverit, tandem abibit in rectum, ultimaeque spirae fient circulares.

21. Si hujus curvae aequatio ad perpendiculum CQ ex C in tangentem demissum desideretur, vocetur $CQ = p$ et $MQ = q$, ut sit $pp + qq = yy$. Erit ergo $\frac{p}{q} = \text{tang}\, CMT = \frac{s}{a}$; sed quia est $y = \frac{ab}{s}$, erit $\frac{s}{a} = \frac{b}{y}$, ideoque habetur $\frac{p}{q} = \frac{b}{y}$ et $py = bq$, seu $ppyy = bbyy - bbpp$, sicque erit $p = \frac{by}{\sqrt{(bb + yy)}}$ et $y = \frac{bp}{\sqrt{(bb - pp)}}$. Patet ergo perpendiculum p perpetuo minus esse recta constanti b; factoque $y = \infty$, quo casu punctum M per E in infinitum removetur, fore $p = b$. Non itaque haec curva in infinito cum asymtota CF ita convenit, ut ipsa recta CF ejus fiat tangens; proprie ergo non tam ipsa recta CF, sed alia recta huic ad intervallum $= b$ parallela erit istius curvae asymtota. Sit JK ista recta intervallo $= b$ ab AB ducta, atque curva, secus ac figura indicat, ad hanc lineam continuo propius accedet, atque in infinito ab ea tangetur, neque etiam usquam habebit punctum flexus contrarii.

22. Ex hoc casu liquet, nonnunquam summa circumspectione opus esse, si ex sola curvarum genesi earum asymtotas definire velimus. Quod quo clarius perspiciatur, lineam AS fingamus rectam ad CF normalem, continuoque rectam CM ita accipi, ut rectangulum $CM \cdot AS$ sit constans, ex quo sequi videtur si sumatur $AS = 0$, quia fit CM infinita, hanc in ipsam rectam CF incidere, curvaeque fore asymtotam. Rem autem secus se habere ex eo statim liquet, quod distantiae PM continuo crescant, decrescentibus AS. Sit enim $CP = x$, $PM = z$ et $AC = a$, erit $AS = \frac{az}{x}$ et $CM = \sqrt{(xx + zz)}$, unde erit $z\sqrt{(xx + zz)} = bx$ atque $xx = \frac{z^4}{bb - zz}$. Hinc ergo perspicuum est non posito $z = 0$, sed facto $z = b$ fieri $x = \infty$, etiamsi hoc casu intervallum

$$AS = \frac{az}{x} = \frac{a\sqrt{(bb - zz)}}{z} \text{ fiat } = 0;$$

ideoque rectam JK ipsi CF parallelam et ab ea intervallo $= b$ distantem fore veram asymtotam.

23. Cum ista curva algebraica confundetur igitur nostra spiralis hyperbolica in infinito circa asymtotam KJ, quia arcus AS minimus in rectam abit. Sin autem pro hac curva aequationem inter coordinatas $CP = x$ et $PM = z$ invenire velimus, ponamus angulum

$$ACS = \frac{s}{a} = \varphi, \quad \text{erit} \quad CM = y = \frac{b}{\varphi} \quad \text{et} \quad \varphi = \frac{b}{y} \quad \text{ideoque} \quad d\varphi = -\frac{bdy}{yy}.$$

Erit vero $z = y \sin \varphi$ et $x = y \cos \varphi$, unde $\frac{ydz - zdy}{yy} = d\varphi \cos \varphi = \frac{xd\varphi}{y} = -\frac{bxdy}{y^3}$. Hinc ergo habemus hanc aequationem $yydz - zydy + bxdy = 0$. Cum vero sit

$$yy = xx + zz,\quad ydy = xdx + zdz \text{ et } dy = \frac{xdx + zdz}{\sqrt{(xx + zz)}},$$

erit
$$xxdz - xzdx + \frac{bx(xdx + zdz)}{\sqrt{(xx + zz)}} = 0,$$

quae per x divisa dat $zdx - xdz = \frac{b(xdx + zdz)}{\sqrt{(xx + zz)}}$, aequationem spiralis hyperbolicae naturam explicantem.

24. Consideremus nunc spiralem parabolicam, (Fig. 28) in qua sit perpetuo applicata CM radici * quadratae ex arcu AS proportionalis. Posito igitur radio circuli $CA = a$, et arcu quocunque $AS = s$, sit $CM = y = \sqrt{2bs}$, et $m\mu = dy = \frac{bds}{\sqrt{2bs}} = \frac{bds}{y}$. Si ergo centro C describatur arculus $M\mu$, erit $M\mu = \frac{yds}{a}$ et $M\mu : m\mu = \frac{y}{a} : \frac{b}{y} = yy : ab = 2s : a$; unde erit tang $Mm\mu$ = tang $CMT = \frac{2s}{a}$, unde positio tangentis MT facile definitur. Sin autem ducatur ad spiralem normalis MN, atque radio CM jungatur normalis CN, erit $M\mu : m\mu = CM : CN$, hoc est $yy : ab = y : \frac{ab}{y}$, erit ergo

$$CN = \frac{ab}{y} \quad \text{seu} \quad CM \,.\, CN = ab.$$

Crescente ergo arcu $AS = s$, angulus CMT continuo fit major, donec tandem post infinitas spiras fiat rectus. Ceterum manifestum est hanc curvam circa C duas habere partes CM et CL similes et alternatim positas.

25. Quamvis autem haec curva spiralis parabolicae nomen mereri videatur, tamen a Jac. Bernoullio hoc nomen aliae curvae est tributum, quae oritur, si axis parabolae juxta peripheriam circuli incurvetur, atque applicatae ad axem interea normales manere concipiantur. Qui modus generationis quo latius pateat, fingamus (Fig. 29, 30) curvae datae am axem as peripheriae circuli * AS circumplicari ita, ut in curva hoc modo genita AM si capiatur arcus AS aequalis abscissae as, recta SM circulo normaliter insistens futura sit aequalis applicatae sm. Quod si ergo in curva proposita am ponatur abscissa $as = x$ et applicata $sm = z$, in curva autem descripta sit primo radius circuli $CA = a$, tum vero arcus $AS = s$ et recta $CM = y$; facto $AS = s = x$, erit

$$SM = sm = z, \text{ ideoque } CM = y = a + z.$$

Sicque ex aequatione inter x et z data dabitur aequatio pro curva AM inter $AS = s$ et $CM = y$. Patet autem si curva data am secundum axem as in infinitum excurrat, curvam genitam AM infinitis spiris circa centrum C circumvolvi, sicque ad spiralium genus pertinere.

26. Ad tangentem hujus curvae MT inveniendam consideretur radius proximus Cm, erit

$$m\mu = dy = dz \quad \text{et} \quad M\mu = \frac{yds}{a} = \frac{(a+z)dx}{a}.$$

Hinc si in S ad radium CS normalis ducatur ST tangenti in T occurrens, ob triangula $mM\mu$ et MTS similia erit

$$m\mu : M\mu = MS : ST, \text{ seu } dz : \frac{(a+z)dx}{a} = z : \frac{(a+z)zdx}{adz}, \text{ ita ut sit } ST = \frac{(a+z)zdx}{adz}.$$

In curva autem data am est subtangens $st = \frac{zdx}{dz}$, unde erit $ST = \frac{a+z}{a} \cdot st$. Producatur ergo applicata ms in c, ut sit $cs = CS = a$, et ex c per t ducatur recta ct rectae mu, quae per m axi *as* parallela sit acta, occurrens in *u*. Quoniam igitur est $cs = a$ et $cm = a + z$, erit $mu = \frac{a+z}{a} \cdot st$. Consequenter si recta ST aequalis statuatur isti lineae mu, recta MT tanget spiralem in puncto M.

27. Aliae spiralium tam parabolicarum quam hyperbolicarum species prodibunt, si recta CM indefinite cuipiam potestati arcus AS proportionalis statuatur. Si igitur posito radio circuli $AC = a$ * (Fig. 26) vocetur arcus $AS = s$ et recta $CM = y$, formetur ista aequatio $y = Cs^n$. Hinc igitur erit $m\mu = dy = nCs^{n-1}ds$ et $M\mu = \frac{yds}{a} = \frac{Cs^n ds}{a}$, unde fit $m\mu : M\mu = na : s$, eritque ergo

$$\operatorname{tang} Mm\mu = \operatorname{tang} CMT = \frac{s}{na}.$$

Quare si tangenti MT per S parallela ducatur SV, quae rectae CV ad radium CS perpendiculariter ductae occurrat in V, erit $CV = a \operatorname{tang} CSV = \frac{s}{n}$. Unde si constituatur $CV = \frac{s}{n} = \frac{1}{n} AS$, hypotenusa SV erit tangenti MT parallela: sicque facillime in quovis harum spiralium puncto M positio tangentis definitur, ex qua porro rectas ad curvam vel normales, vel ad datum angulum inclinatas ducere in promtu est.

28. Hae autem curvae ad genus parabolicum pertinebunt, si exponens n fuerit numerus affirmativus, quibus casibus curvae initium in ipso centro C erit. Posito enim $s = 0$ fiet quoque $y = 0$, et cum anguli CMT tangens $\frac{s}{na}$ posito $s = 0$ evanescat, recta CA simul tangens erit curvae in puncto C. Dehinc curva continuo magis a centro C discedet, spirisque innumeris in infinitum extendetur. Sin autem n fuerit numerus negativus, posito $s = 0$, recta $CM = y$ fit infinita; unde crescente s continuo decrescunt et post infinitas spiras in centro C evanescunt. Neque vero, ut jam supra vidimus, recta CA, etsi in infinitum continuata, ad curvam pertingit, ideo erit curvae asymtota. Sed ad veram asymtotam inveniendam quantitatem perpendiculi CQ, quod ex C in tangentem curvae demittitur, definiri oportet; hujus enim quantitas, si ponatur $s = 0$, indicabit distantiam asymtotae * verae KJ a recta CA (Fig. 27). Hanc autem asymtotam rectae CA esse parallelam exinde intelligitur, quod angulus, quem radius CM cum curva facit, evanescat posito $s = 0$.

29. Cum igitur anguli CMQ tangens inventa sit $= \frac{s}{na}$, erit ejus sinus $= \frac{s}{\sqrt{(nnaa + ss)}}$, ac propterea perpendiculum $CQ = \frac{sy}{\sqrt{(nnaa+ss)}} = \frac{Cs^{n+1}}{\sqrt{(nnaa+ss)}}$. Sit jam n numerus negativus, puta $= -m$, erit $CQ = \frac{Cs^{1-m}}{\sqrt{(mmaa+ss)}}$, ideoque distantia asymtotae KJ ab radio CA posito $s = 0$ erit $= \frac{Cs^{1-m}}{ma}$, unde perspicitur, si exponens m fuerit unitate minor, tum asymtotam KJ cum ipso radio CA producto convenire, quod ergo evenit in his spiralibus hyperbolicis $y = \frac{C}{s^m}$ si $m < 1$. Verum si $m = 1$, qui est casus spiralis hyperbolicae supra tractatae, erit intervallum inter asymtotam KJ et radium $CA = \frac{C}{a}$, uti jam supra invenimus. Sin autem exponens m fuerit unitate major, tum distantia asymtotae KJ erit infinita, neque adeo radius curvae ME in infinitum excurrens asymtotam habebit, sed ad genus ramorum parabolicorum pertinebit.

30. Inter curvas spirales, quas hactenus consideravimus, ultimum locum occupet spiralis logarithmica seu logistica, quae hac definitur proprietate, ut arcus circuli AS sit logarithmo rectae CM proportionalis. Si igitur posito radio circuli $AC = a$, vocemus arcum $AS = s$, et rectam

$CM = y$, aequatio inter s et y pro hac curva erit $s = bl\cdot\frac{y}{a}$; atque hinc si fiat $y = a$, erit $s = 0$, seu curva per ipsum punctum A, unde arcus AS computantur, transibit. Quodsi ergo signum l denotet logarithmos hyperbolicos, atque e numerum, cujus logarithmus hyperbolicus $= 1$, erit $y = ae^{s:b}$. Crescentibus ergo s in ratione arithmetica, applicatae y in ratione geometrica augebuntur, sicque curva per J infinitis spiris a circulo recedet. Sin autem arcus s negativi capiantur versus E, distantiae y continuo decrescent, atque si $s = -\infty$, demum evanescent, unde haec curva quoque per infinitas spiras tandem in centrum C incidet.

31. Quaelibet ergo recta CM, e centro C educta, logarithmicam spiralem in infinitis punctis secabit. Posita enim tota circuli peripheria $= c$, recta CM in eandem positionem revertetur, si arcui AS sequentes valores tribuantur: s, $c + s$, $2c + s$, $3c + s$, $4c + s$, etc., itemque hi negativi $-c + s$, $-2c + s$, $-3c + s$, $-4c + s$, etc. Valores ergo rectae $CM = y$ per idem punctum M ductae erunt numero infiniti, scilicet

$$ae^{s:b},\quad ae^{(c+s):b},\quad ae^{(2c+s):b},\quad ae^{(3c+s):b},\quad ae^{(4c+s):b},\quad \text{etc.}$$

$$\text{item}\quad ae^{-(c-s):b},\quad ae^{-(2c-s):b},\quad ae^{-(3c-s):b},\quad ae^{-(4c-s):b},\quad \text{etc.}$$

Hi itaque valores progressionem geometricam constituunt, cujus denominator est $= e^{c:b}$, iique tam ascendendo quam descendendo in infinitum multiplicantur. Hanc curvam, quae plurimis elegantissimis proprietatibus abundat, primus investigavit Leibnizius, ac post eum Jacobus Bernoullius tantas in ea detexit praerogativas, ut eam ad suum symbolum adhibuerit.

32. Praecipua autem hujus curvae proprietas in tangentium lege est sita, quippe ex qua reliquae omnes facile consequuntur. Ad positionem ergo tangentis MQ inveniendam, concipiamus rectam $Cm = y + dy$ ipsi CM proximam, ductoque centro C arculo $M\mu$ erit $M\mu = \frac{yds}{a}$ et $m\mu = dy$. Cum autem sit $s = bl.\frac{y}{a}$ erit $ds = \frac{bdy}{y}$, ideoque $M\mu = \frac{bdy}{a}$, ex quo anguli $Mm\mu$ seu ipsius QMC tangens erit $= \frac{M\mu}{m\mu} = \frac{b}{a}$. Qui angulus cum sit constans, perspicuum est hanc curvam omnes radios CM sub eodem angulo secare. Istius igitur anguli CMQ erit sinus $= \frac{b}{\sqrt{(aa + bb)}}$ et cosinus $= \frac{a}{\sqrt{(aa + bb)}}$; unde si ex C in tangentem CQ demittatur perpendiculum CQ, erit $CQ = \frac{by}{\sqrt{(aa + bb)}}$ et $MQ = \frac{ay}{\sqrt{(aa + bb)}}$. Quodsi ergo fuerit $a = b$, angulus CMQ fiet semirectus, quo casu haec spiralis logarithmica semirectangula vocari solet.

33. Quia angulus $Mm\mu$ est constantis quantitatis, triangulum $Mm\mu$ erit specie datum; atque ob $m\mu = dy$ et $M\mu = \frac{bdy}{a}$, fiet hypotenusa $Mm = \frac{dy}{a}\sqrt{(aa + bb)}$. Cum igitur incrementum arcus spiralis $M\mu$ ad incrementum radii $m\mu$ constantem teneat rationem, atque facto $y = 0$ ipse arcus evanescat, necesse est ut tota spiralis e centro C computatae longitudo eandem teneat rationem ad totum radium $CM = y$. Erit ergo spiralis longitudo $CKAM = \frac{y}{a}\sqrt{(aa + bb)}$, quod eo magis est memorabile, quod haec curva infinitis spiris circa centrum C circumplicetur, atque adeo ista spirarum multitudine infinita non obstante longitudo spiralis finitam habet quantitatem, quae ex longitudine

radii CM facillime definiri atque linea recta finita ipsi aequalis exhiberi potest. Scilicet si radio MC normaliter jungatur recta, atque tangens MQ ad ejus occursum usque continuetur, tum ea aequalis erit longitudini spiralis $CKAM$.

34. Est igitur spiralis logarithmica curva rectificabilis, quod eo magis est mirandum, quod inter spirales has ipse circulus tanquam species continetur, qui tamen rectificationem non admittit. Si enim angulus CMQ, quem radius CM cum curva constanter facit, sit rectus, quod evenit si $\frac{b}{a}$ fiat infinitum, ob $ds = \frac{bdy}{y}$, fiet $dy = 0$, atque adeo radii CM ejusdem perpetuo erunt magnitudinis, quae est proprietas circuli. Ad hoc ergo paradoxon explicandum ponamus in genere arcum spiralis $AM = v$, erit $MS = y - a$, et cum sit $AM : MS = Mm : m\mu$, erit $v = \frac{(y-a)\sqrt{(aa+bb)}}{a}$. Unde casu $b = \infty$, quo fit $y = a$, erit $v = 0 \,.\, \infty$, quae expressio finitum valorem exhibet, ad quem inveniendum in subsidium ducatur aequatio $y = ae^{s:b}$, quae ob $b = \infty$ dat $y = a\left(1 + \frac{s}{b}\right)$ et $y - a = \frac{as}{b}$. Est vero eodem casu $\sqrt{(aa+bb)} = b$, unde fit $v = s$ et $AM = AS$, ex quo perspicuum est hoc solo casu, quo $b = \infty$, rectificationem curvae cessare atque ad mensuram arcuum circularium redire.

35. Superest ut hujus quoque curvae memorabilis aequationem inter coordinatas orthogonales exhibeamus. Hunc in finem sumatur radius CA pro axe, ac vocetur abscissa $CP = x$ et applicata $PM = z$. Ponatur angulus $ACM = \varphi$, erit $z = y \sin\varphi$ et $x = y\cos\varphi$, hincque

$$\frac{ydz - zdy}{yy} = d\varphi\cos\varphi = \frac{xd\varphi}{y}, \text{ seu } ydz - zdy = xyd\varphi.$$

Est vero
$$\varphi = \frac{s}{a} \text{ et } d\varphi = \frac{ds}{a}.$$

Quare cum sit
$$ds = \frac{bdy}{y}, \text{ erit } d\varphi = \frac{bdy}{ay} \text{ et } xyd\varphi = \frac{bxdy}{a},$$

ita ut habeatur haec aequatio $ydz - zdy = \frac{bxdy}{a}$. Est autem $y = \sqrt{(x^2 + z^2)}$ et $dy = \frac{xdx + zdz}{\sqrt{(xx+zz)}}$, quibus valoribus substitutis emerget haec aequatio:

$$a(xdz - zdx) = b(xdx + zdz) \text{ seu } dx : dz = ax - bz : az + bx,$$

unde patet si $b = \infty$, fore $xdx + zdz = 0$, curvamque propterea abire in circulum, cujus centrum sit in C.

36. Curvarum, quae ex circulo originem ducunt, unum adhuc exemplum afferamus, quadratricem * scilicet Dinostratis. Haec ita ex circulo construi solet, ut (Fig. 32) sumto arcu quocunque AS, in radio BC ad CA normali, capi jubeatur portio CP, quae sit ad radium, ut arcus AS ad quadrantem peripheriae ASB. Tum enim ducta PM ad BC normali, donec radium CS secet in M, erit M punctum in quadratrice Dinostratis. Vocetur circuli radius $AC = BC = a$ et angulus $ACS = \varphi$; posito toto quadrante ASB seu potius angulo recto $= \varrho$, fiet $CP = \frac{a\varphi}{\varrho}$; et cum angulus BCS sit $= \varrho - \varphi$, erit
$$CM = \frac{a\varphi}{\varrho\sin\varphi} \text{ et } PM = \frac{a\varphi\cos\varphi}{\varrho\sin\varphi}.$$

Si ergo coordinatae orthogonales ponantur $CP = x$, $PM = z$, erit $x = \frac{a\varphi}{\rho}$ et $z = \frac{a\varphi\cos\varphi}{\rho\sin\varphi}$; unde constat si $\varphi = 0$, fore $x = 0$ et ob $\sin\varphi = \varphi$ et $\cos\varphi = 1$, esse $z = \frac{a}{\rho} = CD$. Punctum ergo D, ubi curva radium AC secat, ita se habet ut sit $ASB : AC = AC : CD$. Si itaque hoc punctum D assignari posset, inde haberetur peripheria circuli, adeoque et ejus quadratura, hancque ob rem haec curva quadratrix est appellata.

37. Quia sumto angulo φ negativo, valor ipsius x fit negativus, ipsius z vero idem manet, qui ante, perspicuum est radium AC fore hujus curvae diametrum orthogonalem. Quemadmodum autem haec curva ex D per M et B ulterius procedat, ex sequenti tabella perspicere licet:

si	$\varphi = 0$	erit	$x = 0$	et	$z = \frac{a}{\rho}$
	$\varphi = \frac{1}{2}\rho$		$x = \frac{1}{2}a$		$z = \frac{1}{2}a$
	$\varphi = \rho$		$x = a$		$z = 0$
	$\varphi = \frac{3}{2}\rho$		$x = \frac{3}{2}a$		$z = -\frac{3}{2}a$
	$\varphi = 2\rho$		$x = 2a$		$z = \infty$
	$\varphi = \frac{5}{2}\rho$		$x = \frac{5}{2}a$		$z = \frac{5}{2}a$
	$\varphi = 3\rho$		$x = 3a$		$z = 0$
	$\varphi = \frac{7}{2}\rho$		$x = \frac{7}{2}a$		$z = -\frac{7}{2}a$
	$\varphi = 4\rho$		$x = 4a$		$z = \infty$
		etc.			etc.

Habet ergo haec curva infinitas asymtotas Ff, a se invicem intervallo diametro aequali distantes radioque AC parallelas.

38. Tangens hujus curvae MT tam ex relatione inter x et z, quam ex aequatione inter $AS = s$ et $CM = y$ definiri poterit. Posteriori modo cum sit $s = a\varphi$ et $y = \frac{a\varphi}{\rho\sin\varphi}$, erit

$$Ss = ds = a\,d\varphi \quad \text{et} \quad m\mu = dy = \frac{a\,d\varphi}{\rho\sin\varphi} - \frac{a\varphi\,d\varphi\cos\varphi}{\rho\sin^2\varphi},$$

unde
$$M\mu = \frac{y\,ds}{a} = y\,d\varphi = \frac{a\varphi\,d\varphi}{\rho\sin\varphi}.$$

Hinc ergo obtinetur $\quad \operatorname{tang} CMT = \frac{M\mu}{m\mu} = \varphi : \left(1 - \frac{\varphi\cos\varphi}{\sin\varphi}\right) = \frac{\varphi\sin\varphi}{\sin\varphi - \varphi\cos\varphi}.$

In puncto itaque D, ubi est $\varphi = 0$, $\sin\varphi = \varphi - \frac{1}{6}\varphi^3$ et $\cos\varphi = 1 - \frac{1}{2}\varphi^2$, erit tangens anguli, quem recta CD cum curva facit

$$= \frac{\varphi^2}{\varphi - \frac{1}{6}\varphi^3 - \varphi + \frac{1}{2}\varphi^3} = \frac{3}{\varphi} = \infty;$$

unde iste angulus erit rectus et tangens in D perpendicularis ad radium AC. Ceterum quoties $\varphi = 2\rho$, vel 4ρ, vel 6ρ, vel etc. angulus CMT evanescit; casibus vero $\varphi = \rho$, $\varphi = 3\rho$, $\varphi = 5\rho$, etc., ob $\cos\varphi = 0$ erit $\operatorname{tang} CMT = \varphi$. Iste denique angulus praeter punctum D fiet rectus, si fuerit $\varphi = \operatorname{tang}\varphi$, quod evenit in quadrantibus tertio, quinto, septimo, nono, etc.

*

39. Cum inventa sit $\operatorname{tang} CMT = \frac{\varphi \sin\varphi}{\sin\varphi - \varphi\cos\varphi} = \frac{\varphi \operatorname{tang}\varphi}{\operatorname{tang}\varphi - \varphi}$, angulus autem ACM sit $= \varphi$, erit

$$\operatorname{tang} CTM = \frac{\sin^2\varphi}{\varphi - \sin\varphi\cos\varphi},$$

quod idem ex aequatione coordinatarum invenitur. Demittatur enim ex M in AC perpendiculum MQ; quia posuimus $CQ = z = \frac{a\varphi}{\rho \operatorname{tang}\varphi}$ et $MQ = x = \frac{a\varphi}{\rho}$, erit subtangens $QT = \frac{-xdz}{dx}$. At est

$$dx = \frac{ad\varphi}{\rho} \quad \text{et} \quad dz = \frac{ad\varphi}{\rho \operatorname{tang}\varphi} - \frac{a\varphi d\varphi}{\rho \sin^2\varphi},$$

unde fit $\quad QT = \frac{-a\varphi}{\rho \operatorname{tang}\varphi} + \frac{a\varphi\varphi}{\rho\sin^2\varphi}$ et $\frac{QM}{QT} = \operatorname{tang} CTM = \frac{\sin^2\varphi}{\varphi - \sin\varphi\cos\varphi}$, ut ante.

Cum autem sit $\quad \frac{a\varphi}{\rho\operatorname{tang}\varphi} = z$, erit $QT = -z + \frac{a\varphi\varphi}{\rho\sin^2\varphi}$, seu $CT = \frac{a\varphi\varphi}{\rho\sin^2\varphi}$.

At posito $CM = y$, est $\varphi = \frac{\rho x}{a}$ et $\sin\varphi = \frac{x}{y}$; ex quo obtinetur $CT = \frac{\rho x^2 y^2}{ax^2} = \frac{\rho}{a} yy$. Cum ergo sit $CD = \frac{a}{\rho}$, erit ubique $CD : CM = CM : CT$, quae est proprietas non inelegans hujus curvae quadratricis. Promoto autem puncto M usque in B, quia ibi est $y = a$, erit $CT = \rho a =$ quadranti ASB.

40. Aequatio denique differentialis pro hac curva quadratrice inter coordinatas $CP = MQ = x$ et $PM = CQ = z$ exhiberi potest, in qua angulus φ amplius non insit. Cum enim sumto

$$CM = y = \sqrt{(xx + zz)}, \text{ sit } \sin\varphi = \frac{x}{y} \text{ et } \cos\varphi = \frac{z}{y}, \text{ erit } d\varphi\cos\varphi = \frac{zd\varphi}{y} = \frac{ydx - xdy}{yy}.$$

At est $d\varphi = \frac{\rho dx}{a}$, unde obtinetur $\rho yzdx = aydx - axdy$, seu $\rho y^2 zdx = ay^2 dx - axydy$. Quia vero $yy = xx + zz$ et $ydy = xdx + zdz$, erit $\rho xxzdx + \rho z^3 dx = azzdx - axzdz$, quae per z divisa abit in hanc $\rho(xx + zz)dx = a(zdx - xdz)$. Vel si intervallum $CD = \frac{a}{\rho}$ ponatur $= b$, erit $dx = \frac{b(zdx - xdz)}{xx + zz}$; positoque brevitatis gratia $z = px$, erit $dx = \frac{-bdp}{1 + pp}$. Unde vicissim per calculum integralem ipsae formulae superiores a quadratura circuli pendentes eruuntur.

41. Loco circuli, ex quo hactenus alias curvas formavimus, alias quascunque lineas curvas adhiberi licet, atque praecepta tradita sufficiunt ad tangentes linearum, inde utcunque constructarum inveniendas. Sit enim (Fig. 33) data quaecunque curva AL, cujus natura exprimatur aequatione inter rectam, ex puncto fixo C ad curvam ductam $CL = u$ et angulum $ACL = \varphi$. Ex hac porro construatur alia curva BM, sumendo distantiam $CM = y$ functioni cuicunque ipsius u aequalem. Ducatur recta ipsi CLM proxima Clm, centroque C fiant arculi $L\lambda$ et $M\mu$; ob ang. $MCm = d\varphi$, erit $L\lambda = ud\varphi$, $M\mu = yd\varphi$ et $l\lambda = du$, $m\mu = dy$. In L et M ducantur tangentes LV et MT rectae CV, quae ad LC sit normalis, occurrentes in V et T; erit $CV = \frac{uud\varphi}{du}$ et $CT = \frac{yyd\varphi}{dy}$. Hinc ergo erit

$$CV : CT = \frac{uu}{du} : \frac{yy}{dy} = \frac{dy}{yy} : \frac{du}{uu}, \text{ seu } CV : CT = d \cdot \frac{1}{CM} : d \cdot \frac{1}{CL}.$$

Sin autem normales ad utramque curvam producantur LK et MN, rectae CN, ad LC perpendiculari, occurrentes in K et N, erit $CK = \frac{du}{d\varphi}$ et $CN = \frac{dy}{d\varphi}$, ideoque $CK : CN = du : dy$. Cum igitur ratio $dy : du$ detur, ex positione normalis LK definietur positio normalis MN.

42. Superfluum esset exemplis hanc regulam per se facilem illustrare: quare ad alios generationis modos progrediamur, in quibus applicatae non ex puncto quopiam fixo egrediuntur, sed alio modo definiantur. Ubi cum infinita varietas locum habeat, ex ea ejusmodi casus eligamus, in quibus proprietates prae ceteris notatu dignae occurrunt. Ac primo quidem proposita sit (Fig. 34) curva quaecunque AL, ex qua ita formetur alia BM, ut rectae LM, quae curvae datae normaliter insistant, ubique ejusdem longitudinis capiantur. Hoc modo manifestum est, si linea AL fuerit recta, alteram quoque rectam illi parallelam esse futuram; ac si linea AL sit circulus, alteram BM pariter fore circulum ipsi concentricum. Generatim ergo cum lineae AL et BM ubique aequis intervallis a se invicem distent, parallelae inter se erunt censendae, quae est idea maxime adaequata parallelismi ad lineas curvas accomodati. *

43. Quia lineae ML et ml ad curvam AL ponuntur normales atque inter se aequales sunt, eaedem quoque in alteram curvam genitam BM erunt normales. Producantur enim hae duae lineae, donec concurrant in puncto O, et quia lineae OL et Ol sunt ad curvam normales, elementum Ll confundetur cum arculo circuli centro O descripti, eritque ergo $OL = Ol$; unde cum sit $LM = lm$, erit quoque $OM = Om$, quocirca et hae lineae OM et Om ad curvam genitam BM erunt normales, sicque et in hoc communis parallelismi natura locum habet, ut quae linea in alteram curvarum AL et BM sibi parallelarum sit normalis, eadem alteri perpendiculariter insistat. Hinc ergo porro sequitur tangentem curvae genitae MT parallelam fore tangenti curvae datae LV, ita ut si curvae datae tangentes ducere valeamus, in promtu sit curvarum hoc modo inde genitarum tangentes determinare.

44. Praeterea autem affinitas harum curvarum singularis est notanda, quae in hoc constat, ut longitudo curvae BM aequalis sit arcui curvae datae AL una cum arcu quodam circulari sic definiendo. Sit recta AB ad utramque curvam normalis, cui productae normalis ML occurrat in N. Ducatur $L\mu$ ipsi lm parallela, erit $m\mu = Ll$, ideoque $Mm = Ll + M\mu$. Jam centro N radio $EN = LM = AB$ describatur arcus circuli ES, atque ducatur Ns ipsi nl parallela, erit utique $M\mu = Ss$, ideoque $Mm = Ll + Ss$. Cum igitur sit Mm differentiale curvae BM, et Ll differentiale curvae AL, atque Ss differentiale arcus circularis ES, erit $d.BM = d.AL + d.ES$, ideoque et integralia aequalia esse oportet, unde fit $BM = AL + ES$. Differentia ergo inter arcus BM et AL aequalis est arcui circuli, cujus radius $= AB = LM$, respondenti angulo BNM, quem rectae in terminis curvarum normaliter ductae BN et MN inter se constituunt. Atque hinc duae lineae curvae exhiberi possunt, quarum differentia aequetur arcui circulari.

45. Sit (Fig. 35) curva data ALG, ex qua ita formetur altera curva BM, ut rectae LM, quae tangit curvam datam in L, certus tribuatur valor sive constans, sive functioni cuicunque a puncto L pendenti aequalis. Ponatur ergo arcus curvae datae $AL = s$; sitque longitudo tangentis $LM = y$. Ducatur secundum eandem legem ex puncto proximo l tangens $lm = y + dy$, et quia haec recta lm cum elemento curvae Ll in directum jacet, ob $Ll = ds$, erit linea $Lm = y + dy + ds$. Ex M in Lm demittatur perpendiculum $M\mu$, quod non differet ab arculo circuli centro L descripto, eritque propterea $L\mu = LM = y$, unde fit $m\mu = dy + ds$. Si jam innotesceret lineola $M\mu$, haberetur in triangulo $Mm\mu$ angulus $Mm\mu$, cui aequalis est angulus LMT, quem tangens curvae *

genitae MT cum recta LM constituit. Verum cum lineola $M\mu$ pendeat ab inclinatione mutua tangentium proximarum LM et lm, quam infra demum investigare constituimus, hunc casum in genere hic evolvere non licet.

46. Quando autem y ita determinatur per s, ut sit $dy + ds = 0$, erit $m\mu = 0$, unde quomodocunque se habeat valor lineolae $M\mu$, angulus $Mm\mu$ erit rectus, atque tangens MT ad rectam LM erit normalis, huncque ergo casum hic evolvere licet. Sit igitur $y = c - s$, eritque $dy + ds = 0$, et curva genita BM ita erit comparata, ut ejus tangens MT ubique sit ad rectam LM normalis. Quodsi ergo sumamus curvam $ALG = c$, erit arcus $GL = c - s$, ideoque $LM = LG$. Quamobrem
* genesis curvae BM ita describi poterit, ut (Fig. 36) curvae ALG circumplicetur filum, idque successive incipiendo ab G evolvatur. Filum enim hoc modo evolutum si tendatur, perpetuo curvam ALG tanget, et pars a curva jam extensa LM aequalis erit portioni curvae relictae LG. Unde si filum altero termino M fuerit stilo instructum, iste stilus describet curvam GMB, quae ex evolutione curvae GLA nata vocatur. De quo curvas describendi modo infra fusius explicabitur.

47. Si ergo curvae ALG hoc modo filum circumplicetur, idque in G stilo munitum evolvatur, describet curvam GMB, quae ex evolutione curvae GLA nata dicitur. Hujus igitur curvae hae sunt proprietates, ut primo recta LM, quae curvam datam in L tangit, sit normalis ad curvam genitam GMB: tum vero ut haec recta LM aequalis ubique sit arcui GL. Si porro filum longius capiatur, atque evolutio in puncto g incipiatur, perspicuum est curvam hoc modo genitam fore parallelam curvae GMB, recta enim LM producta simul in novam istam curvam erit normalis, et portio producta ubique aequalis erit arcui Gg; sicque hae duae curvae sibi erunt parallelae, prorsus ut ante (42) parallelismum descripsimus. Quamobrem vicissim curvae parallelae ex evolutione ejusdem lineae curvae BLG nascuntur.

48. Quemadmodum hic ex evolutione fili uni cuidam curvae circumplicati, nova curva est formata, ita facta quadam mutatione duae curvae pro arbitrio assumi possunt, ex quarum evolutione
* conjunctim nova producatur curva. Sint enim (Fig. 37) datae duae curvae ALa et BKb. Capiatur filum satis longum, cujus alter terminus in A alter in B firmetur; tum extendatur hoc filum ope stili in M immissi ita, ut filum ad utramque curvam maneat applicatum, quoad in L et K, ubi curvae a filo tanguntur, in directum extendatur. Hoc modo si stilus continuo promoveatur, ita ut filum perpetuo tensum teneatur, stilus describet curvam CMc, cujus natura cum a longitudine fili, tum a natura utriusque curvae ALa, BKb, tum a situ relativo harum duarum curvarum pendebit. Ac statim quidem perspicitur, si utraque curva ALa, BKb in punctum evanescat, hoc modo descriptum iri ellipsin, focos in utroque hoc puncto habentem, cujus axis transversus aequetur longitudini fili.

49. Ponamus totam fili longitudinem $ALMKB = a$, atque in praesente situ sit portio, curvae Aa applicata, $AL = s$, et portio alteri curvae Bb applicata $BK = r$. Tum sint portiones in directum extensae $LM = y$ et $KM = z$, erit $s + y + r + z = a$. Jam stilus in situm proximum m promoveatur, quo puncta contactus transferantur in l et k, erit $Al = s + ds$, $Bk = r + dr$, ideoque $Ll = ds$ et $Kk = -dr$. Porro $lm = y + dy$ et $km = z + dz$, atque

$$ds + dy + dr + dz = 0.$$

Ex M in lm et ex m in KM demittantur perpendicula Mp et mq, et fiet $Lm = y + dy + ds$ et $kM = z - dr$. Jam ob $Lp = LM$ et $kq = km$ fiet

$$mp = Lm - LM = dy + ds \text{ et } Mq = kM - km = - dr - dz, \text{ unde erit } mp = Mq.$$

Cum igitur triangula rectangula Mpm et mqM praeter communem hypotenusam Mm, habeant latera mp et Mq aequalia, erunt ipsa aequalia ac similia, ideoque $Mp = mq$ et ang. Mmp = ang. mMq.

50. Quodsi jam ducatur tangens TMV, erit ang. $Mmp = LMT$, et ang. $mMq = KMV$; hancque ob rem ang. $LMT = KMV$, ita ut tangens TMV utrinque aequaliter inclinetur ad directiones fili ML et MK. Cum igitur radii lucidi a superficie reflectente ita reflectantur, ut angulus incidentiae aequalis sit angulo reflexionis, manifestum est si curva CMc proprietate radios reflectendi gaudeat, atque LM fuerit radius incidens, fore MK radium reflexum. Ducatur ad curvam CMc in puncto M normalis MO, eritque ang. $LMO = KMO$. Quare si angulus LMK bisecetur recta MO, erit haec recta MO normalis in curvam CMc, atque si ad MO normalis ducatur TMV, haec curvam tanget in puncto M. Haec ergo proprietas, quae ex descriptione ellipsis per focos demonstrari solet, communis est omnibus curvis, quae hoc modo per duplicem evolutionem ex duabus curvis quibuscunque producuntur.

Caput IV.

De tangentibus curvarum, in certis locis inveniendis.

1. Etsi praecepta hactenus tradita latissime patent, atque tangentibus ad singula cujusque curvae puncta inveniendis sufficiunt, tamen dantur casus, quibus expedit regulis particularibus, ad eos casus accommodatis, utiquam regulas generales eo transferre. Hi autem casus potissimum occurrunt, quando alterutra binarum quantitatum variabilium vel evanescit, vel in infinitum excrescit. Si enim in his locis positio tangentis investiganda sit, non opus est, ut omnes aequationis termini considerentur, totaque aequatio differentietur, sed quia his casibus plures termini respectu reliquorum evanescunt, his praetermissis, operatio summopere contrahitur, et, quamvis aequatio sit maxime complicata, tamen facili negotio his casibus, quibus altera variabilium vel evanescit, vel in infinitum abit, positio tangentis definietur.

2. Cum igitur in hoc capite duo occurrunt casus evolvendi, prout altera variabilium vel evanescit, vel infinita ponitur, tractatio nostra erit bipartita. Primo ergo alteram variabilem nihilo aequalem assumamus, hocque casu, uti jam in *Introductione* abunde est ostensum, atque statim uberius explicabitur, tota aequatio, quantumvis fuerit composita, ad duos tantum terminos revocabitur; ita ut curva proposita in loco, quem consideramus, ubi scilicet $x = 0$, eandem habitura sit tangentis indolem, quam habet curva, cujus aequatio duobus tantum constat terminis. Cum igitur omnis aequatio inter binas variabiles x et y, si alterutra evanescens ponatur, ad duos terminos revocetur, in hanc abibit formam $y^m = Cx^n$, unde ad nostrum institutum sufficiet, positionem tangentis harum curvarum nosse, quando vel x vel y nihilo aequalis assumitur.

3. Perspicuum autem porro est in hac aequatione $y^m = Cx^n$ exponentes m et n non solum esse numeros integros, sed etiam primos inter se. Si enim essent fracti, per evectionem potestatis ad integros perducerentur, sin autem inter se essent compositi, seu communem divisorem haberent, hic per extractionem radicis tolleretur. His igitur casibus omissis, quemadmodum pro ceteris positio tangentis, quando vel x vel y nihilo aequalis ponitur, sit comparata, erit dispiciendum. Ac primo quidem, si uterque exponens m et n fuerit numerus affirmativus, manifestum est posito $x = 0$, fore quoque $y = 0$, et vicissim. Sin autem horum exponentium m et n alter fuerit affirmativus, alter negativus, tum posito $x = 0$, erit $y = \infty$, ac vicissim, si sit $y = 0$ erit $x = \infty$. Probe autem recordandum est, utrum aequatio $y^m = Cx^n$ ex aequatione proposita sit nata facto $x = 0$, an vero $y = 0$, quo eadem hypothesis in tangentis investigatione retineatur.

4. Ponamus igitur aequationem propositam quamcunque posito x evanescente coaluisse in hanc $y^m = Cx^n$, et utrumque exponentem m et n esse affirmativum, ita ut simul sit $y = 0$. Ad tangentem ergo hujus curvae inveniendam differentietur aequatio: habebitur

$$my^{m-1}\,dy = nCx^{n-1}\,dx, \text{ unde fit } \frac{dy}{dx} = \frac{nCx^{n-1}}{my^{m-1}} = \frac{nx^{n-1}y}{mx^n} = \frac{ny}{mx}.$$

At est $$y = C^{1:m}x^{n:m} \quad \text{ideoque erit} \quad \frac{dy}{dx} = \frac{n}{m}C^{\frac{1}{m}}x^{\frac{n-m}{m}}.$$

Exprimit autem $\frac{dy}{dx}$ tangentem anguli, quem tangens curvae facit cum axe, in quo abscissae x sumuntur. Posito ergo $x = 0$, quoniam fit quoque $y = 0$, tangens curvae per ipsum initium abscissarum transit, atque cum axe angulum constituit, cujus tangens erit

$$= \frac{n}{m}C^{\frac{1}{m}}x^{\frac{n-m}{m}} \quad \text{posito } x = 0.$$

Hic igitur angulus erit $= 0$ si $n > m$; rectus autem fiet si sit $n < m$; sin autem sit $n = m$, iste angulus erit obliquus, quippe cujus tangens fit finita $= C^{\frac{1}{m}} = C$ siquidem $m = 1$.

5. Quando ergo in aequatione $y^m = Cx^n$, ad quam posito x evanescente pervenitur, tam m quam n fuerit numerus affirmativus, atque ideo curva in ipso abscissarum principio axem secat, tres occurrunt casus considerandi, quorum primus est sit $n > m$ seu $m < n$. Hoc casu (Fig. 38) ipse axis AB curvam in puncto A tanget. Ramus igitur curvae ex A egrediens erit vel AM vel AN, vel Am vel An, vel etiam binos pluresve hujusmodi ramos conjunctim habebit, quod ex aequatione generali est decidendum. Lex continuitatis autem postulat, ut curva semper ad minimum duos hujusmodi arcus habeat, et si plures fuerint, eorum numerus perpetuo par sit necesse est. Quod cum naturam curvedinis sumus evoluturi, clarius patebit. Cum enim hic tantum positionem tangentis investigemus, quonam tractu curva ulterius procedat, hic non curamus, sed infra cautiones, quibus in hac investigatione utendum est, accuratius tradentur.

6. Secundus casus est, si fuerit $m > n$ atque tangens curvae (Fig. 39) in puncto A normalis erit ad axem AB. His igitur casibus recta DAT axem in A perpendiculariter trajiciens curvam ibidem tanget, unde rami curvae ex A ulterius progredientes erunt vel AM vel AN, vel Am vel An,

quod ex aequatione completa est dijudicandum. Tertius denique casus existit si $m = n$, quo casu aequatio $y^m = Cx^n$ abit in hanc $y = Cx$, naturam lineae rectae exprimens. Tangens igitur curvae, ex qua posito $x = 0$ haec aequatio $y = Cx$ est nata, (Fig. 40) ad axem AB erit inclinata angulo BAD, * cujus tangens est $= C$, sicque recta DAT curvam in puncto A tanget. Figura igitur curvedinis prope A erit vel AM vel AN, vel Am vel An, atque vel ex duobus, vel quatuor, vel sex etc. hujusmodi ramis consistet. De vero autem curvae tractu tam antecedentia quam consequentia versus hic nihil certi statuere licet, nisi reliquorum quoque aequationis terminorum hic neglectorum ratio habeatur. Interim tamen hinc ad quemcunque horum casuum aequatio curvae facto $x = 0$ perducatur, positio tangentis in hoc loco facillime definitur.

7. Diximus supra si in aequatione $y^m = Cx^n$ exponentes m et n communem habeant divisorem, hanc aequationem per extractionem radicis ad simpliciorem formam deprimi posse. Hoc autem ita intelligendum est, nisi extractio ob signum quantitatis C impediatur. Si enim communis divisor fuerit numerus par, et coëfficiens C sit quantitas negativa, extractio radicis deduceret ad imaginaria; ex quo intelligitur, abscissis x, si iis valor finitus tribuatur, nullam plane respondere applicatam. Sic si habeatur $y^2 = -x^2$ vel $y^4 = -aaxx$, vel $y^6 = -aax^4$ seu $y^6 = -a^4xx$ etc. singulis valoribus finitis ipsius x nullae applicatae respondent; interim tamen facto $x = 0$ manifestum est fore et $y = 0$. His igitur casibus aequatio pertinet ad unicum punctum in initio abscissarum positum, et curvae, ex quibus hujusmodi aequationes pro $x = 0$ proveniunt, nullos habebunt ramos per punctum A transeuntes, sed ibi habebunt punctum separatum, quod conjugatum vocari solet, cujus tangens concipi nequit. Quod idem indicat formula ante pro positione tangentis inventa, quae ob $C^{\frac{1}{m}}$, si C est quantitas negativa et m numerus par, imaginarium, assignari omnino nequit.

8. Sin autem in aequatione binomia $y^m = Cx^n$, ad quam posito $x = 0$ pervenitur, exponens n fuerit numerus negativus, tum valori $x = 0$ respondebit valor $y = \infty$, sicque (Fig. 41) applicata in * puncto A erit infinite magna. Tangens autem anguli, quem tangens in hoc loco cum curva constituit, erit $= \frac{n}{m} C^{\frac{1}{m}} x^{\frac{n-m}{m}}$, quae ob n numerum negativum, posito $x = 0$, semper fit infinita, isque angulus rectus. Ipsa ergo recta EAF, axi in A normalis, erit tangens curvae, ejusque idcirco asymtotos; ex quo curva ad minimum duos ejusmodi ramos, cujusmodi sunt MP, NQ, mp, nq, ex infinito redeuntes habebit. Sin autem, ut ante meminimus, uterque exponens m et n fuerit numerus par, et C quantitas negativa, tum aequatio casu quoque $x = 0$ erit imaginaria, nisi forte dicere velimus curvam in distantia infinita rectae AE vel AF habere punctum solitarium conjugatum.

9. Casus igitur evolvimus eos, quibus posito $x = 0$ applicata y vel quoque evanescit, vel in infinitum excrescit. Sin autem y posito $x = 0$ finitum obtineat valorem, puta $y = a$, tum iste casus ponendo $y = a + z$ ad priorem reducitur, quippe z evanescet posito $x = 0$. Cum autem haec substitutio, praesertim si aequatio proposita pluribus constet terminis, non parum molestiae pareret, mox modum trademus, cujus ope sine hac substitutione tangens definiri queat. Ceterum aequationes binomiales hactenus tractatae viam nobis aperiunt ad aequationes, quae pluribus constant terminis, progrediendi, tam quod in hoc genere sint simplicissimae, quam quod aequationes utcunque compositae

casu $x=0$ ad binomiales reducantur. Quemadmodum ergo haec reductio sit instituenda, hic clarius explicemus, atque ejusmodi regulas pro disponendis terminis aequationum trademus, quarum ope deinceps quoque natura curvedinis ramorumque inflexio facile definiri queat.

10. Ac primo quidem quaecunque aequatio proponatur inter x et y, si ponatur $x=0$, omnes quidem termini x continentes evanescerent, nisi y valorem induat infinitum, sed inter hos ipsos terminos evanescentes gradus distingui conveniet, qui inter se rationem infinitam tenent. Hujusmodi progressionem constituunt sequentes termini.

$$1,\ x,\ x^2,\ x^3,\ x^4,\ x^5,\ x^6,\ \text{etc.},$$

sicut enim casu $x=0$ prae 1 evanescit x, ita prae x evanescit xx, et x^3 prae xx, ita ut quisque terminus sit infinities minor praecedente infinitiesque major sequente. Similiter erunt comparatae sequentes series, quicunque valor alteri variabili y conveniat:

$$y,\ xy,\ x^2y,\ x^3y,\ x^4y,\ x^5y,\ \text{etc.},$$

$$y^2,\ xy^2,\ x^2y^2,\ x^3y^2,\ x^4y^2,\ x^5y^2,\ \text{etc.},$$

et generaliter

$$y^n,\ xy^n,\ x^2y^n,\ x^3y^n,\ x^4y^n,\ x^5y^n,\ \text{etc.}$$

11. Quaecunque ergo aequatio algebraica inter x et y habeatur, postquam ea tam ad rationalitatem fuerit perducta quam a fractionibus liberata, singuli ejus termini in istis seriebus continebuntur. Quo igitur ordo terminorum, secundum quem alii prae aliis evanescunt, facilius perspiciatur, rejectis coëfficientibus constantibus termini ita disponantur

	0,	1,	2,	3,	4,	5,	6,	
0.	1,	y,	y^2,	y^3,	y^4,	y^5,	y^6,	etc.,
1.	x,	xy,	xy^2,	xy^3,	xy^4,	xy^5,	xy^6,	etc.,
2.	x^2,	x^2y,	x^2y^2,	x^2y^3,	x^2y^4,	x^2y^5,	x^2y^6,	etc.,
3.	x^3,	x^3y,	x^3y^2,	x^3y^3,	x^3y^4,	x^3y^5,	x^3y^6,	etc.,
4.	x^4,	x^4y,	x^4y^2,	x^4y^3,	x^4y^4,	x^4y^5,	x^4y^6,	etc.,
5.	x^5,	x^5y,	x^5y^2,	x^5y^3,	x^5y^4,	x^5y^5,	x^5y^6,	etc.,
6.	x^6,	x^6y,	x^6y^2,	x^6y^3,	x^6y^4,	x^6y^5,	x^6y^6,	etc.,
7.	x^7,	x^7y,	x^7y^2,	x^7y^3,	x^7y^4,	x^7y^5,	x^7y^6,	etc.,
	etc.	etc.	etc.	etc.	etc.	etc.	etc.	

12. Terminis ergo aequationis hoc modo dispositis, manifestum est posito $x=0$ in qualibet serie verticali omnes terminos inferiores prae superioribus evanescere, ita ut hoc casu supremi tantum termini cujusque seriei verticalis relinquantur, ac reliqui rejici queant. In hoc autem schemate assumsimus in aequatione proposita omnes terminos occurrere, ita ut hoc casu, quo $x=0$, termini supremae seriei horizontalis omnes remaneant; ex qua y obtineret unum pluresve valores finitos. Sin autem in aequatione proposita aliqui termini desint, eorum loca in hoc schemate vacua relinquuntur, atque ob superiorem rationem pro casu $x=0$ in qualibet serie verticali supremi tantum termini in computum venient. Sicque contingere potest, ut termini residui non in eadem serie horizontali sint constituti.

13. Terminis hoc modo superfluis expunctis tot remanebunt termini, quot habebuntur series verticales; sicque aequatio plerumque ad satis paucos terminos reducitur. Horum autem terminorum residuorum non omnes semper inter se erunt homogenei, sed denuo aliqui prae reliquis evanescent. Quomodo igitur isti termini, qui prae ceteris evanescunt, sint dignoscendi, nobis explicandum restat. Ponamus itaque supremos cujusque columnae verticalis terminos relictos esse

$$x^{\alpha},\ x^{\beta}y,\ x^{\gamma}y^2,\ x^{\delta}y^3,\ x^{\varepsilon}y^4,\ x^{\zeta}y^5,\ \text{etc.},$$

quorum quinam sint inter se homogenei, vel prae reliquis evanescant, dispiciamus. Fingamus duos quosvis terminos, puta x^{α} et $x^{\beta}y$ inter se esse homogeneos, statimque patebit, utrum reliqui termini vel his sint homogenei, vel iis infinities minores, vel infinities majores. Qui autem fuerint homogenei omnes erunt retinendi, qui infinities minores rejiciendi; sin autem nonnulli reperiantur infinities majores, hi soli retineantur, cum prae his et illi, quos assumseramus, evanescant.

14. Ad hoc autem judicium rite instituendum notasse sufficiet, si in progressione geometrica duo quicunque termini fuerint homogenei, simul omnes tam antecedentes quam medios et sequentes iis fore homogeneos. Terminos enim homogeneos vocamus, quorum est ratio infinita; hinc si in progressione geometrica duo termini habuerint rationem finitam, necesse est, ut singuli inter se rationem quoque finitam teneant. Quare si termini x^{α} et $x^{\beta}y$ sint homogenei, omnes termini hujus progressionis geometricae inter se erunt homogenei

$$x^{\alpha},\ x^{\beta}y,\ x^{2\beta-\alpha}y^2,\ x^{3\beta-2\alpha}y^3,\ x^{4\beta-3\alpha}y^4,\ \text{etc.}$$

Quodsi jam in termino $x^{\gamma}y^2$ fuerit $\gamma = 2\beta - \alpha$, hic terminus illis x^{α} et $x^{\beta}y$ erit homogeneus; sin autem sit $\gamma > 2\beta - \alpha$, terminus $x^{\gamma}y^2$ prae illis x^{α} et $x^{\beta}y$ evanescet; sin autem $\gamma < 2\beta - \alpha$, tum illi termini x^{α} et $x^{\beta}y$ prae hoc $x^{\gamma}y^2$ ipsi evanescent, similique modo reliqui termini dijudicabuntur.

15. Sin alios duos quoscunque terminos homogeneos fingere velimus, ut $x^{\beta}y$ et $x^{\varepsilon}y^4$, ex his primum progressio geometrica ad singulas potestates ipsius y est formanda, quae igitur erit

$$x^{\frac{4\beta-\varepsilon}{3}},\ x^{\beta}y,\ x^{\frac{\varepsilon+2\beta}{3}}y^2,\ x^{\frac{2\varepsilon+\beta}{3}}y^3,\ x^{\varepsilon}y^4,\ x^{\frac{4\varepsilon-\beta}{3}}y^5,\ \text{etc.},$$
$$x^{\alpha},\ x^{\beta}y,\ x^{\gamma}y^2,\ x^{\delta}y^3,\ x^{\varepsilon}y^4,\ x^{\zeta}y^5,\ \text{etc.},$$

qui igitur termini inferioris seriei cum superioribus congruunt, ii duobus propositis erunt homogenei. Sin autem exponens ipsius x in quopiam termino inferioris seriei major fuerit quam in respondente superioris, ille terminus prae superioribus evanescit; sin autem alicubi in serie inferiori exponens ipsius x minor fuerit quam in termino suprascripto, tum prae eo omnes termini superioris seriei evanescent.

16. Si igitur casus iste ultimus, quo aliquis terminus inferioris seriei infinities major existit terminis superioris, nusquam occurrit, rejectis terminis evanescentibus remanebit aequatio inter terminos mere homogeneos, quae naturam curvae in loco $x = 0$ exprimit. Sin autem quis terminus in seriei inferiori fiat infinite magnus respectu superiorum, tum is in locum binorum illorum terminorum, ex quibus hoc judicium petivimus, assumatur, eademque operatio denuo instituatur, et quoties termini propositis infinities majores occurrunt, tam diu reiteretur, donec omnes termini

$$x^{\alpha},\ x^{\beta}y,\ x^{\gamma}y^2,\ x^{\delta}y^3,\ \text{etc.},$$

*

cum binis assumtis vel prodeant homogenei, vel prae iis evanescant. Hocque modo tandem pervenietur ad aequationem duobos pluribusve terminis constantem, qua natura curvae in loco $x=0$ exprimetur, ex qua deinceps non difficile erit tangentis positionem definire.

17. Quodsi ergo hoc modo plures termini relinquantur, ii progressionem geometricam constituent, atque ex hac consideratione facile est istos terminos mechanice determinare, eo scilicet modo, * quem Neutonus per parallelogrammum et regulam tradidit (Fig. 42). Si enim termini aequationis omissis coëfficientibus modo ante exposito in cellulas parallelogrammi aequaliter divisas inscribantur, atque in unaquaque cellula punctum medium notetur, facile perspicitur, terminos, qui in ratione geometrica progrediuntur in directum fore dispositos. Sic linea aa per puncta media cellularum transit, in quibus reperiuntur termini isti progressionem geometricam tenentes: x^5, x^4y, x^3y^2, x^2y^3, xy^4, y^5. Linea autem bb transit per puncta media cellularum x^3, x^2y^2, xy^4, y^6, et linea cc per puncta media cellularum x, x^2y^2, x^3y^4, x^4y^6, atque linea dd ducta est per puncta media cellularum, quae hanc praebent progressionem geometricam: y, xy^2, x^2y^3, x^3y^4, x^4y^5, x^5y^6.

18. Si igitur puncta media cellularum pro veris locis singulorum terminorum habeantur, et linea recta utcunque per hoc parallelogrammum traducatur, termini in ista linea constituti progressionem geometricam formabunt; ideoque si eorum duo fuerint homogenei, omnes erunt homogenei. Deinde ex ante expositis facile liquet, omnes terminos, qui supra hujusmodi lineam rectam cadunt, respectu eorum, qui in ipsa hac linea sint positi, fore infinite magnos, terminos autem, qui infra hanc lineam cadunt eorumdem respectu futuros esse infinite parvos, ideoque prae iis evanescere posito scilicet $x=0$. Si enim series verticales interpolentur, termini interpolati omnes, quorum loca in lineam rectam incidunt, progressionem geometricam constituent, quorum respectu superiores omnes sunt infiniti, inferiores infinite parvi. Sic recta bb interpolatione instituta transibit per terminos

$$x^3,\ x^{\frac{5}{2}}y,\ x^3y^2,\ x^{\frac{3}{2}}y^3,\ xy^4,\ x^{\frac{1}{2}}y^5,\ y^6.$$

19. Si igitur ejusmodi termini desiderentur, quorum respectu reliqui omnes pro nihilo haberi queant, linea recta per duos ejusmodi terminos duci debebit, ut supra eam nulli prorsus termini existant. Unde si aequationis propositae singuli termini in cellulas ipsis convenientes hujus parallelogrammi inscribantur, et cellulae, quarum termini in aequatione desunt, vacuae relinquantur, per ejusmodi duos supremos terminos in duabus columnis verticalibus linea recta duci, vel ipsis regula applicari debet, ut super ea nulli prorsus termini appareant. Hoc enim facto bini illi termini, vel plures, si qui in istam eandem lineam rectam cadant, non solum progressionem geometricam formabunt, sed ita erunt comparati, ut prae iis reliqui omnes aequationis termini negligi queant. His ergo terminis in aequatione expunctis ii, qui sunt residui, naturam curvae in loco $x=0$ exprimunt.

20. Si linea recta hoc modo ducta duos tantum terminos exhibeat, habebitur aequatio binomia pro curva in loco $x=0$, ejusque ergo tangens per praecepta ante tradita invenietur, nisi linea illa recta fuerit horizontalis, quo casu applicata y vel finitum vel imaginarium obtinebit valorem; priorique casu tangens ex his duobus terminis definiri nequit. Hoc ergo casu regula motu sibi parallelo promoveatur, donec unum pluresve novos terminos attingat, hique ad illos adjiciantur, et ex aequatione resultante tangens definiatur. Cum enim reliqui termini prae his de novo adjectis evanescant,

aequatio pro curva erit completa in loco $x = 0$, nisi forte et isti novi termini evanescant, si ipsi y valor ante inventus tribuatur. His ergo incommodis ut remedium afferatur, expediet, si ex terminis primo inventis valor finitus pro y puta $y = a$ fuerit inventus, ut substitutione $y = a + z$ utamur, hincque aequationem inter x et z modo supra descripto examini subjiciamus.

21. Verum si hanc substitutionem $y = a + z$ evitare velimus, invento valore finito $y = a$, differentietur tota aequatio proposita, quaeraturque ratio $\frac{dy}{dx}$. Tum in expressione inventa fiat ubique $x = 0$ et $y = a$, sicque prodibit tangens anguli, quem tangens curvae in isto puncto cum directione axis constituit. Hoc modo etiam, si forte applicata y plures habuerit valores finitos, puta $y = a$, $y = b$, $y = c$, etc., pro singulis ex eadem formula $\frac{dy}{dx}$ positio tangentis reperietur; cum si substitutione uti voluerimus, pro unoquoque valore ipsius y peculiarem substitutionem fieri oporteret. Plerumque etiam in differentiatione aequationis plures terminos omittere licet, ac saepenumero sufficit ope regulae proximum terminorum ordinem adjicere; cum tamen dentur casus, quibus ad ultimum usque terminorum ordinem procedendum est, consultius est totam aequationem differentiare, quam omissione terminorum errorem in determinatione tangentis committere.

22. Facilius autem judicare licebit, utrum aliquot aequationis terminos omittere liceat, si aequatio proposita secundum dimensiones ipsius x disponatur, atque factores harum potestatum in divisores resolvantur. Ita si hujusmodi aequatio fuerit proposita

$$(a-y)^4 - 3(a-y)^3 x + 2(a-y)^2 xx - (a-y)x^3 + x^4 = \frac{x^5}{a},$$

ubi posito $x = 0$ fit $y = a$, in differentiatione nulli termini praeter ultimum rejici poterunt, sicque quinque terminorum ordines, quos promotio regulae horizontaliter deorsum facta indicat, assumi oportebit. Fiet enim

$$-4dy(a-y)^3 + 9dy(a-y)^2 x - 4dy(a-y)xx + dy.x^3 - 3dx(a-y)^3 + 4xdx(a-y)^2 - \\ 3xxdx(a-y) + 4x^3 dx = \frac{5x^4 dx}{a},$$

$$\text{seu} \quad \frac{dy}{dx} = \frac{3(a-y)^3 - 4x(a-y)^2 + 3xx(a-y) - 4x^3 + \frac{5x^4}{a}}{-4(a-y)^3 + 9(a-y)^2 x - 4(a-y)xx + x^3}$$

statuatur jam $y = a$ et $x = 0$, et quia in singulis terminis cyphra tres habet dimensiones, praeter $\frac{5x^4}{a}$ hunc solum rejicere licet.

23. Quia igitur hoc casu tam numerator quam denominator evanescit, atque omisso termino $\frac{5x^4}{a}$ reliquorum terminorum nullus prae ceteris rejici potest, ad tangentem definiendam aliud remedium non superest, quam ut substitutione $y = a - z$ seu $a - y = z$ utamur, qua facta aequatio pro curva transit in hanc formam:

$$z^4 - 3z^3 x + 2zzxx - zx^3 + x^4 = \frac{x^5}{a}.$$

His autem terminis in parallelogrammum dispositis regula indicabit hos terminos, quibus natura curvae casu $x = 0$ exprimitur:

$$z^4 - 3z^3 x + 2zzxx - zx^3 + x^4 = 0.$$

Ponatur $z = px$, ut sit $p^4 - 3p^3 + 2pp - p + 1 = 0$, cujus radices, quarum duae sunt reales $p = 1$ et $p = 2{,}2055$ proxime, dabunt aequationes pro lineis rectis, quae erunt tangentes totidem curvae ramorum per initium abscissarum transeuntium, radices vero binae imaginariae indicant punctum conjugatum, pro quo $x = 0$ et $z = 0$. Atque ex hoc exemplo patet tutissimam tangentis inveniendae methodum saepe in substitutione esse sitam.

24. Cum igitur haec substitutionis methodus sit tutissima neque unquam investigationem in ambiguo relinquat, eam prae ceteris commendamus. Quoties ergo evenit, ut regula in situ horizontali terminos aequationis eligendos indicet, quo casu utique semper supremis cellulis erit applicata, cum aequatio semper unum saltem terminum ex serie suprema contineat, quia alias per x foret divisibilis, toties valor finitus pro y inde resultans ope substitutionis eliminetur, atque aequatio inter x et novam variabilem introductam denuo ad parallelogrammum examinetur. Hoc ergo modo situs regulae horizontales, qui tangentis positionem non determinant, excluduntur, atque omnis investigatio ad situs regulae obliquos reducitur, ex quibus valor ipsius y semper vel $= 0$ vel $= \infty$ elicitur, quibus casibus determinatio tangentis est in promtu.

25. Si enim regula secundum praecepta ante tradita applicata situm tenet obliquum, vel duos vel plures suppeditabit terminos, ex quibus aequatio utramque variabilem x et y continens conficitur, ex qua propterea tangentis positio determinatur; si enim duos tantum praebeat terminos, aequatio inde hujusmodi orietur: $y^m = Cx^n$, ex qua tangentem jam supra definivimus. Sin autem tres pluresve terminos exhibeat, ii erunt in progressione geometrica, atque hujusmodi aequationem pro curva praebebunt:

$$A + Bx^m y^n + Cx^{2m} y^{2n} + Dx^{3m} y^{3n} + Ex^{4m} y^{4n} + \text{etc.} = 0,$$

quae posito $x^m y^n = p$ induet hanc formam

$$A + Bp + Cp^2 + Dp^3 + Ep^4 + \text{etc.} = 0.$$

Ex hac eliciantur omnes radices reales ipsius p, qui sint $p = \alpha$, $p = \beta$, $p = \gamma$, etc., unde totidem prodibunt aequationes inter x et y binomiales

$$x^m y^n = \alpha,\ x^m y^n = \beta,\ x^m y^n = \gamma,\ \text{etc.},$$

quibus totidem curvae rami cum tangentibus assignantur. Radices autem imaginariae absentiam applicatarum, quae abscissae $x = 0$ respondeant, indicant, vel puncta conjugata, uti ante jam monuimus. Binae autem radices imaginariae puncta conjugata sine tangentibus indicabunt.

26. Interdum autem fieri potest, ut regula duobus pluribusve modis ita duobus supremis terminis applicari queat, ut nulli termini supra eam compareant. Quod evenit si curva plures habeat ramos abscissae $x = 0$ respondentes, sicque singulorum horum ramorum tangentes innotescent. Quae investigatio tangentium, quo facilius perspiciatur, simulque usus parallelogrammi Neutoniani uberius explicetur, exempla aliquot adjungamus, in quibus omnes isti casus diversi occurrant, ita ut hoc modo facile cognoscere queamus, quot curvae rami abscissae $x = 0$ respondeant, et quales habituri sint tangentes in hoc loco, sive rami in infinitum excurrant, sive in spatio finito subsistant.

Exemplum 1. *Proposita curva hac aequatione contenta*

$$x^2 - xy + 2y^3 + 2x^4 - 3x^3y^2 - 3x^2y^3 - 2xy^4 + 4x^2y^4 - 2x^5y + 5x^4y^3 - x^5y^4 + 4x^4y^5 = 0.$$

invenire tangentes ejus ramorum abscissae $x = 0$ respondentium.

Rejectis coëfficientibus, si termini hujus aequationis in parallelogrammum modo ante descripto inscribantur, apparebit regulam triplici modo ita ad duos terminos applicari posse, ut supra eam nulli prorsus termini appareant, quos regulae situs in figura 43 lineae Aa, Bb, Cc, repraesentant. * Primus situs Aa, qui terminos xx et xy praebet, indicat curvam propositam ad abscissarum initium ramum habere aequatione hac $xx - xy = 0$ (reliquis nempe terminis omnibus neglectis) expressum, qua per x divisa concludimus rectam hac aequatione $x - y = 0$ contentam fore hujus rami tangentem. Altera regulae positio Bb terminos y^3 et xy^4 tantum relinquit, unde aequatio nascitur $2y^3 - 2xy^4 = 0$ seu $1 - xy = 0$, quae aequatio cum sit pro hyperbola, patet hanc hyperbolam pro casu $x = 0$ curvae propositae partem constituere: fit nempe applicata y infinite magna simulque tangens curvae existit. Ex tertio regulae situ oritur aequatio his duobus terminis contenta: $-2xy^4 + 4x^4y^5 = 0$, seu $1 - 2x^3y = 0$, et linea hyperbolica hac aequatione contenta naturam aliorum ramorum hujus curvae pro $x = 0$ repraesentabit. Geminas ergo haec curva habebit asymtotas ad axem in initio abscissarum normales, alteram naturae $1 - xy = 0$, alteram $1 - 2x^3y = 0$. Praeterea vero ramus axem in initio abscissarum sub angulo semirecto intersecabit, cum ejus tangens sit recta hac aequatione $x = y$ expressa.

Exemplum 2. *Proposita curva hac aequatione contenta*

$$x^4 - 3x^3y + x^4y^2(1 + xx) + 2xy^3(1 - x^4) + x^2y^4(1 + xx) - 4y^5(1 - x) - 3x^6y^6 + x^5y^7 = 0$$

invenire tangentes ejus ramorum, qui abscissae $x = 0$ *respondent.*

Terminis hujus aequationis in cellulas parallelogrammi dispositis, regula iterum triplici modo binis terminis ita applicari potest, ut nulli reliquorum supra promineant (Fig. 44). Ac prima quidem positio * Aa hos tres terminos praebet x^4, x^3y, xy^3, unde haec aequatio oritur $x^4 - 3x^3y + 2xy^3 = 0$ seu $x^3 - 3xxy + 2y^3 = 0$, cujus curva cum proposita pro casu $x = 0$ congruit. Complectitur autem haec aequatio primum lineam rectam $x - y = 0$, quae ergo erit tangens curvae in abscissarum initio; tum vero aequationem $xx - 2xy - 2yy = 0$, seu $x = y(1 \pm \sqrt{3})$, unde denuo duae tangentes ad axem obliquae resultant, ita ut hinc curva proposita tres obtineat ramos in axis initio concurrentes. Altera regulae positio Bb dat terminos xy^3 et y^5, seu hanc aequationem $2xy^3 - 4y^5 = 0$ sive $2yy = x$, unde tangens quoque ad axem perpendicularis oritur, et ramum curvae per axis initium perpendiculariter trajicientem indicat. Tertia regulae positio dat terminos y^5 et x^5y^7, hincque aequationem hanc: $-4y^5 + x^5y^7 = 0$, seu $x^5y^2 = 4$, unde in initio axis fit applicata $y = \pm\infty$, quae ergo simul erit asymtota curvae propositae, ideoque tangens. Pro initio igitur abscissarum quatuor rami curvae se mutuo intersecant, sicque punctum quadruplex constituunt.

27. Ex his ergo exemplis satis apparet, quemadmodum ex regulae, secundum praecepta tradita applicatae, positionibus indoles earum curvae partium, quae abscissae evanescenti $x = 0$ respondent, sit dignoscenda. Hac nimirum ratione quantitas omnium applicatarum, quae abscissae $x = 0$ conveniunt, innotescit: primo enim cum quaelibet applicata vel sit evanescens, vel finitae magnitudinis, vel infinite magna, haec diversitas indicatur per inclinationem linearum Aa, Bb, Cc, quae situs regulae repraesentant, siquidem bina parallelogrammi latera, prouti tabula refert, habeantur pro horizontalibus, reliqua pro verticalibus. Lineae enim Aa, Bb, Cc, quae situs regulae pro casu $x = 0$ exhibent, a sinistra dextrorsum sunt ductae, ac primo ascendunt ut Aa, tum vero descendunt

ut Cc, fieri quoque possunt horizontales, quem autem casum, cum positionem tangentis non simul indicet, ob rationem ante allegatam removimus.

* 28. Quo clarius intelligatur, quomodo ex regulae inclinatione judicium sit ferendum, sit (Fig. 45) EF linea horizontalis et lineae Ea, Ec, Ee referant situs regulae a sinistra dextrorsum ascendentes, AB situm regulae horizontalem, et bF, cF, fF situs regulae descendentes. Jam igitur manifestum est situs regulae ascendentes applicatas semper evanescentes praebere, ita ut quot hinc reperiantur aequationis radices, tot curva habitura sit applicatas evanescentes, quae abscissae $x=0$ respondeant. Situs autem regulae horizontalis AB indicabit applicatas finitae magnitudinis, quae abscissae $x=0$ respondent; at situs descendentes omnes bF, cF, fF praebebunt applicatas infinite magnas, axis initio insistentes, quae ideo totidem ramos curvae in infinitum extensos declarabunt. Hinc ergo omnia curvae puncta, quae ad abscissam evanescentem $x=0$ pertinent, una quasi operatione inveniuntur, sive ea in axem incidant, sive ab eo intervallo finito sint remota, sive infinito.

29. Quoniam autem hic non tantum ipsa curvae puncta, quae abscissae $x=0$ respondent, spectamus, sed etiam positionem tangentis, quae curvam in quolibet horum punctorum tangit, requirimus, hoc quoque ex situ regulae colligere licet, nisi is fuerit horizontalis. Nam ante jam animadvertimus, si situs regulae fuerit horizontalis velut AB, ex aequatione, quam termini a regula trajecti constituunt, cum sit hujus formae

$$0=\alpha+\beta y+\gamma y^2+\delta y^3+\varepsilon y^4+\text{ etc.},$$

nihil aliud concludi posse, nisi tot curvae extare puncta ab axe intervallo finito distantia, quot haec aequatio habuerit radices reales finitas; radices enim, si quas forte habet, evanescentes ob $\alpha=0$, simul per reliquos regulae situs indicantur. Cum igitur radices hae finitae per hujusmodi formulas $y=a$, $y=b$, $y=c$ etc., indicentur, praeter distantias horum punctorum curvae ab axe nihil cognoscitur, neque inde positio tangentium definiri potest. Ex quo jam supra praecepimus his casibus positionem axis statuendo $y=a+z$, vel $y=b+z$, etc., immutandam esse, ut haec puncta in novum axem incidant; tum enim nova hac aequatione in parallelogrammum disposita, ista puncta per situs regulae obliquos indicabuntur, unde tangentis positio colligi poterit.

30. Si enim situs regulae fuerit obliquus et quidem ascendens velut Ea, vel Ec, vel Ee, iis non solum puncta curvae in axis initium incidentia indicantur, sed etiam tangentium directio inde colligitur, unde tractus ramorum curvae, qui per axis initium transeunt, innotescit. Ex constitutione enim parallelogrammi, si ejus cellulae fiant quadratae, facile perspicitur, si regulae positio Ec cum linea horizontali EF angulum semirectum FEc comprehendat, tangentes indicari obliquas; namque termini, qui a regula trajiciuntur, aequationem homogeneam hujusmodi

$$Ax^m+Bx^{m-1}y+Cx^{m-2}y^2+Dx^{m-3}y^3+\text{ etc.}=0$$

dabunt, cujus factores simplices reales $\alpha x+\beta y=0$ totidem praebebunt lineas rectas ad axem obliquas, quae erunt curvae tangentes in axis initio. Factores autem imaginarii, qui continentur in factoribus realibus secundi ordinis, veluti $\alpha xx+\beta xy+\gamma yy=0$, quia iis positis $x=0$ et $y=0$ tamen satisfit, indicabunt puncta curvae conjugata, a tractu ramorum separata, in quibus proinde tangentium conceptus non habet locum.

31. Si regula sursum vergens Ea majorem semirecto angulum cum linea horizontali EF constituit, termini, qui ab ea trajiciuntur, erunt hujusmodi I. $Ax^2 + By = 0$, II. $Ax^3 + By = 0$, III. $Ax^3 + By^2 = 0$, IV. $Ax^4 + By = 0$, V. $Ax^4 + Bx^2y + Cy^2 = 0$, VI. $Ax^4 + By^3 = 0$ etc., in quibus numerus dimensionum ab x et y ortarum decrescit secundum progressionem arithmeticam, siquidem plures duobus fuerint termini. His casibus quidem semper punctum curvae in axe ob $x = 0$ et $y = 0$ indicatur, sed tangens tantum exhibetur, cum aequatio non fuerit imaginaria, manifestumque est tangentem, si quae datur, in ipsum axem incidere. Quodsi aequatio ut V pluris duobus constet terminis, in factores erit resolvenda, qui singuli si sint reales, ramos curvae axem in initio tangentes declarabunt; sin autem sint imaginarii, bini praebebunt puncta conjugata, quae autem alius erunt naturae atque ea, quae ex § praecedente sunt orta, siquidem discrimen inter puncta conjugata statuere licet.

32. Si regula sursum vergens Ee cum horizontali EF faciat angulum semirecto minorem, in aequationibus inde ortis dimensiones ipsarum x et y aequabiliter crescent, eruntque hujusmodi:

$$\text{I. } Ax + By^2 = 0, \quad \text{II. } Ax + By^3 = 0, \quad \text{III. } Ax^2 + By^3 = 0, \quad \text{IV. } Ax + By^4 = 0,$$
$$\text{V. } Ax^2 + Bxy^2 + Cy^4 = 0, \quad \text{VI. } Ax^3 + By^4 = 0, \text{ etc.},$$

quae omnes puncta curvae in axe designant, ramorumque eo desinentium tangentes, siquidem fuerint reales, ad axem erunt perpendiculares; sin autem aequatio pluribus constans terminis uti V factores habeat imaginarios, puncta tantum conjugata sine tangentibus indicabuntur. Apparet ergo singulas regulae positiones sursum vergentes Ea, Ec, Ee cuncta curvae puncta in axis principio sita praebere, atque etiam inde tangentes singulorum curvae ramorum ibi concurrentium cognosci; sic regulae positiones Ea praebent eos ramos, qui ab ipso axe tanguntur, positio Ec eos, quorum tangentes in axem sunt obliquae, ac denique positiones Ee eos ramos, qui axi perpendiculariter insistunt.

33. Quemadmodum si regulae positio AB fit horizontalis, ea curvae puncta abscissae $x = 0$ respondentia prodeunt, quae ab axe intervallo finito distant. Ita si regulae directio deorsum vergat veluti bF, cF, fF, puncta curvae ab axe in infinitum distantia, vel pro quibus fit $y = \infty$ existente $x = 0$, exhibentur, atque natura ramorum hic in infinitum excurrentium, quatenus ad abscissas minimas x referuntur, exprimetur hujusmodi aequationibus hyperbolicis: $A + Bxy = 0$, $A + Bx^2y = 0$, $A + Bxy^2 = 0$, ex quibus intelligitur ipsam applicatam in axis principio ductam fore horum curvae ramorum asymtotas. Fieri quoque potest, ut hujusmodi aequatio veluti $a^4 + xxyy = 0$ imaginaria complectatur, cum inde sit $y = \frac{aa}{x}\sqrt{-1}$, sicque nulla tangens indicetur. Interim tamen cum $0 . \sqrt{-1}$ sit $= 0$, erit quoque $\frac{\sqrt{-1}}{0} = \frac{1}{0}$ ideoque infinitum, ita ut nihilominus his casibus applicata y posito $x = 0$ fiat infinita, etiamsi punctum curvae ea notatum tangente destituatur; affirmare itaque liceat in intervallo infinito ab axe extare quoque puncta conjugata.

34. Hoc modo ergo ope parallelogrammi tangentes ramorum curvae, qui abscissae $x = 0$ respondent, inveniuntur, iis tantum exceptis casibus, quibus huic abscissae evanescenti applicatae finitae magnitudinis respondent. Verum etiam his casibus ope differentiationis, qua valor fractionis $\frac{dy}{dx}$ eruitur, positio tangentis definiri poterit, nisi curvae ibi existat punctum duplex vel multiplex,

uti jam supra annotavimus. Sit enim $y = a$ posito $x = 0$, atque in fractione finita $\frac{P}{Q}$, quae pro $\frac{dy}{dx}$ est inventa, ponatur tam in numeratore P quam in denominatore Q et $x = 0$ et $y = a$, ac valor resultans, si fuerit determinatus, indicabit et punctum curvae ibi extare simplex, ejusque simul tangentem. Quodsi autem hac facta substitutione et numerator P et denominator Q evanescat, indicium hoc erit punctum curvae esse duplex vel adeo multiplex, quo casu aequatio ponendo $y = a + z$ ad alium axem erit reducenda, in quem id curvae punctum incidat, ut deinceps ope parallelogrammi natura ramorum in illo puncto concurrentium investigari possit.

35. Altera pars instituti, quod hoc capite suscepimus, versatur in investigatione ramorum, qui abscissae infinite magnae $x = \infty$ respondent, quod negotium etiam facile ope parallelogrammi expediri
* potest. Postquam enim (Fig. 42) singuli termini aequationis in cellulas parallelogrammi fuerint dispositi, manifestum est in qualibet columna verticali omnes terminos prae infimo evanescere, ita ut ad hanc investigationem sufficiat ex singulis columnis solos terminos infimos retinuisse. Tum vero aeque evidens est atque in casu praecedente, si regula ad hos terminos infimos ita applicetur, ut nulli termini infra eam promineant, prae terminis, per quos regula transit, omnes terminos superiores evanescere casu $x = \infty$, ita ut singulae hujusmodi regulae positiones praebiturae sint terminos aequationis inter se homogeneos, prae quibus reliqui omnes rejici queant.

36. Proposita ergo aequatione quacunque pro curva inter coordinatas x et y, si scire velimus puncta curvae, abscissae x in infinitum abeunti respondentia, tum singuli aequationis termini, ut ante est praeceptum, in cellulas parallelogrammi inscribantur, et quoties fieri potest regula ad terminos binos infimos ita applicetur, ut nulli terminorum reliquorum infra regulam cadant, quo facto unaquaeque hujusmodi regulae positio eos monstrabit aequationis terminos, prae quibus reliqui omnes casu $x = \infty$ rejici queant, indeque natura ramorum curvae in infinitum excurrentium, qui quidem abscissae $x = \infty$ respondeant, colligetur. Hinc scilicet patebit, utrum applicatae y valores, ipsi $x = \infty$ respondentes, evanescant, an sint finitae magnitudinis, et an ipsae fiant infinitae; quod discrimen ex diversis regulae positionibus respectu horizontalium laterum parallelogrammi colligetur.

37. Quemadmodum autem judicium instituti oporteat circa naturam hujusmodi ramorum in infinitum extensorum facilius exemplo quodam evolvendo quam praeceptis tradendis doceri potest.

Exemplum. *Invenire naturam ramorum pro abscissa* $x = \infty$ *curvae hac aequatione expressae*

$$\begin{aligned}0 = {} & 2a^{10}xy - 3a^9x^3 + 2a^8x^2y^2 - 3a^7x^5 - 2a^5x^4y^3 + a^4x^7y - 2a^3x^5y^4 - 4a^2x^8y^2 + 2ax^8y^3 + x^8y^4 \\ & - 3a^9y^3 + 4a^8y^4 - a^7x^4y + 3a^5x^7y^4 - a^4x^6y^2 - 3a^3x^2y^7 - 4ax^6y^5 - x^6y^6 \\ & - 2a^5x^2y^5 + 2ax^4y^7 \\ & + a^5xy^6\end{aligned}$$

* Dispositis terminis hujus aequationis in cellulas parallelogrammi (Fig. 46), rejectis coëfficientibus, regula binis terminis in quaque columna verticali infimis quoties fieri potest ita applicetur, ut infra eam nulli termini appareant, sicque progrediendo a dextra ad sinistram quinque regulae situs prodibunt, qui indicantur in figura lineis Gg, Hh, Ji, Kk et Ll, quarum duae priores deorsum tendunt, duae posteriores vero sursum, at media Ji est horizontalis. Jam singuli hi situs sequenti modo evolvantur.

I. Situs Gg praebet terminos x^4y^7 et x^6y^6, ex quibus formatur haec aequatio:

$$2ax^4y^7 - x^6y^6 = 0 \quad \text{seu} \quad 2ay = xx,$$

pro parabola, unde concluditur curvam habere pro abscissa $x = \infty$ ramos in infinitum extensos parabolicos, qui in infinito cum parabola hac aequatione $2ay = xx$ contenta confundantur, ita ut abscissae $x = \infty$ respondeat applicata $y = \infty$, quae eadem abscissae $x = -\infty$ conveniat. Hi igitur rami asymtotis rectis destituuntur.

II. Situs Hh, qui ad horizontalem angulo semirecto est inclinatus, praebet terminos x^6y^6 et x^8y^4, unde oritur aequatio $x^8y^4 - x^6y^6 = 0$ seu $xx - yy = 0$ quae resolvitur in has duas $x + y = 0$ et $x - y = 0$, utramque pro linea recta ad axem angulo semirecto inclinata, altera quidem inclinata, altera reclinata. Utraque igitur ostendit asymtotam rectam, ita ut haec curva duas habeat asymtotas, quae vel in ipsas illas rectas aequationibus $x + y = 0$ et $x - y = 0$ expressas, incidant, vel ipsis erunt parallelae. Quanto autem intervallo ab iis distent, hinc definiri nequit, quoniam ad hoc reliquorum terminorum aequationis ratio est habenda. Inclinatio ergo tangentium ad axem tantum hic indicatur; puncta vero, ubi axem secent, hinc non cognoscuntur. Ceterum hinc apparet tam abscissae $x = +\infty$ quam $x = -\infty$ geminas convenire applicatas $y = +\infty$ et $y = -\infty$, atque has duas asymtotas se invicem ad angulos rectos intersecare, cum utraque ad axem angulo semirecto inclinetur.

III. Situs horizontalis Ji per tres terminos x^8y^4, x^8y^3 et x^8y^2 transit, indeque emergit haec aequatio $x^8y^4 + 2ax^8y^3 - 4aax^8y^2 = 0$ seu $y^2 + 2ay - 4aa = 0$, ex qua resultant duo ipsius y valores constantes: $y = -a + a\sqrt{5}$ et $y = -a - a\sqrt{5}$, qui indicant duas rectas axi parallelas ab eoque his intervallis distantes, quae simul ipsae erunt curvae asymtotae; nam cum abscissae $x = \infty$, vel etiam $x = -\infty$ valores finiti ipsius applicatae y respondeant, manifestum est hos valores lineas rectas formare, quae adeo ipsae futurae sint curvae asymtotae. Hoc ergo casu non solum inclinatio linearum, quae curvam in infinito tangunt, innotescit, sed etiam ipsa harum linearum positio designatur.

IV. Situs regulae Kk transit per terminos x^8y^2 et x^7y, ex quo formabitur aequatio $-4a^2x^8y^2 + a^4x^7y = 0$ seu $a^2 = 4xy$, unde colligitur posito $x = \pm\infty$ fore $y = 0$. Sumta ergo abscissa x infinite magna, ramus curvae in ipsum axem incidit, eritque ideo ipse axis asymtotos, perinde atque in hyperbola aequatione $aa = 4xy$ contenta.

V. Situs denique regulae Ll terminos dat x^7y et x^5, unde obtinetur aequatio

$$a^4x^7y - 3a^7x^5 = 0 \quad \text{seu} \quad x^2y = 3a^3, \quad \text{quae dat} \quad y = \frac{3a^3}{xx}.$$

Fit igitur pariter $y = 0$ posito $x = \pm\infty$, sicque hinc ipse axis denuo erit asymtota lineae curvae propositae. Sed hi curvae rami, qui ad axem convergunt, diversi sunt ab iis, quos situs praecedens regulae suppeditavit, quoniam horum indoles ad hyperbolam cubicam aequatione $xxy = 3a^3$ accedit, cum illorum natura per hyperbolam conicam indicetur.

38. Ex hoc exemplo intelligitur, quomodo in genere ex ratione situs regulae de natura ramorum in infinitum porrectorum sit judicandum. Scilicet si situs regulae a dextra ad sinistram progrediendo examini subjiciamus, primo occurrunt ii, qui deorsum vergunt ut Gg, Hh, tum horizontalis, si quis adest, ut Ji, denique sursum vergentes ut Kk et Ll. Ac primo quidem si regulae situs est horizontalis, qui est quasi medium inter descendentes et ascendentes, ex eo proveniunt valores finiti applicatae y, qui abscissae infinitae x respondeant, hocque casu inveniuntur asymtotae curvae, quae

*

axi sunt parallelae, ab eoque intervallo finito distantes, atque hujusmodi asymtotae tot prodibunt, quot aequatio ex hoc regulae situ nata habuerit radices reales. Ubi notandum si duae pluresve radices fuerint aequales, totidem asymtotas in unam coalescere.

39. Quando autem, ut primo loco assumsimus, regula deorsum vergit ut Gg vel Hh, tum abscissis infinitis applicatae quoque infinitae convenient, et curva ramos habebit ab axe in infinitum divergentes. Praeterea vero hinc dijudicari potest, utrum hi rami sint hyperbolici seu asymtotis praediti, an vero parabolici. Scilicet si angulus, quo situs regulae uti Gg ad horizontem inclinatur, major fuerit semirecto, ramus erit parabolicus axem versus convexus, ejusque natura exprimetur aequatione parabolica $y^m = Ax^n$, in qua exponens ipsius x major est exponente ipsius y. Contra vero, si angulus inclinationis regulae deorsum vergentis ad horizontem minor fuerit semirecto, arcus itidem provenit parabolicus, sed concavitate axem respiciens, et in aequatione parabolica ipsi conveniente $y^m = Ax^n$ erit $m > n$. Priori casu tangens curvae in punctis abscissis infinitis respondentibus, axem in distantia infinita normaliter secabit, posteriori vero casu axi ad intervallum infinitum erit parallela.

40. Si regula sinistrorsum et deorsum vergens cum horizontali faciat angulum semirectum ut Hh, ea per omnes terminos homogeneos summae dimensionis transibit, atque aequatio ex hoc regulae situ orta erit hujusmodi

$$Ax^m + Bx^{m-1}y + Cx^{m-2}y^2 + Dx^{m-3}y^3 + \text{etc.} = 0.$$

Hujus igitur radices, sunt investigandae quotquot habuerit reales, quoniam imaginariae nihil nisi forte puncta conjugata in infinitum distantia indicant. Radices vero reales quotquot fuerint inter se inaequales, cum hujus sint formae $\alpha x + \beta y = 0$, inclinationem tangentium in infinito indicabunt, eandemque inclinationem asymtotae habebunt, etsi ipsa asymtotarum positio hinc non definiatur. Radices autem aequales vel plures asymtotas coalescentes, vel etiam inter se parallelas monstrabunt, siquidem in spatium finitum cadunt; sin autem ad axem in intervallo finito non accedant, tum aequalitas plurium radicum ramos parabolicos, quorum axes eandem teneant inclinationem, declarabit, quos proinde peculiari ratione indagari oportet.

41. Quando vero regula sinistrorsum ac sursum est directa, uti Kk vel Ll, aequationes inde suppeditatae semper indicant abscissis infinitis respondere applicatas evanescentes; rami igitur curvae per has aequationes denotatae in spatio infinito cum axe confundentur, eritque propterea ipse axis asymtota horum arcuum. Quin etiam diversa inclinatio regulae simul diversam naturam horum ramorum hyperbolicorum monstrabit, sive cum hyperbola appolloniana conveniant, quod evenit si regula ad angulum semirectum est inclinata, sive ad naturam aliarum hyperbolarum superiorum ordinum sint referendae. Quare hoc casu circa indolem ramorum curvae in infinitum excurrentium nihil praeterea desiderari potest.

42. Quoniam casu, quo tangens curvae in punctis, quae abscissae infinitae respondent, ad axem obliqua est inventa, in dubio relinquitur, utrum ea cum axe alicubi concurrat, nec ne? Dubium hoc resolvetur, si aequatio curvae ad alium axem revocetur tangenti illi parallelum; scilicet si pro tangente inventa fuerit haec aequatio $\alpha x - \beta y = 0$, vel si plures radices sint aequales, haec: $(\alpha x - \beta y)^n = 0$. Ducatur ad axem oblique recta aequatione $\alpha x - \beta y = 0$ expressa, haecque pro

axe assumatur, in quo abscissae sint $= t$, et applicatae ad eum normales $= u$; quo facto fiet

$$x = \frac{\beta t - \alpha u}{\sqrt{(\alpha\alpha + \beta\beta)}} \quad \text{et} \quad y = \frac{\alpha t + \beta u}{\sqrt{(\alpha\alpha + \beta\beta)}},$$

sicque natura curvae exprimetur aequatione inter has novas coordinatas t et u, cujus termini si in cellulas parallelogrammi disponantur, loco factoris compositi $(\alpha x - \beta y)^n$ nunc prodibit factor simplex $(-u\sqrt{(\alpha\alpha + \beta\beta)})^n$, qui cum aliis adhuc terminis, quos regula ostendet, comparatus dabit hujusmodi aequationem $\gamma u^n + \delta t^m = 0$, in qua erit $m < n$, ex qua perspicietur utrum tangens curvae, quae novo axi est parallela, ab eo intervallo finito distet, quod eveniet si $m = 0$, eritque id intervallum $u = \sqrt[n]{-\frac{\delta}{\gamma}}$, an vero infinito, quod evenit si $m > 0$. Illo casu recta axi parallela ab eoque intervallo $u = \sqrt[n]{-\frac{\delta}{\gamma}}$ ducta erit curvae asymtota, et ramus curvae hyperbolicus; posteriori vero casu ramus asymtota destituitur, ac parabolicus vocatur. Intelligitur hinc etiam fieri posse, ut asymtota adeo imaginaria evadat, veluti si $m = 0$, haecque aequatio obtineatur: $uu + aa = 0$, quam impossibilitatem ex aequatione ante axis permutationem concludere non licuerat. Ex quo perspicitur, quantum reductio aequationis ad alium axem subsidii afferat ad naturam curvae accuratius cognoscendam.

43. Fieri etiam potest, ut asymtota hoc modo inventa in ipsum novum axem incidat, seu intervallum u evanescat, quod cum ex formula $\gamma u^n + \delta t^m = 0$ exempli gratia assumta minus appareat, notandum est aequationem, quae hoc casu ex situ regulae derivatur, hujusmodi habituram esse formam generalem $\gamma t^k u^n + \delta t^m = 0$, ita ut sit $m < k + n$, unde manifesto tres casus oriuntur. Primus si $k < m$, ideoque $\gamma u^n + \delta t^{m-k} = 0$, ex quo concluditur facto $t = \infty$ fore quoque $u = \infty$, sicque tangentem a novo axe, cui est parallela, infinite distare, ramumque curvae fore propterea parabolicum seu asymtota destitutum; ubi quidem notari convenit, hunc casum locum habere non posse nisi sit $n > 1$, hoc est nisi in priori evolutione secundum § 40 facta, aequatio

$$Ax^m + Bx^{m-1}y + \text{etc.} = 0$$

duas pluresve radices habeat aequales, quia n assumsimus ad numerum aequalium hujus aequationis radicum $\alpha x - \beta y$ denotandum. Quare, ut ibi jam monuimus, nisi plures radices fuerint aequales, ramus curvae parabolicus esse nequit. Secundus casus est si $k = m$, quo formula superior abit in $\gamma u^n + \delta = 0$ et indicat intervallum asymtotae curvae a novo axe, cui est parallela. Tertius casus locum habet si $k > m$, quo fit $\gamma t^{k-m} u^n + \delta = 0$, hocque manifestum est facto $t = \infty$ fieri $u = 0$, ideoque ipsum novum axem fore curvae asymtotam. Neque vero solum hinc concluditur istum ramum curvae in infinitum protensum esse hyperbolicum, sed etiam natura hyperbolae, quacum congruit, cognoscitur ex aequatione $\gamma t^{k-m} u^n + \delta = 0$.

44. Sin autem tangens curvae in infinitum extensae ejusve asymtota non in ipsum axem incidat, sed ei in dato intervallo sit parallela, uti casu secundo § praec. atque etiam § 38 usu venit, quo situs regulae fit horizontalis, tum hac methodo quidem distantia asymtotae ab axe, cui est parallela, invenitur. Sed natura rami curvae ad istam asymtotam convergentis non agnoscitur, seu hyperbola, quacum conveniat, non definitur, uti eo casu, quo asymtota cum ipso axe confunditur. Quanquam

autem ad praesens institutum nostrum sufficiat positionem tangentis determinasse, tamen levi negotio ea quoque hyperbola assignari potest, ad quam natura rami curvae proxime accedat. Ponamus enim vel ex prima aequatione inter x et y, vel ex jam immutata inter t et u prodiisse pro casu $x=\infty$ vel $t=\infty$ hanc aequationem y vel $u=a$, tum haec ipsa recta ab axe intervallo $=a$ distans pro novo axe assumatur, statuendo y vel $u=a+v$, sicque obtinebitur nova aequatio inter abscissam x seu t et applicatam v, quae ad parallelogrammum reducta hunc curvae ramum per situm regulae a dextra ad sinistram sursum vergentis veluti Kk seu Ll exhibebit, ex quo non solum constabit hunc novum axem ipsum esse curvae asymtoton, sed etiam regula aequationem pro hyperbola illa suppeditabit, quae naturam rami curvae in infinitum excurrentis continebit, quemadmodum jam supra § 41 annotavimus. Hocque ergo modo omnes curvae rami ad abscissam infinitam relati non solum invenientur, sed etiam parabolae vel hyperbolae, quae proxime ad eorum naturam accedant, indicari possunt.

45. Cum igitur aequatione quacunque inter coordinatas orthogonales x et y proposita, curvae per eam expressae natura tam iis in locis, quae abscissae $x=0$, quam in iis, quae abscissae infinitae respondent, definiri queat, manifestum est, commutandis his coordinatis, curvae naturam quoque cognosci posse in iis locis, quae applicatis y vel evanescentibus vel in infinitum abeuntibus respondent. Neque ad hoc opus erit, ut novum parallelogrammum construatur, cum idem, in quo termini aequationis modo ante exposito sunt inscripti, etiam judicio ad applicatas accommodando inservire possit. Quemadmodum enim ante, ubi abscissa erat proposita (Fig. 46), latera parallelogrammi PQ et SR erant tanquam horizonti parallela spectata, ita nunc, proposita applicata altera, latera PS et QR situm horizontalem occupare sunt existimanda, atque plagae laterales dextra et sinistra inter se commutandae, quo facto eaedem conclusiones, quae ante ex situ regulae pro abscissa vel evanescente vel infinita sunt derivatae, iisdem verbis retentis pro applicata vel evanescente vel in infinitum abeunte valebunt.

46. Hinc igitur perspicuum est eandem parallelogrammi figuram ad judicia tam pro abscissa x, uti hactenus fecimus, quam pro applicata y adhiberi posse. Quare si utrumque judicium conjunctim instituere velimus, regulam continuo ad binos terminos figurae extimos ita applicari oportet, ut nulli termini extra promineant, quemadmodum in figura videre licet, ubi lineae Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ji, Kk, Ll et Mm has regulae positiones indicant, in quibus omnes, quae quidem occurrere possunt, continentur. Harum enim sunt quatuor lateribus parallelogrammi parallelae: Cc, Ff, Ji, Mm, reliquae vero his inter jacentes obliquae, inter quas porro hoc discrimen est notandum, quod aliae cum lateribus horizontalibus angulum semirectum constituant, aliae majorem, aliae minorem semirecto; videmus enim ab hoc discrimine naturam curvae plurimum pendere, siquidem cellulae parallelogrammi quadratae efficiantur.

47. Omnino ergo sedecim diversae regulae positiones occurrere possunt, quas figura 47 ratione inclinationis earum ad latera parallelogrammi repraesentat. Incipiendo scilicet ab ea, quae ad sinistram est perpendicularis, ut AB in Fig. 47 et Mm in Fig. 46 atque circuitum sursum dextrorsum absolvendo, hae sedecim positiones ita ordine procedent:

I.	AB perpendicularis ad sinistram	In Fig. 46 convenit Mm
II.	EJ plus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Aa
III.	EF semirecto ad horizontem inclinata	« « — « —
IV.	EK minus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Bb
V.	BC horizontalis superior	« « — « Cc
VI.	JG minus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Dd
VII.	FG semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Ee
VIII.	KG plus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « —
IX.	CD perpendicularis ad dextram	« « — « Ff
X.	GL plus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Gg
XI.	GH semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Hh
XII.	GM minus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « —
XIII.	DA horizontalis inferior	« « — « Ji
XIV.	LE minus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « —
XV.	HE semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Kk
XVI.	ME plus semirecto ad horizontem inclinata	« « — « Ll

Nunc quasnam conclusiones singulae hae positiones pro natura curvae suppeditent, exponamus.

48. Primus regulae situs AB praebet pro applicata $y = 0$ omnes valores finitae magnitudinis abscissae x, seu omnes abscissas finitas indicat, quibus respondet applicata evanescens. Indicat quidem etiam abscissas evanescentes, si aequatio fuerit per x ejusve potestatem divisibilis; sed hi casus per sequentes regulae positiones clarius exhibentur. Tangens autem in his curvae locis non indicatur.

Secundus regulae situs EJ ea curvae puncta indicat, pro quibus est tam $x = 0$, quam $y = 0$, simul autem ostendit tangentem in ipsum axem incidere, seu in his punctis curvam ab axe tangi, et natura curvae accedit ad parabolam $x^m = Cy^n$ existente $m > n$.

Tertius regulae situs EF iterum ea puncta curvae exhibet, pro quibus est tam $x = 0$ quam $y = 0$, sed quorum tangentes sunt ad axem obliquae, earumque simul obliquitas indicatur.

Quartus regulae situs EK etiam nunc ea curvae puncta exhibet, pro quibus est tam $x=0$ quam $y = 0$; hinc vero concluditur tangentes curvae in his punctis esse ad axem perpendiculares, et natura curvae exprimitur parabola $y^m = Cx^n$ existente $m > n$.

49. Quintus regulae situs BC pro abscissa $x = 0$ praebet omnes finitos valores applicatae y, neque vero tangentes curvae in his punctis indicat.

Sextus regulae situs JG indicat posita abscissa $x = 0$, fieri applicatam y infinitam, ita ut recta ad axem in principio abscissarum normalis sit curvae asymtota, ideoque ramus hic curvae hyperbolicus, cujus natura accedat ad hujusmodi hyperbolam $x^m y^n = C$, ubi sit $n > m$.

Septimus regulae situs FG pariter indicat posito $x = 0$ fieri $y = \infty$, sicque ipsam hanc applicatam fore curvae asymtotam, ejusque ramum hyperbolicum ad naturam hyperbolae conicae $xy = C$ accedentem.

Octavus regulae situs KG quoque pro $x = 0$ praebet $y = \infty$, at rami curvae, qui ad hanc applicatam tanquam asymtotam convergunt, ad naturam hujusmodi hyperbolae $x^m y^n = C$ referuntur, ubi sit $m > n$.

50. Nonus regulae situs CD eos abscissae x valores finitos exhibet, quibus respondent applicatae y infinite magnae, haeque ergo erunt simul tangentes et asymtotae curvae. Natura autem hyperbolica, ad quam isti curvae rami pertineant, hinc non cognoscitur.

Decimus regulae situs GL declarat abscissis x infinite magnis respondere applicatas quoque infinite magnas, quae simul sint curvae tangentes, sed cum totae sint in infinitum dissitae, rami hi curvae non hyperbolici censentur, sed parabolici, atque ad hujusmodi naturam parabolicam accedunt $x^m = Cy^n$, ubi sit $m > n$.

Undecimus regulae situs GH pro abscissis x infinitis applicatas y pariter infinitas praebet, per hujusmodi aequationes $y = \alpha x$, ex quibus colligitur tangentem curvae ad axem fore obliquam. Verum hinc neque axis punctum, ubi tangens incidat, innotescit, neque natura rami curvae in infinitum extensi, sive sit hyperbolica, sive parabolica; posterius enim evenire potest, si duae pluresve radices fuerint aequales, ut §§ 40 et 43 est notatum.

Duodecimus regulae situs GM pariter ac bini praecedentes pro abscissis x infinitis applicatas y quoque infinitas ostendit per hujusmodi aequationes $y^m = Cx^n$ ubi $m > n$, hincque simul intelligitur tangentem curvae esse axi parallelam, ab eoque intervallo infinito remotam, ita ut rami curvae hinc resultantes sint parabolici.

51. Decimus tertius regulae situs DA pro abscissis x infinitis applicatas y finitae magnitudinis offert, unde colligitur rectas axi parallelas, quae ab eo intervallis $= y$ sint remotae, fore curvae tangentes ejusque asymtotas. Verum natura hyperbolica, ad quam isti curvae rami referantur, hinc non innotescit.

Decimus quartus regulae situs LE ad abscissas x infinitas refert applicatas y evanescentes, dum hujusmodi praebet aequationes $x^n y^m = C$ ubi $m > n$, eritque ergo ipse axis tangens curvae ejusque adeo asymtota, ac simul natura hyperbolica hujusmodi curvae ramorum innotescit.

Decimus quintus regulae situs HE hujusmodi praebet aequationes $xy = C$ pro abscissis x infinitis, quibus idcirco applicatas nihilo aequales respondere manifestum est. Erit ergo ipse axis tangens et asymtota curvae, cujus natura hyperbola conica exprimitur.

Decimus sextus denique regulae situs ME itidem pro abscissis infinitis x ostendit applicatas y evanescentes, per hujusmodi aequationes $x^m y^n = C$ existente $m > n$, ita ut axis quoque sit tangens et asymtota curvae, cujus natura hyperbolica hinc simul erit manifesta.

52. Quo hae conclusiones, quas singuli isti sedecim regulae situs suppeditant, clarius perspiciantur, in tabula subnexa pro unoquoque tam valores coordinatarum quam positionem tangentium, et curvae naturam, sive parabolicam, sive hyperbolicam, siquidem ex situ regulae innotescit, exhibeamus:

Situs regulae	Coordinatae		Tangentis inclinatio	Natura rami parabolica seu hyperbolica.
I. AB	$x = \text{fin.}$	$y = 0$	— —	— —
II. EJ	$x = 0$	$y = 0$	in axem incidit	$x^m = Cy^n$ ubi $m > n$
III. EF	$x = 0$	$y = 0$	ad axem obliqua	— —
IV. EK	$x = 0$	$y = 0$	ad axem perpend.	$y^m = Cx^n$ ubi $m > n$
V. BC	$x = 0$	$y = \text{fin.}$	— —	— —
VI. JG	$x = 0$	$y = \infty$	ad axem perpend.	$x^m y^n = C$ ubi $m < n$
VII. FG	$x = 0$	$y = \infty$	ad axem perpend.	$xy = C$
VIII. KG	$x = 0$	$y = \infty$	ad axem perpend.	$x^m y^n = C$ ubi $m > n$
IX. CD	$x = \text{fin.}$	$y = \infty$	ad axem perpend.	— —
X. GL	$x = \infty$	$y = \infty$	ad axem perpend.	$x^m = Cy^n$ ubi $m > n$
XI. GH	$x = \infty$	$y = \infty$	ad axem obliqua	— —
XII. GM	$x = \infty$	$y = \infty$	axi parallela	$y^m = Cx^n$ ubi $m > n$
XIII. DA	$x = \infty$	$y = \text{fin.}$	axi parallela	— —
XIV. LE	$x = \infty$	$y = 0$	in axem incidit	$x^m y^n = C$ ubi $m < n$
XV. HE	$x = \infty$	$y = 0$	in axem incidit	$xy = C$
XVI. ME	$x = \infty$	$y = 0$	in axem incidit	$x^m y^n = C$ ubi $m > n$

53. Hi igitur regulae situs omnia curvae puncta indicant, pro quibus alterutra coordinatarum vel evanescit vel in infinitum abit; quare si cum axe principali, in quo abscissae capiuntur, conjungatur alter axis, ad quem applicatae referuntur, quoniam hos duos axes inter se commutare licet, regulae situs omnia ea curvae puncta ostendunt, quae vel in alterutrum axem cadunt, vel intervallo infinito sunt remota. Atque haec investigatio aeque locum habet, sive ambo hi axes sint inter se normales, uti assumsimus, sive obliqui, quo posteriori casu eae tangentes, quae axi principali perpendiculares sunt inventae, alteri axi parallelae sunt dicendae. Ex quo perspicuum est, cum axes isti pro lubitu immutari queant, hac ratione per applicationem regulae ad parallelogrammum omnia curvae puncta assignari posse.

54. Neque vero, uti jam observavimus, ad omnia curvae puncta, quae hoc modo reperiuntur, simul tangentes ducere licet; excipiuntur namque ea, quae primus et quintus regulae situs exhibet: tum vero etiam pro iis, quae situs undecimus praebet, inclinatio quidem tangentis ad axem colligitur. Sed vera ejus positio, seu ejus concursus cum axibus hinc definiri nequit. Denique natura curvae circa haec puncta, quae hoc modo reperiuntur, seu aequatio vel parabolica vel hyperbolica ejus indolem proxime exprimens, non ex omnibus regulae sitibus colligi potest, excipiuntur enim situs I, III, V, IX, XI et XIII. Sed quomodo hi defectus per relationem curvae ad alios axes suppleri possint, jam clare exposuimus. Diligentius vero etiam hanc indagationem evolvere conabimur in sequentibus capitibus, ubi accuratius in naturam linearum curvarum, calculo differentiali in subsidium vocato, inquiremus.

Caput V.

De inventione ramorum in infinitum extensorum.

1. Si pars quaepiam lineae curvae in infinitum extenditur, ejus puncta a principio axis intervallo infinito distant, quaecunque etiam linea recta pro axe assumatur. Hinc si abscissae x, quibus rami infiniti respondent, vel evanescant, vel sint finitae magnitudinis, applicatae y necessario erunt infinite magnae; ac vicissim, si applicatae sint vel evanescentes vel infinitae, abscissae erunt infinite magnae. Saepenumero etiam evenit, ut tam abscissae quam applicatae in finitum abeant. Quare quacunque linea recta pro axe assumta, omnes curvae rami in infinitum excurrentes invenientur, si coordinatarum x et y vel altera vel utraque infinita ponatur. Sic in enumeratione situum regulae circa finem capitis praecedentis facta, sextus cum sequentibus omnibus ramos in infinitum extensos indicat.

2. Quanquam autem haec ramorum in infinitum extensorum inventio in capite praecedente jam exposita videtur, ubi per regulae applicationem ad parallelogrammum Newtonianum indolem eorum curvae ramorum, pro quibus vel alterutra coordinatarum vel utraque in infinitum abit, investigavimus, tamen saepenumero accuratiori investigatione opus est, cum ad veram tangentis positionem, tum ad naturam ipsam illius curvae portionis definiendam, uti jam supra innuimus. Quin etiam fieri potest, qui casus imprimis sunt notandi, ut per situm regulae ramus curvae in infinitum extensus indicetur, qui tamen si reliquorum aequationis terminorum ratio simul habeatur, fiant imaginarii. Denique usus parallelogrammi ante expositus tantum ad curvas algebraicas, quarum aequationes ad rationalitatem jam sint perductae, patet; unde si aequatio vel irrationalitate sit implicata, vel adeo transcendens, peculiari methodo opus erit ad hoc negotium expediendum.

3. Quoties curva est algebraica ejusque aequatio ad rationalitatem revocata, parallelogrammum Newtonianum summa cum utilitate adhiberi potest, non solum ad veram tangentis positionem et curvae naturam pro iis quoque casibus eruendam, quibus superior methodus insufficiens est visa, nisi axis curvae immutetur, sed etiam ejus ope eos casus dignoscere licebit, quibus rami infiniti, qui primo intuitu per situm regulae indicari videntur, fiunt imaginarii. Dari autem hujusmodi casus, unico exemplo curvae hac aequatione expressae $(yy-ax)^2+aayy+a^4=0$ probasse sufficiat, pro qua ex parallelogrammo eliciuntur rami in infinitum extensi, quorum natura exprimatur aequatione $yy-ax=0$, cum tamen ex tota aequatione appareat nullam plane linearum curvarum ei respondere: reperitur enim $yy-ax=a\sqrt{-(aa+yy)}$, ita ut nulli plane applicatae y abscissa realis respondeat.

4. Intelligitur ergo ad naturam curvae in infinitum expansae accuratius investigandam, eorum quoque aequationis terminorum, qui prae iis, quos regula trajicit, erant neglecti, rationem esse habendam; si quis enim horum terminorum, etiamsi pro infinite parvis haberi queant, imaginaria involvat, tota aequatio imaginaria erit censenda. Sic etsi posito x infinito, in hac aequatione $y=\frac{a}{x}+\frac{b}{xx}$ terminus $\frac{b}{xx}$ prae $\frac{a}{x}$ rejici queat, ita ut haec aequatio casu $x=\infty$ congruere existimari possit cum hac $y=\frac{a}{x}$, tamen si terminus rejectus seu ejus coëfficiens b sit imaginarius, tota aequatio fiet imaginaria, atque applicatae abscissis infinitis respondentes erunt imaginariae, neque ergo hoc casu aequatio $y=\frac{a}{x}$ ad curvae indolem investigandam adhiberi poterit. — — — — —

XIX.

Problematis ex theoria maximorum et minorum solutio.

Problema. (Fig. 48) *Super recta* AB *constituere triangulum* AOB, *ut si ex dato puncto* V *in sublimi posito ducantur rectae* VA, VB *et* VO, *sit summa binorum triangulorum* AVO + BVO *minima.*

Solutio. Ex V in planum trianguli quaesiti demittatur perpendiculum VC, et ex C in rectas quaesitas AO et BO productas agantur perpendiculares CP et CQ: erunt rectae VP et VQ in easdem perpendiculares. Hinc colligitur area $\Delta\ AVO = \frac{1}{2} AO \,.\, VP$ et $\Delta\ BVO = \frac{1}{2} BO \,.\, VQ$, ideoque minimum effici oportet

$$AO\sqrt{(CV^2 + CP^2)} + BO\sqrt{(CV^2 + CQ^2)}.$$

Statuamus nunc rectas datas $CA = a$, $CB = b$, $AB = c$ et $CV = h$, itemque angulos datos $CAB = \alpha$ et $CBA = \beta$, hincque quaeramus binos angulos $BAO = \mu$, $ABO = \nu$, ideoque $AON = BOM = \mu + \nu$, unde colligimus

$$AO = \frac{c \sin \nu}{\sin(\mu + \nu)} \text{ et } BO = \frac{c \sin \mu}{\sin(\mu + \nu)},$$

et ob angulos $CAP = \alpha - \mu$ et $CBQ = \beta - \nu$ fit

$$CP = a \sin(\alpha - \mu) \text{ et } CQ = b \sin(\beta - \nu)$$

quare ob c constans minimum esse debet

$$\frac{\sin \nu \sqrt{(hh + aa \sin^2(\alpha - \mu))}}{\sin(\mu + \nu)} + \frac{\sin \mu \sqrt{(hh + bb \sin^2(\beta - \nu))}}{\sin(\mu + \nu)},$$

cujus ergo formulae differentiale, positis μ et ν variabilibus, nihilo est aequandum. Est vero

$$d \,.\, \frac{\sin \nu}{\sin(\mu + \nu)} = \frac{d\nu \cos \nu}{\sin(\mu + \nu)} - \frac{(d\mu + d\nu) \sin \nu \cos(\mu + \nu)}{\sin^2(\mu + \nu)} = \frac{d\nu \sin \mu - d\mu \sin \nu \cos(\mu + \nu)}{\sin^2(\mu + \nu)},$$

$$d \,.\, \frac{\sin \mu}{\sin(\mu + \nu)} = \frac{d\mu \cos \mu}{\sin(\mu + \nu)} - \frac{(d\mu + d\nu) \sin \mu \cos(\mu + \nu)}{\sin^2(\mu + \nu)} = \frac{d\mu \sin \nu - d\nu \sin \mu \cos(\mu + \nu)}{\sin^2(\mu + \nu)}.$$

Tum vero posito $\sqrt{(hh + aa \sin^2(\alpha - \mu))} = P$ et $\sqrt{(hh + bb \sin^2(\beta - \nu))} = Q$ erit differentiando

$$dP = \frac{-aa\,d\mu \sin(\alpha - \mu) \cos(\alpha - \mu)}{P} \text{ et } dQ = \frac{-bb\,d\nu \sin(\beta - \nu) \cos(\beta - \nu)}{Q},$$

quibus valoribus substitutis prodit differentiale nihilo aequandum

$$+\frac{Pd\nu\sin\mu - Pd\mu\sin\nu\cos(\mu+\nu)}{\sin^2(\mu+\nu)} - \frac{aad\mu\sin\nu\sin(\alpha-\mu)\cos(\alpha-\mu)}{P\sin(\mu+\nu)},$$

$$+\frac{Qd\mu\sin\nu - Qd\nu\sin\mu\cos(\mu+\nu)}{\sin^2(\mu+\nu)} - \frac{bbd\nu\sin\mu\sin(\beta-\nu)\cos(\beta-\nu)}{Q\sin(\mu+\nu)} = 0,$$

ubi termini elementis $d\mu$ et $d\nu$ affecti seorsim evanescentes reddi debent, ita ut hae binae obtineantur aequationes finitae per $\sin^2(\mu+\nu)$ multiplicando

$$\text{I.}\quad P\sin\mu - Q\sin\mu\cos(\mu+\nu) - \frac{bb\sin\mu\sin(\mu+\nu)\sin(\beta-\nu)\cos(\beta-\nu)}{Q} = 0,$$

$$\text{II.}\quad Q\sin\nu - P\sin\nu\cos(\mu+\nu) - \frac{aa\sin\nu\sin(\mu+\nu)\sin(\alpha-\mu)\cos(\alpha-\mu)}{P} = 0.$$

Formetur hinc ista combinatio $\text{I.}\frac{Q}{\sin\mu} - \text{II.}\frac{P}{\sin\nu}$, proditque

$$(PP-QQ)\cos(\mu+\nu)\begin{matrix} -bb\sin(\mu+\nu)\sin(\beta-\nu)\cos(\beta-\nu) \\ +aa\sin(\mu+\nu)\sin(\alpha-\mu)\cos(\alpha-\mu) \end{matrix} = 0,$$

at est $PP-QQ = aa\sin^2(\alpha-\mu) - bb\sin^2(\beta-\nu)$, ideoque

$$aa\sin(\alpha-\mu)(\cos(\mu+\nu)\sin(\alpha-\mu)+\sin(\mu+\nu)\cos(\alpha-\mu)) =$$
$$bb\sin(\beta-\nu)(\cos(\mu+\nu)\sin(\beta-\nu)+\sin(\mu+\nu)\cos(\beta-\nu))$$

quae aequatio per reductionem sinuum abit in hanc

$$aa\sin(\alpha-\mu)\sin(\alpha+\nu) = bb\sin(\beta-\nu)\sin(\beta+\mu);$$

cujus vis quo distinctius perspiciatur, notetur in figura esse

$$\alpha-\mu = CAM,\ \alpha+\nu = CNB,\ \beta-\nu = CBN,\ \beta+\mu = CMA,$$

unde manifestum est fore

$$\frac{\sin(\alpha-\mu)}{\sin(\beta+\mu)} = \frac{\sin CAM}{\sin CMA} = \frac{CM}{CA} \quad\text{et}\quad \frac{\sin(\beta-\nu)}{\sin(\alpha+\nu)} = \frac{\sin CBN}{\sin CNB} = \frac{CN}{CB},$$

aequatio ergo nostra $\frac{aa\sin(\alpha-\mu)}{\sin(\beta+\mu)} = \frac{bb\sin(\beta-\nu)}{\sin(\alpha+\nu)}$ fit $CA.CM = CB.CN$ seu $CA:CB = CN:CM$, ita ut recta MN futura sit rectae AB parallela. Atque hinc porro concludere licet, si ex C per punctum O recta ducatur COJ, ab ea rectam AB bisectum iri, quod cum non sit adeo obvium, ita ostenditur.

Ob intersectionem rectarum AM et CJ in puncto O est

$$AJ:OJ = AB.CM:BM.CO,$$

similique modo ob rectarum BN et JC intersectionem in O

$$BJ:OJ = AB.CN:AN.CO,$$

unde alternando et multiplicando fit

$$AJ:BJ = CM.AN:CN.BM.$$

At ob rectam MN ipsi AB parallelam est

$$CM:CN = BM:AN \quad\text{seu}\quad CM.AN = CN.BM$$

ideoque $AJ = BJ$. Sicque unam conditionem jam elicuimus, qua novimus punctum quaesitum O in rectam OJ, qua AB bisecatur, cadere.

Solutionis pars altera. Restat ergo, ut conditio haec inventa in altera aequationum supra inventarum substituatur, indeque ambo anguli incogniti μ et ν, quorum jam quaedam relatio constat, determinentur: hoc autem modo in calculos nimis intricatos delaberemur, quam ut inde solutio commoda derivari posset. Expediet ergo novam resolutionem huic conditioni, quod punctum quaesitum O certo in recta CJ lineam datam AB bisecante reperitur, superstruere.

Fig. 49. In hac ergo recta CJ sit O punctum quaesitum. Ex A et B in eam demittantur perpendicula AF et BG, atque ob $AJ = BJ$ erit tam $AF = BG$ quam $JF = JG$. In calculum igitur introducamus has quantitates cognitas: $CJ = e$, $AF = BG = f$, $JF = JG = g$ et altitudinem $CV = h$. Tum vero sit intervallum quaesitum $JO = z$, erit $CO = e - z$. Hinc ob $OF = z + g$ et $OG = z - g$ habebitur

$$AO = \sqrt{(ff + (z+g)^2)} \quad \text{et} \quad BO = \sqrt{(ff + (z-g)^2)}$$

simulque perpendicula ex C in rectas AO et BO demissa sic facile obtinentur

$$AO : AF = CO : CP \quad \text{et} \quad BO : BG = CO : CQ, \text{ ut sit}$$

$$CP = \frac{f(e-z)}{AO} \quad \text{et} \quad CQ = \frac{f(e-z)}{BO},$$

unde fit $AO \,.\, VP = \sqrt{(hh \,.\, AO^2 + ff(e-z)^2)} = \sqrt{(ffhh + hh(z+g)^2 + ff(e-z)^2)}$

$$BO \,.\, VQ = \sqrt{(hh \,.\, BO^2 + ff(e-z)^2)} = \sqrt{(ffhh + hh(z-g)^2 + ff(e-z)^2)}$$

quorum productorum summa debet esse minima.

Ad calculum contrahendum statuamus

$$ffhh + gghh + eeff = E, \quad ff + hh = F,$$
$$eff - ghh = G, \quad eff + ghh = H,$$

ut haec expressio minima sit efficienda

$$\sqrt{(E - 2Gz + Fzz)} + \sqrt{(E - 2Hz + Fzz)},$$

unde differentiando colligimus

$$\frac{Fz - g}{\sqrt{(E - 2Gz + Fzz)}} + \frac{Fz - H}{\sqrt{(E - 2Hz + Fzz)}} = 0$$

et irrationalitate sublata

$$(G - Fz)^2 (E - 2Hz + Fzz) = (H - Fz)^2 (E - 2Gz + Fzz),$$

quae evoluta praebet

$$\left.\begin{aligned} EGG &- 2GGHz + FGGzz \\ - 2EFGz &+ 4FGHzz - 2FFGz^3 \\ + EFFzz &- 2FFHz^3 + F^3z^4 \end{aligned}\right\} = \left\{\begin{aligned} EHH &- 2GHHz + FHHzz \\ - 2EFHz &+ 4FGHzz - 2FFHz^3 \\ + EFFzz &- 2FFGz^3 + F^3z^4 \end{aligned}\right.$$

et contrahitur in hanc formam

$$E(GG - HH) - 2(GGH + EFG - GHH - EFH)z + F(GG - HH)zz = 0.$$

Facta divisione per $G - H$ nanciscimur

$$E(G+H)-2(GH+EF)z+F(G+H)z^2=0$$

et radice extracta

$$z=\frac{GH+EF\pm\sqrt{(EF-GG)(EF-HH)}}{F(G+H)}.$$

Jam vero est

$$F=ff+hh,\qquad G+H=2eff,\qquad EF=eeff(ff+hh)+hh(ff+gg)(ff+hh)$$

$$GH=eef^4-ggh^4,\quad GG=eef^4-2effghh+ggh^4,\quad HH=eeff^4+2effghh+ggh^4$$

unde fit $GH+EF=ff(2eeff+eehh+ffhh+gghh+h^4)$

$EF-GG=ffhh((e+g)^2+ff+hh)$

$EF-HH=ffhh((e-g)^2+ff+hh)$ sicque elicitur

$$z=\frac{2eeff+eehh+ffhh+gghh+h^4\pm hh\sqrt{(ff+hh+(e+g)^2)(ff+hh+(e-g)^2)}}{2e(ff+hh)},$$

hincque porro $CO=\dfrac{hh(ee-ff-gg-hh)\pm hh\sqrt{(ff+hh+(e+g)^2)(ff+hh+(e-g)^2)}}{2e(ff+hh)}.$

Transferamus has expressiones in figuram, huncque in finem ad CJ normaliter jungatur recta DE, in quam ex A et B demittantur perpendicula AD et BE junganturque VD et VE. Cum nunc sit $CV=h$, $CD=CE=f$, erit $DV=EV=\sqrt{(ff+hh)}$, $AD=e+g$, $BE=e-g$, hincque

$$AV=\sqrt{(ff+hh+(e+g)^2)},\quad BV=\sqrt{(ff+hh+(e-g)^2)}$$

et $AD.BE=ee-gg$. Ergo ob $CJ=e$ habebitur

$$CO=\frac{CV^2}{2CJ}\cdot\frac{AD.BE-DV.EV\pm AV.BV}{DV.EV},$$

ubi perspicuum est rationem triangulorum ADV et BEV praecipue teneri, quae ad D et E sunt rectangula. Quodsi ergo vocentur anguli $DAV=\delta$ et $EBV=\varepsilon$, erit

$$DV=AV\sin\delta,\ AD=AV\cos\delta\ \text{ atque }\ EV=BV\sin\varepsilon,\ BE=BV\cos\varepsilon,$$

quibus introductis conficitur

$$CO=\frac{CV^2}{2CJ}\cdot\frac{\cos\delta\cos\varepsilon-\sin\delta\sin\varepsilon\pm1}{\sin\delta\sin\varepsilon}=\frac{CV^2}{2CJ}\cdot\frac{\cos(\delta+\varepsilon)\pm1}{\sin\delta\sin\varepsilon}.$$

Duplex igitur hinc nascitur solutio

$$\text{I. } CO=\frac{CV^2}{CJ}\cdot\frac{\cos^2\left(\frac{\delta+\varepsilon}{2}\right)}{\sin\delta\sin\varepsilon},\qquad \text{II. } CO=-\frac{CV^2}{CJ}\cdot\frac{\sin^2\left(\frac{\delta+\varepsilon}{2}\right)}{\sin\delta\sin\varepsilon},$$

quarum prior dat punctum O inter puncta C et J, uti problema postulat; posterior vero praebet punctum O in recta JC ultra C producta, cui quidem etiam minimum convenit, sed non tale, quale in quaestione desideratur, quia aequatio inventa etiam quaestionem resolvit, ubi differentia triangulorum AVO et BVO minima quaereretur. Quocirca sola solutio prior locum habere est censenda.

Coroll. 1. Si ergo ponamus $ff+hh=kk$ erit

$$z=e-\frac{hh}{2ekk}(ee-gg-kk+\sqrt{(kk+(e+g)^2)(kk+(e-g)^2)})$$

unde patet si altitudo $CV=h$ evanescat, fore $z=e$, seu punctum O in C cadere, quo casu utique ambo triangula AVO et BVO evanescunt.

Coroll. 2. Sin autem altitudo $CV = h$ fiat infinita, quo casu etiam $k = \infty$ et $\frac{hh}{kk} = 1$, tum formula irrationalis fit

$$\sqrt{(k^4 + 2(ee + gg)kk)} = kk + ee + gg$$

ideoque $z = e - \frac{hh}{2ekk} \cdot 2ee = 0$. Punctum scilicet O in J cadit; unde perspicuum est, quemcunque altitudo h valorem finitum sortiatur, punctum O inter C et J cadere.

Coroll. 3. Aequatio quadratica primum inventa praebet

$$E + Fzz = \frac{2(GH + EF)z}{G + H}.$$

Hinc fit

$$E - 2Gz + Fzz = \frac{2(EF - GG)z}{G + H} = \frac{hh}{e}(kk + (e + g)^2)z,$$

$$E - 2Hz + Fzz = \frac{2(EF - HH)z}{G + H} = \frac{hh}{e}(kk + (e - g)^2)z,$$

omnino tolli $\cot r$, propterea quod sit $\operatorname{tang} r = \frac{dq}{dp}$; hinc enim etiam ratio differentialium dt et du quantitatem $\cot r$ involvet, sed quomodo? Supra invenimus $u\sqrt{(1-pp-qq)} = 1-qq$, $(1+tt)(1-pp-qq) = (1-pp)(1-qq)$, $(1+tt)\sqrt{(1-pp-qq)} = u(1-pp)$, $\frac{1+tt}{u} = \frac{u(1-pp)}{1-qq}$, $\frac{(1+tt)(1-qq)}{uu} = 1-pp$, $pp = 1-\frac{(1+tt)(1-qq)}{uu}$, $1-pp-qq = \frac{1+tt-qq(1+tt+uu)}{uu}$, $1+tt-qq(1+tt+uu) = 1-2qq+q^4$, unde pro determinando q haberetur haec aequatio

$$q^4 - qq(1-tt-uu) = tt$$

Unde patet praestare loco t et u valores per p et q introducere, uti fecimus, ubi ob $dp = dq\cot r$ statim se prodidit criterium quaesitum.

Notatu etiam dignum est, quod prodeat $d\varphi = -\frac{tdq}{q(1-qq)}$, ubi jam neque p neque u inest, ita ut ex relatione $\frac{d\varphi}{dq} = s$ habeatur $t = -sq(1-qq)$.

A. m. T. I. p. 37 — 41.

XXIV.

Supplementum editi A. MDCCCXLIII Commercii epistolici

(Correspondance mathém. et phys. St.-Pétersb. 1843. 8°. T. I. II),

varias ipsius Ill. Euleri litteras, postea detectas, ac hucusque ineditas, continens.

A. Sex litterae ad Nicolaum Bernoullium II, Basileensem, J. U. D.*) datae 1742 ad 1745.

1.

Viro Consultissimo atque Amplissimo Nicolao Bernoulli S. P. D. Leonhardus Euler.

Cum acutissimum ingenium Tuum semper plurimum sum veneratus, tum me Tibi, Vir Celeberrime, maxime obligatum agnosco, quod non solum olim insigni me benevolentia sis complexus, sed etiam mea qualiacunque inventa mathematica digna judicaveris, quae examini Tuo exquisitissimo subjiceres. Ne igitur graveris gratiarum actionem debitam, etsi sero, tamen ex animo officii plenissimo profectam benevole accipere, vehementer etiam atque etiam rogo. Ad hoc peropportunam occasionem mihi praebuit Vir Clarissimus Hagnauer J. U. D. qui hinc in Patriam reversus a me litteras commendatorias petiit ad universitatis nostrae proceres, praecipue Jureconsultos: quem itaque Virum Tibi, Vir Consultissime, tantum commendo, quantum mea commendatio valere potest.

Profundissima Tua investigatio summae seriei $1+\frac{1}{4}+\frac{1}{9}+\frac{1}{16}+$ etc. quam sextanti quadrati ipsius π, denotante $1:\pi$ rationem diametri ad peripheriam, aequalem inveneram, non solum me maximo affecit gaudio, sed etiam universa Academia Petropolitana auctoritatem Commentariorum plurimum amplificari est arbitrata, si illud schediasma Tuum insereretur: id itaque Tomo IX esse insertum aegre haud feres, cujus Classis Mathematica, cum Petropoli abirem, jam typis erat expressa. Sine dubio jam inspexisti methodum meam, qua summas hujusmodi serierum altioris cujusque potestatis paris definivi, quamque ex divisoribus aequationis infiniti gradus derivavi. Interim tamen fateri cogor, nisi consensum summarum illarum cum veritate aliunde essem expertus, me non ausum fuisse eas pro veris venditare. Cum enim aequationis illius infinitae

$$x = s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.}$$

inter arcum circuli s ejusque sinum x, a posteriori infinitas radices ipsius s cognoscerem, dubius tamen haerebam, an ista aequatio non alias radices imaginarias, praeter assignatas, involveret, quod si usu veniret, summae inventae cum veritate consistere non possent. Quamquam autem nunc quidem demonstrare possum, hanc expressionem

---

*) Filium Nicolai, summorum geometrarum Jacobi et Johannis fratris, auctorem tractatus *De Arte conjectandi in jure*, natum d. 10 Octobr. 1687, mortuum d. 29 Novembr. 1759.

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \frac{s^7}{5040} + \text{ etc.}$$

(quoniam ad hoc binomium

$$\frac{\left(1 + \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n - \left(1 - \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n}{2\sqrt{-1}}$$

reducitur, existente n numero infinito, atque hujusmodi binomiorum omnes divisores assignari possunt), esse productum ex his factoribus

$$s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{9\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{16\pi\pi}\right) \text{ etc.}$$

unde in genere hujus seriei

$$1 + \frac{1}{2^m} + \frac{1}{3^m} + \frac{1}{4^m} + \text{ etc.}$$

summa, si m fuerit numerus par, exhiberi potest. Tamen huic methodo aliam magis genuinam, a me nuper detectam, praefero, quam sublimi judicio Tuo, Vir Amplissime, omni observantia submitto.

Quaesivi per solitas integrationis regulas integrale hoc

$$\int \frac{x^{p-1}dx}{1 + x^q},$$

idque partim a logarithmis partim a quadratura circuli ita pendere deprehendi, ut si addatur

$$\int \frac{x^{q-p-1}dx}{1 + x^q},$$

in integrali summae partes a logarithmis pendentes se mutuo destruant, eae vero, quae quadraturam circuli postulant, duplicentur. Investigavi igitur integrale hujus formulae

$$\int \frac{x^{p-1} + x^{q-p-1}}{1 - x^q} \cdot dx$$

ita sumtum, ut evanescat posito $x = 0$; quo facto, posui $x = 1$, atque inveni integrale hoc casu ad hunc valorem

$$\frac{\pi}{q \sin A \frac{p\pi}{q}}$$

reduci, ubi π denotat circumferentiam circuli cujus radius $= 1$, in quo eodem circulo sinum arcus $\frac{p\pi}{q}$ accipi oportet. Simili modo demonstravi integrale hujus formae

$$\int \frac{x^{p-1} - x^{q-p-1}}{1 - x^q} \cdot dx$$

eodem casu, quo post integrationem ponitur $x = 1$, abire in

$$\frac{\pi \cos A \frac{p\pi}{q}}{q \sin A \frac{p\pi}{q}}.$$

Quodsi ergo illae formulae per series integrentur, atque tum ponatur $x = 1$, prodibunt duarum harum serierum summae:

$$\frac{\pi}{q \sin A \frac{p\pi}{q}} = \frac{1}{p} + \frac{1}{q-p} - \frac{1}{q+p} - \frac{1}{2q-p} + \frac{1}{2q+p} + \frac{1}{3q-p} - \frac{1}{3q+p} - \frac{1}{4q-p} + \text{ etc.}$$

$$\frac{\pi \cos A \frac{p\pi}{q}}{q \sin A \frac{p\pi}{q}} = \frac{1}{p} - \frac{1}{q-p} + \frac{1}{q+p} - \frac{1}{2q-p} + \frac{1}{2q+p} - \frac{1}{3q-p} + \frac{1}{3q+p} - \frac{1}{4q-p} + \text{ etc.}$$

Si igitur ponam $\frac{p}{q} = z$, quicunque valor tribuatur ipsi z, semper hae summae erunt veritati consentaneae:

$$\frac{\pi}{\sin A\pi z} = \frac{1}{z} + \frac{1}{1-z} - \frac{1}{1+z} - \frac{1}{2-z} + \frac{1}{2+z} + \frac{1}{3-z} - \text{ etc. et}$$

$$\frac{\pi \cos A\pi z}{\sin A\pi z} = \frac{1}{z} - \frac{1}{1-z} + \frac{1}{1+z} - \frac{1}{2-z} + \frac{1}{2+z} - \frac{1}{3-z} + \text{ etc.}$$

Cum veritate ergo consensus manebit, si differentientur quoties libuerit. Quare cum sit

$$d \,.\, \sin A\pi z = \pi dz \cos A\pi z, \quad \text{et} \quad d \,.\, \cos A\pi z = -\pi dz \sin A\pi z,$$

prodibunt, divisione per dz utrinque facta, sequentes series

$$\frac{\pi\pi \cos A\pi z}{(\sin A\pi z)^2} = \frac{1}{zz} - \frac{1}{(1-z)^2} - \frac{1}{(1+z)^2} + \frac{1}{(2-z)^2} + \frac{1}{(2+z)^2} - \frac{1}{(3-z)^2} - \text{ etc. et}$$

$$\frac{\pi\pi}{(\sin A\pi z)^2} = \frac{1}{zz} + \frac{1}{(1-z)^2} + \frac{1}{(1+z)^2} + \frac{1}{(2-z)^2} + \frac{1}{(2+z)^2} + \frac{1}{(3-z)^2} + \text{ etc.}$$

Inventis hoc modo summis serierum reciprocorum quadratorum, secunda differentiatio ad summas cuborum deducet, atque reperietur

$$\frac{\pi^3}{2 \sin A\pi z} + \frac{\pi^3 (\cos A\pi z)^2}{(\sin A\pi z)^3} = \frac{1}{z^3} + \frac{1}{(1-z)^3} - \frac{1}{(1+z)^3} - \frac{1}{(2-z)^3} + \frac{1}{(2+z)^3} + \text{ etc. et}$$

$$\frac{2\pi^3 \cos A\pi z}{(\sin A\pi z)^3} = \frac{1}{z^3} - \frac{1}{(1-z)^3} + \frac{1}{(1+z)^3} - \frac{1}{(2-z)^3} + \frac{1}{(2+z)^3} - \text{ etc.}$$

sicque ulterius pergendo ad summas quarumvis altiorum potestatum progredi licet.

Si haec, Vir Celeberrime, examine Tuo digna judices, id Te maxime rogo, ut me responsione dignari velis, quam vel Magnificus Vir Patruus Tuus, vel Filius ejus Celeb. ad me expedire haud gravabitur. Sin autem mihi sperare liceret, Tuo commercio directe frui, me Tibi devinctissimum agnoscerem. Unicum adhuc Te, Vir Celeberrime, rogatum velim, quoniam novi Claris. Wenzium Tibi familiarem esse, ut ex ipso scisciteris, utrum meam professionem Petropolitanam vacantem accipere non dubitaret: equidem jam de hoc nil certi polliceri audeo, quia nondum mihi constat, quantum praesentes perturbationes Academiam affecerint. De cetero, si maluerit in aliqua Universitate Regia provinciam Juris vel Matheseos obire, mihi persuasum habeo, me ejus commendatione apud nostros Academiarum Protectores magnam gratiam esse initurum. Me autem potissimum Tuo favori ac patrocinio plurimum commendo. Vale, Vir Amplissime, mihique fave. Dabam Berolini d. 16 Januarii A. 1742.

(Responsionem vide *Corresp. T. II. p.* 681.)

2.

Viro Consultissimo atque Celeberrimo N. B. S. P. D. L. E.

Nihil gratius mihi esse poterat, quam litteras meas per D^rem^ Hagenauer ad Te datas tam benevole a Te esse acceptas, mihique tam luculentum insignis Tui erga me favoris testimonium comparasse. Quamvis autem profundissimae Tuae meditationes de summatione serici

$$1 + \frac{1}{2^n} + \frac{1}{3^n} + \frac{1}{4^n} + \text{ etc.}$$

pariter ac de integratione formulae differentialis

$$\frac{x^{p-1} \pm x^{q-p-1}}{1 \pm x^q} \cdot dx$$

summo me gaudio affecerint, tamen vehementer doleo Te, aliis negotiis tantopere obrutum, tam parum temporis ad res in mathesi absconditissimas excolendas impendere posse, neque nisi rogatum, cum otium fueris nactus, quicquam suscipere solere. Quod si autem rogationes tantum apud Te, Vir Amplissime, valent, equidem de scientiae amplificatione maxime mereri videar, si Te frequenter rogarem, id quod lubentissime facerem, nisi Tibi rogator importunus videri vererer. Ego vero Te rogare non cessabo, quoniam tanta praemia in scientiae augmentum redundant, et ob hanc causam confido Te institutum hoc meum non aegre laturum, tantumque rogationi meae tribues, quantum voles et quantum otium permittet: ego certe quicquid a Te impetravero, lautissimi muneris loco habebo.

Quod igitur primum ad methodum Tuam summandi seriem

$$1+\frac{1}{4}+\frac{1}{9}+\text{ etc.}$$

attinet, quam Petropoli sum nactus, atque ob summum acumen communi Academiae suffragio Commentariis inserendam curavi, equidem nihil omnino invenire potui, quod contra eam objici posset, neque adeo causa erat nobis dubitandi num publicationem aegre sis laturus? Majoris autem erat momenti objectio, quae mihi facta est contra meam methodum ex serie

$$0=s-\frac{s^3}{6}+\frac{s^5}{120}-\text{ etc.}$$

petitam, quam etsi statim praevideram, tamen aliter initio tueri non potui, nisi monstrando, summas hac via inventas cum summis, quas varii approximandi modi suppeditant, apprime convenire. Omnino autem cunctae objectiones tolli mihi videbantur, si demonstrari posset, aequationem infinitam

$$0=s-\frac{s^3}{6}+\frac{s^5}{120}-\text{ etc.}$$

alias radices in se non complecti, nisi quas natura circuli indicaret. Quodsi enim fuerit

$$s-\frac{s^3}{6}+\frac{s^5}{120}-\text{ etc. }=s\left(1-\frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1-\frac{ss}{4\pi\pi}\right)\left(1-\frac{ss}{9\pi\pi}\right)\text{ etc.,}$$

seu

$$1-\frac{ss}{6}+\frac{s^4}{120}-\text{ etc. }=\left(1-\frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1-\frac{ss}{4\pi\pi}\right)\left(1-\frac{ss}{9\pi\pi}\right)\text{ etc.}$$

certe coëfficiens secundi termini $-\frac{1}{6}$ aequalis esse debet summae coëfficientium ipsius ss in singulis factoribus, seu

$$\frac{1}{6}=\frac{1}{\pi\pi}+\frac{1}{4\pi\pi}+\frac{1}{9\pi\pi}+\text{ etc.}$$

atque coëfficiens tertii termini $+\frac{1}{120}$ aequalis erit summae factorum ex binis terminis seriei

$$\frac{1}{\pi\pi},\ \frac{1}{4\pi\pi},\ \frac{1}{9\pi\pi},\text{ etc.};$$

hincque si hujus seriei duplum subtrahatur a quadrato seriei

$$\frac{1}{\pi\pi}+\frac{1}{4\pi\pi}+\text{ etc.}$$

remanebit series quadratorum singulorum terminorum

$$\frac{1}{\pi^4}+\frac{1}{4^2\pi^4}+\frac{1}{9^2\pi^4}+\text{ etc. }=\frac{1}{36}-\frac{2}{120}=\frac{1}{90},\quad\text{seu}\quad\frac{\pi^4}{90}=\frac{1}{1}+\frac{1}{4^2}+\frac{1}{9^2}+\text{ etc.}$$

Sin autem expressio

$$1-\frac{ss}{6}+\frac{s^4}{120}-\text{ etc.}$$

praeter hos factores indicatos, alios factores in se complecteretur, id quod in serie pro ellipsi mihi usu venire videtur, tum hoc ratiocinio nullae verae summationes obtineri possent. Quamobrem nulli dubio locus superesse mihi videbatur, si demonstraretur expressionem

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{ etc.}$$

esse productum ex his factoribus

$$s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{9\pi\pi}\right) \text{ etc.}$$

Demonstrationem autem hanc tandem ita sum adeptus, ut ostenderim hanc expressionem

$$1 - \frac{ss}{2} + \frac{s^4}{24} - \frac{s^6}{720} + \text{ etc.}$$

qua cosinus arcus s exhiberi solet, esse productum ex his factoribus

$$\left(1 - \frac{4ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{4ss}{9\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{4ss}{25\pi\pi}\right) \text{ etc.}$$

natum. Cum enim sit

$$1 - \frac{ss}{2} + \frac{s^4}{24} - \frac{s^6}{720} + \text{ etc.} = \frac{1}{2}\left(1 + \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n + \frac{1}{2}\left(1 - \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n, \quad \text{si} \quad n = \infty:$$

atque generatim hujus binomii: $a^n + b^n$ omnes factores sint contenti in

$$aa - 2ab \cos A \frac{2k-1}{n}\pi + bb$$

siquidem pro k omnes numeri integri substituantur: fiat

$$a = 1 + \frac{s\sqrt{-1}}{n} \quad \text{et} \quad b = 1 - \frac{s\sqrt{-1}}{n}, \quad \text{erit} \quad aa + bb = 2 - \frac{2ss}{nn} \quad \text{et} \quad 2ab = 2 + \frac{2ss}{nn},$$

hincque factor generalis formae

$$1 - \frac{ss}{2} + \frac{s^4}{24} - \frac{s^6}{720} + \text{ etc. erit } 1 - \frac{ss}{nn} - \left(1 + \frac{ss}{nn}\right)\cos A \frac{2k-1}{n}\pi,$$

seu ad formam $1 - pss$, cujusmodi omnes factores esse debent, reducto, erit

$$1 - \frac{ss}{nn}\left(\frac{1 + \cos A \frac{2k-1}{n}\pi}{1 - \cos A \frac{2k-1}{n}\pi}\right)$$

factor generalis illius expressionis, posito $n = \infty$. Quia vero est $n = \infty$, erit arcus $\frac{2k-1}{n}\pi$ infinite parvus, et idcirco

$$1 - \cos A \frac{2k-1}{n}\pi = \frac{(2k-1)^2\pi\pi}{2nn} \quad \text{et} \quad 1 + \cos A \frac{2k-1}{n}\pi = 2;$$

unde factor ille generalis fiet $1 - \frac{4ss}{(2k-1)^2\pi\pi}$. Quamobrem loco k substituendo successive omnes numeros integros fiet

$$1 - \frac{ss}{2} + \frac{s^4}{24} - \frac{s^6}{720} + \text{ etc.} = \left(1 - \frac{4ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{4ss}{9\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{4ss}{25\pi\pi}\right) \text{ etc.}$$

ideoque $\frac{1}{2} =$ summae terminorum

$$\frac{4}{\pi\pi}, \; \frac{4}{9\pi\pi}, \; \frac{4}{25\pi\pi}, \text{ etc.;}$$

$\frac{1}{24} =$ summae factorum ex binis his terminis; $\frac{1}{720} =$ summae factorum ex ternis, etc. unde summae potestatum cujusvis exponentis integri eorundem terminorum, seu seriei

$$1+\frac{1}{9^m}+\frac{1}{25^m}+\frac{1}{49^m}+\text{ etc.}$$

poterunt exhiberi. Possum itaque summas harum omnium serierum

$$1+\frac{1}{3^n}+\frac{1}{5^n}+\frac{1}{7^n}+\text{ etc.}$$

ac proinde etiam harum

$$1+\frac{1}{2^n}+\frac{1}{3^n}+\frac{1}{4^n}+\text{ etc.}$$

invenire, si quidem n sit numerus par. Sin autem n fuerit numerus impar, nunquam affirmavi me series has ad summas revocasse, quod ideo moneo, quoniam vidi Te, Vir Amplissime, in ea versari opinione, quasi etiam summas hujus seriei, si n sit numerus impar, assignare me posse putem. Hocque ipso dubium, quod circa alteram meam methodum attulisti, sponte evanescet. Praebet enim haec methodus utique pro omnibus potestatibus summas, at si exponentes fuerint impares, tum numeri tantum impares in denominatores ingrediuntur, atque signa alternatim sunt affirmativa et negativa. Scilicet omnes series, quas hoc modo summavi, in hac forma generali:

$$1+\left(-\frac{1}{3}\right)^n+\left(+\frac{1}{5}\right)^n+\left(-\frac{1}{7}\right)^n+\left(+\frac{1}{9}\right)^n+\left(-\frac{1}{11}\right)^n+\text{ etc.}$$

continentur. Seriem ergo

$$1+\frac{1}{2^3}+\frac{1}{3^3}+\frac{1}{4^3}+\frac{1}{5^3}+\text{ etc.}$$

adhuc ad summam revocare non potui, etiamsi jam pridem in hoc negotio elaboraverim; tantum quidem mihi constat ejus summam per π^3 exhiberi non posse, et suspicor fere $l2$ ejusve potestatem insuper ingredi. Multum quoque in hoc sum versatus, an summam seriei

$$x+\frac{xx}{4}+\frac{x^3}{9}+\frac{x^4}{16}+\frac{x^5}{25}+\text{ etc.}$$

aliis casibus praeter $x=\pm 1$ eruere possem: unicum vero quo $x=\frac{1}{2}$ adhuc sum nactus, invenique esse

$$1\cdot\frac{1}{2}+\frac{1}{4}\cdot\frac{1}{4}+\frac{1}{9}\cdot\frac{1}{8}+\frac{1}{16}\cdot\frac{1}{16}+\frac{1}{25}\cdot\frac{1}{32}+\text{ etc.}=\frac{\pi\pi}{12}-\frac{1}{2}(l2)^2.$$

Maxime autem sum admiratus operationes Tuas, per quas integrale formulae

$$\frac{x^{p-1}\pm x^{q-p-1}}{1\pm x^q}dx$$

cum in genere tum casu $x=1$, invenisti, quas sane difficillime comprehendere potuissem, nisi ipse tantopere in hac investigatione elaborassem. Si integranda sit formula differentialis $\frac{M}{N}dx$, in qua M et N functiones quascunque ipsius x rationales denotent, praecipuum quaestionis caput in eo versatur, ut fractio $\frac{M}{N}$ in ejusmodi simpliciores resolvatur, quarum denominatores sint binomiales formae $\alpha+\beta x$, numeratores vero constantes. Quam resolutionem ita instituo: Sit $p+qx$ factor denominatoris N, nempe $N=(p+qx)S$; sitque pars fractionis $\frac{M}{N}$ ex hoc factore orta $=\frac{A}{p+qx}$, et pars altera reliqua $=\frac{P}{S}$,

$$\text{erit}\quad \frac{P}{S}=\frac{M}{N}-\frac{A}{p+qx}=\frac{M(p+qx)-AN}{N(p+qx)}=\frac{M-AS}{S(p+qx)},\quad\text{ideoque}\quad P=\frac{M-AS}{p+qx}.$$

Quare cum P sit quantitas integra, erit $M-AS$ divisibilis per $p+qx$. Posito ergo

$$p+qx=0\quad\text{seu}\quad x=-\frac{p}{q},\quad\text{fiet}\quad M-AS=0,\quad\text{ideoque}\quad A=\frac{M}{S}=\frac{M(p+qx)}{N}.$$

Hujus autem fractionis, facto $x=-\frac{p}{q}$, tam numerator quam denominator evanescet, ex quo erit

$$A = \frac{(p + qx)\, dM + qMdx}{dN}.$$

Sit igitur $\frac{M}{N} = \frac{x^{p-1} \pm x^{q-p-1}}{1 \pm x^q}$;

et denominator habeat factorem $1 + \alpha x$, qui praebeat fractionem integrantem $\frac{A}{1 + \alpha x}$, erit

$$A = \frac{(1 + \alpha x)\, dM + \alpha M dx}{dN},$$

posito $x = -\frac{1}{\alpha}$; ideoque erit

$$A = \frac{\alpha M dx}{dN} = \frac{\alpha (x^{p-1} \pm x^{q-p-1})}{\pm q x^{q-1}} = \frac{\alpha}{q}\left(\left(-\frac{1}{\alpha}\right)^{p-q} \pm \left(-\frac{1}{\alpha}\right)^{-p}\right).$$

Hoc igitur modo inventis pro singulis fractionibus integrantibus numeratoribus, integralis partes elicui, quae cum essent imaginariae, binis colligendis ad quadraturam circuli sum deductus. Videtur autem mihi omnis aequatio algebraica non solum radicum imaginariarum numerum parem habere, sed etiam has ipsas radices ita comparatas, ut binae in se multiplicatae productum reale praebeant, quae proprietas mihi quidem verissima videtur, etiamsi eam generaliter demonstrare non valeam. Theorema nempe ita se habet: Ut omnis expressio algebraica $\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 +$ etc. quotcunque fuerit dimensionum, si non in factores simplices $p + qx$ omnes reales resolvi queat, ea saltem in factores trinomiales $p + qx + rxx$, qui omnes sint reales, semper resolubilis existat.

Probe autem agnosco, si aliunde demonstrari posset, esse

$$\sin A\,.\,\pi z = \pi z\,(1 - zz)\left(1 - \frac{1}{4}zz\right)\left(1 - \frac{1}{9}zz\right) \text{ etc.}$$

tum tanto apparatu integrationum non esse opus ad serierum memoratarum summas investigandas, sed eas immediate ex hac formula deduci posse. Inveni quidem jam pridem hanc ipsam expressionem pro $\sin A\,.\,\pi z$; at hoc ipsum ex summis illarum serierum jam cognitis concluseram: averem igitur methodum videre, qua ista pro sinu expressio independenter a seriebus his possit inveniri, quam ut mecum benevole communicare velis etiam atque etiam rogo. Usus autem sum his expressionibus

$$\sin A\,.\,\pi z = \pi z\,(1 - zz)\left(1 - \frac{1}{4}zz\right)\left(1 - \frac{1}{9}zz\right) \text{ etc.}$$

et

$$\cos A\,.\,\pi z = \left(1 - \frac{4}{1}zz\right)\left(1 - \frac{4}{9}zz\right)\left(1 - \frac{4}{25}zz\right) \text{ etc.}$$

ad logarithmos sinuum et cosinuum commode exhibendos, ipsis sinibus etiam incognitis. Dum autem haec scribo, video totum negotium huc reduci, ut demonstretur esse

$$\int \frac{x^{n-1}dx}{(1 - x)^n} = \frac{\pi}{\sin A.n\pi}$$

si post integrationem ponatur $x = 1$, id quod mihi demonstratu facilius videtur. Inveni enim complures non inelegantes formularum differentialium, quae alias inter se comparari non possunt, relationes casu quo post integrationem ponitur $x = 1$. Sic productum harum duarum formularum

$$\int \frac{x^{2f-1}dx}{\sqrt{(1 - x^{2g})}} \quad \text{et} \quad \int \frac{x^{2f+g-1}dx}{\sqrt{(1 - x^{2g})}}$$

si in utraque ponatur $x = 1$, erit $= \frac{\pi}{4fg}$: hinc pro curva elastica erit productum

$$\int \frac{dx}{\sqrt{(1 - x^4)}} \cdot \int \frac{xxdx}{\sqrt{(1 - x^4)}} = \frac{\pi}{4}.$$

Simili modo hoc theorema latius patens

$$\int\frac{x^{a-1}dx}{(1-x^b)^{1-m}}\cdot\int\frac{x^{a+mb-1}dx}{(1-x^b)^{1-n}}=\int\frac{x^{a-1}dx}{(1-x^b)^{1-n}}\cdot\int\frac{x^{a+nb-1}dx}{(1-x^b)^{1-m}}$$

semper locum habet, si post integrationem ponatur $x=1$, quicunque numeri loco a, b, m, n, substituantur.

Cum ante aliquot annos considerassem modum ex secantibus arcum circuli vero proxime investigandi, incidi forte in expressionem, quae circumferentiam circuli π, cujus diameter $=1$, proxime praebeat, neque tamen, id quod magnopere mirum videbatur, absolute erat vera. Denotet a numerum pro arbitrio assumtum integrum, ac ponatur

$$s=\frac{2a}{aa}+\frac{4a}{aa+1}+\frac{4a}{aa+4}+\frac{4a}{aa+9}+\ldots\ldots+\frac{4a}{aa+(a-1)^2}+\frac{2a}{aa+aa}$$

dico fore proxime

$$\pi=s+\frac{1}{2}\cdot\frac{1}{1.3a^2}-\frac{1}{6}\cdot\frac{1}{2^2.3.7.a^6}+\frac{5}{6}\cdot\frac{1}{2^4.5.11.a^{10}}-\frac{35}{2}\cdot\frac{1}{2^6.7.15.a^{14}}+\frac{43867}{42}\cdot\frac{1}{2^8.9.19.a^{18}}$$
$$-\frac{854513}{6}\cdot\frac{1}{2^{10}.11\,23.a^{22}}+\frac{76977927}{2}\cdot\frac{1}{2^{12}.13.27.a^{26}}-\text{ etc.}$$

neque enim, etiamsi haec series in infinitum continuetur, ad veritatem pervenitur; sed tamen, quo major accipitur numerus a, eo propius valor ipsius π reperitur. Caeterum fractiones illae, quae irregulares videntur: $\frac{1}{2}, \frac{1}{6}, \frac{5}{6}$, est. sunt alternae ex hac fractionum serie

$$\frac{1}{2}, \frac{1}{6}, \frac{1}{6}, \frac{3}{10}, \frac{5}{6}, \frac{691}{210}, \frac{35}{2}, \frac{3617}{30}, \frac{43867}{42}, \frac{1222277}{110}, \frac{854513}{6}, \frac{1181820455}{546}, \frac{76977927}{2}, \text{ etc.},$$

cujus seriei usum multifariam sum expertus in summatione serierum.

Ex his autem fractionibus formari possunt summae seriei

$$1+\frac{1}{2^n}+\frac{1}{3^n}+\frac{1}{4^n}+\text{ etc.},$$

si n fuerit numerus par quicunque. Hae namque summae ita progrediuntur

$$1+\frac{1}{2^2}+\frac{1}{3^2}+\frac{1}{4^2}+\text{ etc. }=\frac{1}{2}\cdot\frac{2^1\pi^2}{1.2\,3},\qquad 1+\frac{1}{2^4}+\frac{1}{3^4}+\frac{1}{4^4}+\text{ etc. }=\frac{1}{6}\cdot\frac{2^3\pi^4}{1.2.3.4.5},$$
$$1+\frac{1}{2^6}+\frac{1}{3^6}+\frac{1}{4^6}+\text{ etc. }=\frac{1}{6}\cdot\frac{2^5\pi^6}{1\,2\ldots.7},\qquad 1+\frac{1}{2^8}+\frac{1}{3^8}+\frac{1}{4^8}+\text{ etc. }=\frac{3}{10}\cdot\frac{2^7\pi^8}{1.2\ldots.9}.$$

Ope harum ergo fractionum summae istae ad potestatem 26 continuari possunt, atque ulterius continuari possent, si haec fractionum series magis produceretur. Legem autem progressionis harum fractionum non nimis difficilem inveni.

Deinde etiam hae fractiones occurrunt in expressione generali, qua summam cujusque seriei ex termino generali assignari docui. Sit enim series quaecunque proposita

$$\overset{1}{A}+\overset{2}{B}+\overset{3}{C}+\overset{4}{D}+\ldots\ldots+\overset{x}{X}=S$$

seriei scilicet, cujus terminus indici x respondens est $=X$, summa erit

$$S=\int Xdx+\frac{1}{2}X+\frac{1}{2}\cdot\frac{dX}{1.2.3.dx}-\frac{1}{6}\cdot\frac{d^3X}{1.2.3.4.5dx^3}+\frac{1}{6}\cdot\frac{d^5X}{1.2\ldots7dx^5}-\frac{3}{10}\cdot\frac{d^7X}{1.2\ldots.9dx^7}+\frac{5}{6}\cdot\frac{d^9X}{1.2\ldots.11dx^9}-\text{ etc.}$$

Dum autem hic de lege progressionum sermo est, non possum quin Te, Vir Excellentissime, consulam super serie quadam, quae in natura concinnam progressionis legem observare videtur, interim tamen ab aliis seriebus adhuc tractatis plurimum abhorret:

$$1+1n+2n^2+3n^3+5n^4+7n^5+11n^6+15n^7+22n^8+30n^9+42n^{10}+56n^{11}+\text{ etc.}$$

cujus quilibet coëfficiens indicat, quot variis modis exponens ipsius n per additionem produci possit. Sic coëfficiens ipsius n^5 est 7, quia 5 septem diversis modis per additionem resultare potest, nempe

$$5 = \overset{1}{5} = 4 \overset{2}{+} 1 = 3 \overset{3}{+} 2 = 3 + \overset{4}{1} + 1 = 2 + \overset{5}{2} + 1 = 2 + 1 \overset{6}{+} 1 + 1 = 1 + 1 + \overset{7}{1} + 1 + 1.$$

Oritur autem haec series per divisionem, si unitas dividatur per

$$(1-n)(1-n^2)(1-n^3)(1-n^4)(1-n^5) \text{ etc.}$$

quod productum, si actu evolvatur, dat hanc expressionem

$$1 - n - n^2 + n^5 + n^7 - n^{12} - n^{15} + n^{22} + n^{26} - n^{35} - \text{ etc.}$$

in quam quemadmodum exponentes progrediuntur ex natura seriei perspicere non potui, per inductionem autem conclusi alios exponentes non occurrere, nisi qui in formula $\frac{3xx \pm x}{2}$ continentur; hocque ita, ut potestas ipsius n habeat signum $+$, si ejus exponens ex numero pari pro x substituto nascatur.

Deinde etiam nuper ad hoc theorema sum deductus: Si fuerit

$$s = 1 + \frac{a}{n+1} + \frac{aa}{2n+1} + \frac{a^3}{3n+1} + \frac{a^4}{4n+1} + \frac{a^5}{5n+1} + \text{ etc.}$$

erit

$$\frac{ss}{2} = \frac{1}{2} + \frac{a}{n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1}\right) + \frac{aa}{2n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1} + \frac{1}{2n+1}\right) + \frac{a^3}{3n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1} + \frac{1}{2n+1} + \frac{1}{3n+1}\right) + \text{ etc.}$$

cujus veritas quidem per probationem, sed tamen difficulter elucet. Demonstrationem vero nonnisi per differentiationem et integrationem adornare possum. Posito enim $a = x^n$, quia est

$$s = 1 + \frac{x^n}{n+1} + \frac{x^{2n}}{2n+1} + \frac{x^{3n}}{3n+1} + \text{ etc.}$$

sit $$z = \frac{1}{2} + \frac{x^n}{n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1}\right) + \frac{x^{2n}}{2n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1} + \frac{1}{2n+1}\right) + \text{ etc.}$$

erit $$xxz = \frac{xx}{2} + \frac{x^{n+2}}{n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1}\right) + \frac{x^{2n+2}}{2n+2}\left(1 + \frac{1}{n+1} + \frac{1}{2n+1}\right) + \text{ etc.}$$

ergo $$\frac{d.xxz}{dx} = x + x^{n+1}\left(1 + \frac{1}{n+1}\right) + x^{2n+1}\left(1 + \frac{1}{n+1} + \frac{1}{2n+1}\right) + x^{3n+1}(1 + \text{etc.}) \text{ etc.} =$$

$$\frac{x + \frac{1}{n+1}x^{n+1} + \frac{1}{2n+1}x^{2n+1} + \frac{1}{3n+1}x^{3n+1} + \text{ etc.}}{1 - x^n} = \frac{sx}{1 - x^n}.$$

At ob $$sx = x + \frac{x^{n+1}}{n+1} + \frac{x^{2n+1}}{2n+1} + \text{ etc.},$$

erit $$\frac{d.sx}{dx} = 1 + x^n + x^{2n} + \text{ etc.} = \frac{1}{1 - x^n}, \text{ seu } \frac{dx}{1 - x^n} = d.sx.$$

Ergo $$d.xxz = \frac{sxdx}{1 + x^n} = sxd.sx,$$

et integrando $$xxz = \frac{1}{2}(sx)^2 = \frac{ssxx}{2}, \text{ ergo } z = \frac{ss}{2}.$$

De Clar. Wenzio ab Academia Petropolitana nihil etiamnum accepi, neque enim Imperatrix adhuc restaurationem Academiae confecit; et Curatores Regiarum Academiarum, qui me rogarunt ut ipsis viros in mathesi versatos indicarem, ex hoc tempore nihil amplius requisiverunt: dabo autem operam ut Ipsi mea commendatione utilis esse possim. Vale, Vir Amplissime, mihique favere perge. Berolini die 1 Septembr. 1742.

(V. respons. *Corresp. T. II. p.* 690.)

3.

Viro Celeberrimo atque Amplissimo N. B. S. P. D. L. E.

Quantopere me non solum delectent, sed etiam erudiant litterae Tuae acutissimis meditationibus refertae, verbis Tibi, Vir Celeberrime, vix exprimere possum; quamobrem quo majores Tibi debeo gratias, eo magis Te oro atque obsecro, ut ne graveris litteras meas frequentiores benigne accipere, meque profundissimis Tuis responsionibus exhilarere. Qua quidem petitione id tantum vereor, ne Tibi importunus videar, hincque rogationem meam repeto, ut plus mihi non tribuas, quam otium concesserit, Tibique persuadeas, etiam ea, quae Tibi levissima videantur, apud me plurimum ponderis habere.

Ac primo quidem non satis capio rationem, cur neges seriem

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.}$$

aequalam aestimari posse sinui arcus s, vel producto

$$s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right) \text{etc.}$$

nisi simul *ejus convergentia demonstretur.* Cum enim haec series

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.}$$

per legitimam integrationem inventa sit $= \sin s$, haec certe ejus erit summa, sive sit convergens sive divergens: sicque altera illa series $s - \frac{s^3}{6c^4} + \text{etc.}$ mihi quidem recte videtur sinum arcus elliptici s denotare, etiamsi sit divergens. Longe alia autem est quaestio, si quaeratur an series

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.} \quad \text{aequivaleat producto} \quad s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right) \text{etc.},$$

hic enim non sufficit monstrasse

$$1 - \frac{ss}{\pi\pi},\ 1 - \frac{ss}{4\pi\pi},\ \text{etc. esse divisores expressionis}\ s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.},$$

sed simul doceatur necesse est, eam alios divisores seu factores praeter hos assignatos non continere. Ita alterius expressionis ex ellipsi natae

$$s - \frac{s^3}{6c^4} + \text{etc. concedo factores esse}\ s,\ 1 - \frac{ss}{\pi\pi},\ 1 - \frac{ss}{4\pi\pi},\ \text{etc.},$$

sed nego in his formulis omnes omnino illius expressionis factores contineri; scilicet meo judicio praeter hos factores alii inerunt, ut $1 + \alpha ss$, $1 + \beta ss$, etc., ita ut sit

$$s - \frac{s^3}{6c^4} + \text{etc.} = s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right) \text{etc.} \ldots (1 + \alpha ss)(1 + \beta ss) \text{ etc.},$$

atque ob hos factores incognitos perperam inde concluderetur

$$\frac{1}{6c^4} = \frac{1}{\pi\pi} + \frac{1}{4\pi\pi} + \text{etc.},$$

cum ex natura aequationum revera sit

$$\frac{1}{6c^4} = \frac{1}{\pi\pi} + \frac{1}{4\pi\pi} + \frac{1}{9\pi\pi} + \text{etc.} \ldots - \alpha - \beta - \gamma - \text{etc.},$$

neque hic, si α, β, γ, etc. essent cognitae, absurdum sequeretur ullum. Atque hoc modo non divergentia seriei $s - \frac{s^3}{6c^4} + \text{etc.}$, sed ignoratio plurium, ac fortasse infinitorum factorum in causa est, cur non similia consectaria circa summationem serierum inde deduci queant. Quod caeterum haec series

$$s - \frac{s^3}{6} + \frac{s^5}{120} - \text{etc.}$$

aequalis sit producto

$$s\left(1 - \frac{ss}{\pi\pi}\right)\left(1 - \frac{ss}{4\pi\pi}\right) \text{ etc.}$$

jamdudum mihi constitit, ejusque demonstrationem habui cum innixam theorematī Cotesiano, tum secus; sed ita tamen, ut ipsa demonstratio mea hujus theorematis veritatem evinceret. Rogare itaque Te volui, Vir Celeberrime, annon magis popularem atque ex solis calculi integralis principiis petitam habeas demonstrationem? video autem Te simili modo hanc transformationem ex factoribus binomii

$$\left(\left(1 + \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n - \left(1 - \frac{s\sqrt{-1}}{n}\right)^n\right) : 2\sqrt{-1}$$

elicere, sine subsidio theorematis Cotesiani, quo ego sum usus idem subsidium vitans. Habeo enim methodum universalem factores trinomiales, seu duarum dimensionum ex qualibet expressione proposita eliciendi, quae simili fere negotio absolvitur, quo vulgo aequationes algebraicae tractari solent. Sit quantitas

$$A + Bx + Cx^2 + Dx^3 + \text{ etc.}$$

cujus quaeritur divisor trinomialis, quem quia potissimum ad ejusmodi divisores respicio, qui divisores simplices imaginarios involvant, pono $f - 2x\sqrt{fg}\,.\cos\varphi + gxx$, quo nihilo aequali posito, si brevitatis ergo fiat

$x = \sqrt{\frac{f}{g}}$, fit $x = \alpha\cos\varphi \pm \frac{\alpha}{\sqrt{-1}}\sin\varphi$, $x^2 = \alpha^2\cos 2\varphi \pm \frac{\alpha^2}{\sqrt{-1}}\sin 2\varphi$, $x^3 = \alpha^3\cos 3\varphi \pm \frac{\alpha^3}{\sqrt{-1}}\sin 3\varphi$,

et generaliter

$$x^n = \alpha^n\cos n\varphi \pm \frac{\alpha^n}{\sqrt{-1}}\sin n\varphi.$$

Quodsi ergo hi valores ambigui in quantitate proposita substituantur, ea evanescere debebit: fiet ergo ob signorum ambiguitatem tam $0 = A + B\alpha\cos\varphi + C\alpha^2\cos 2\varphi + \text{ etc.}$, quam $0 = B\alpha\sin\varphi + C\alpha^2\sin 2\varphi + \text{ etc.}$, ex quibus duabus aequationibus saepe satis expedite coëfficiens α et angulus φ definiri possunt, ita ut omnes divisores trinomiales innotescant. Sit v. g. proposita haec quantitas $a^n + x^n$, cujus factor trinomialis assumatur $f - 2x\sqrt{fg}\,.\cos\varphi + gxx$, seu $aa - 2\alpha x\cos\varphi + xx$. Habebuntur ergo hae duae aequationes $0 = a^n + \alpha^n\cos n\varphi$ et $0 = \alpha^n\sin n\varphi$, seu $\sin n\varphi = 0$, unde erit $n\varphi = 2i\pi$ vel $n\varphi = (2i-1)\pi$, denotante π arcum 180^0. Priori casu fit $\cos n\varphi = +1$, posteriori $\cos n\varphi = -1$; ex quo prior aequatio fit $0 = a^n - \alpha^n$,

$$\text{ideoque } \alpha = a \text{ et } \varphi = \frac{(2i-1)\pi}{n};$$

quamobrem formulae $a^n + x^n$ divisor erit

$$aa - 2ax\cos\frac{(2i-1)\pi}{n} + xx,$$

sumendo pro i numerum integrum quemcunque. Cum Tibi ante scripsissem, Vir Celeberrime, omnem expressionem algebraicam quotcunque dimensionum, si in factores simplices reales resolvi nequeat, eam saltem semper in factores trinomiales $\alpha + \beta x + \gamma xx$ reales resolubilem esse, expresse addidi me perfecte demonstrationis compotem non esse, sed tamen de hac propositione tam certum esse, ut de ejus veritate non dubitem. Demonstrationem tamen habeo rigorosam, si summa potestas quaternarium non excedat, quare cum exemplum quantitatis $x^4 - 4x^3 + 2xx + 4x + 4$ huc pertineat, a priori certus eram, eam in duos factores quadraticos esse resolubilem, quos etiam ex radicibus aequationis $x^4 - 4x^3 + 2xx + 4x + 4 = 0$, quae sunt

$$I.\, x = 1 + \sqrt{(2 + \sqrt{-3})},\quad II.\, x = 1 - \sqrt{(2 + \sqrt{-3})},\quad III.\, x = 1 + \sqrt{(2 - \sqrt{-3})},$$
$$IV.\, x = 1 - \sqrt{(2 - \sqrt{-3})}$$

elicui. Sunt enim I et III, itemque II et IV ita comparatae, ut earum tam summa quam productum fiat reale. Nam est

$$I + III = 2 + \sqrt{(2 + \sqrt{-3})} + \sqrt{(2 - \sqrt{-3})} = 2 + \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})},$$

$$\text{et } I.III = 1 + \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})} + \sqrt{7};$$

sicque expressio $x^4 - 4x^3 + 2xx + 4x + 4$ hos habet factores reales

$$xx - (2 + \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})})\,x + 1 + \sqrt{7} + \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})}$$

$$\text{et } xx - (2 - \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})})\,x + 1 + \sqrt{7} - \sqrt{(4 + 2\sqrt{7})}.$$

Si ergo similis resolutio perpetuo succedat, certum quoque foret, quod affirmavi, omnem formulam differentialem rationalem $\frac{Mdx}{N}$ concessa circuli et hyperbolae quadratura integrari posse. Cum igitur illud theorema, quod circa resolutionem cujusque expressionis algebraicae rationalis in factores trinomiales reales proposueram, tanti sit momenti, magnopere Te rogo, ut nonnihil temporis in id impendere velis, vel ejus veritatem evicturus, vel falsitatem ostensurus. A Mathematicis Gallis ante aliquot annos celebratum est theorema analyticum, quod ab auctore mox Bouguerianum mox Fontanianum appellabatur. Declarabatur autem in eo singularis proprietas formularum differentialium duas variabiles continentium, quae quidem sint ortae per differentiationem alicujus quantitatis finitae, at theorema quidem variis modis proponi potest; sic autem enunciabo: Si ex differentiatione quantitatis finitae, seu functionis ipsarum x et y, prodierit $Pdx + Qdy$, erit semper differentiale ipsius Pdx, posita sola y variabili, aequale differentiali ipsius Qdy, posita sola x variabili. Cum igitur de inventione hujus theorematis utilissimi inter se certarent, meque de eo certiorem facerent, statim quidem respondebam, hoc theorema jam pridem mihi notum fuisse, cum id jam in Tomo Comment. VII inter alia inseruissem, gloriam inventionis tamen non mihi, sed Tibi, Vir Amplissime, deberi. Memineram enim, Te olim, cum de trajectoriis orthogonalibus disceptaretur, verum hujus theorematis fundamentum exhibuisse. Cum enim quaestio esset de differentiali ipsius $\int Pdx$, si praeter x etiam a (tanquam parameter) variabilis ponatur, Tu demonstrasti differentiale quaesitum fore $Pdx + da\int Rdx$, existente Rda differentiali ipsius P sumto x constanti, quod jam est id ipsum theorema; de cujus inventione Domini Bouguer et La Fontaine inter se certabant, aliis tantum verbis expressum. Posito enim $\int Rdx = Q$, ut differentiale quaesitum sit $Pdx + Qda$, erit differentiale ipsius Pdx (posito a variabili tantum) $= Rdadx$, et differentiale ipsius Qda (posito x variabili tantum) erit $= Rdadx$, quoque ob $Q = \int Rdx$. Consequuntur autem ex hoc theoremate, quod Tibi acceptum est referendum, plurima insignia subsidia in calculo integrali, quae Ipse vel jam nosti vel facile prospicies.

Plurimum autem me delectarunt, quae de partitione numerorum (sic enim appellabat hoc problema Clar. Naudaeus, qui id mihi primum jam Petropoli proposuerat) mecum communicare voluisti. Per solutionem enim hujus problematis deductus sum ad seriem $1 + 1n + 2n^2 + 3n^3 + 5n^4 +$ etc., cujus occasione mihi tam praeclara et profunda perscribis. Problema autem mihi geminum proponebatur: I. Invenire quot variis modis datus numerus N in n partes inter se inaequales dispertiri possit; vel quot variis modis datus numerus N possit esse summa n numerorum inaequalium inter se. Sic numerus 50 dispertiri potest in 7 partes inaequales inter se 522 modis diversis. Alterum problema ita se habebat: II. Invenire quot variis modis datus numerus N dispertiri possit in n partes, non exclusis partibus aequalibus. Sic numerus 50 in septem partes sive aequales inter se, sive inaequales distribui potest 8946 modis. Ad solutionem prioris problematis formo expressionem

$$(1 + mz)\,(1 + m^2z)\,(1 + m^3z)\,(1 + m^4z) \text{ etc.}$$

quae per multiplicationem actualem explicata dabit sequentes series

$$\begin{array}{llllllll}
+1+mz & +m^2 z & + & m^3 z & + & m^4 z & + m^5 z + & \text{etc.}\\
+m^3 z^2 & +m^4 z^2 & + & 2m^5 z^2 & + & 2m^6 z^2 & + 3m^7 z^2 + & \text{etc.}\\
+m^6 z^3 & +m^7 z^3 & + & 2m^8 z^3 & + & 3m^9 z^3 & + 4m^{10}z^3 + & \text{etc.}\\
+m^{10}z^4 & +m^{11}z^4 & + & 2m^{12}z^4 & + & 3m^{13}z^4 & + 5m^{14}z^4 + & \text{etc.}\\
& & & \text{etc.} & & & &
\end{array}$$

hic ex natura genesis coëfficiens numericus cujusque termini indicat, quot variis modis exponens ipsius m in tot partes inaequales dispertiri possit, quot exponens ipsius z contineat unitates. Est vero

$$(1+mz)(1+m^2z)(1+m^3z)(1+m^4z) \text{ etc.} = 1 + \frac{mz}{1-m} + \frac{m^3z^2}{(1-m)(1-m^2)} + \frac{m^6z^3}{(1-m)(1-m^2)(1-m^3)} + \text{ etc.}$$

quod ita ostendo. Sit $(1+mz)(1+m^2z)(1+m^3z)(1+m^4z)$ etc. $= 1 + \alpha z + \beta z^2 + \gamma z^3 + \delta z^4 +$ etc. Jam loco z scribatur mz eritque $(1+m^2z)(1+m^3z)(1+m^4z)$ etc. $= 1 + \alpha mz + \beta m^2z^2 + \gamma m^3z^3 + \delta m^4z^4 +$ etc. quae ergo per $1+mz$ multiplicata priorem seriem $1+\alpha z+\beta z^2+$ etc. reproducere debet, unde valores coëfficientium $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc. determinantur. Cum igitur hoc pacto diversi exponentes ipsius z segregentur, problema prius pro quovis partium numero solvetur. Scilicet $\frac{m}{1-m}$ si evolvatur in $1m + 1m^2 + 1m^3 + 1m^4 +$ etc. quilibet coëfficiens 1 ostendit exponentem ipsius m unico modo ex una parte oriri, quod manifestum est. Simul vero indicat quemlibet numerum unico modo ex unitatibus meris produci posse. Expressio

$$\frac{m^3}{(1-m)(1-m^2)} = 1m^3 + 1m^4 + 2m^5 + 2m^6 + 3m^7 + 3m^8 + \text{ etc.}$$

hujus quilibet coëfficiens ostendit, quot variis modis exponens ipsius m in duas partes inaequales dispertiri possit; simul vero indicat, quot variis modis idem numerus ternario multatus ex his binis numeris 1 et 2 formari possit. Atque factore ipsius z^3, qui est

$$\frac{m^6}{(1-m)(1-m^2)(1-m^3)},$$

evoluto in $1m^6 + 1m^7 + 2m^8 + 3m^9 + 4m^{10} +$ etc. coëfficiens cujuslibet termini ostendit, quot variis modis exponens ipsius m dispertiri possit in tres partes inaequales, seu quot variis modis idem ipsius m exponens senario multatus ex numeris 1, 2, 3, componi queat. Generatim ergo problema de numero N in n partes inaequales partiendo resolvetur per explicationem formae

$$\frac{m^{\frac{n(n+1)}{2}}}{(1-m)(1-m^2)\ldots(1-m^n)}$$

donec ad terminum νm^N perveniatur, cujus coëfficiens ν quaesitum partitionum numerum monstrabit. Hinc plura sequuntur compendia hos partitionum numeros expedite inveniendi, et ex jam cognitis simplicioribus componendi. Sic si haec scriptio $(N)^{(n)}$ sumatur ad numerum partitionum indicandum, quem numerus N in n partes inaequales admittit, erit $(N)^{(n)} = (N-n)^{(n)} + (N-n)^{(n-1)}$, unde quilibet numerus ex additione duorum jam cognitorum oritur. Est autem $(N)^{(1)} = 1$, et si sit

$$N < \frac{n(n+1)}{2}, \text{ erit } (N)^{(n)} = 0, \text{ sin autem } N = \frac{n(n+1)}{2}, \text{ erit } (N)^{(n)} = 1.$$

Soluto hoc problemate priori solvitur et posterius, quo partitionum numerus in partes sive aequales sive inaequales postulatur. Evolvatur expressio

$$\frac{1}{(1-mz)(1-m^2z)(1-m^3z)(1-m^4z) \text{ etc.}}$$

et prodibit

$$\begin{array}{l}
1 + mz + m^2z + m^3z + m^4z + m^5z + m^6z + \text{etc.}\\
\quad + m^2z^2 + m^3z^2 + 2m^4z^2 + 2m^5z^2 + 3m^6z^2 + 3m^7z^2 + \text{etc.}\\
\quad + m^3z^3 + m^4z^3 + 2m^5z^3 + 3m^6z^3 + 4m^7z^3 + 5m^8z^3 + \text{etc}\\
\quad + m^4z^4 + m^5z^4 + 2m^6z^4 + 3m^7z^4 + 5m^8z^4 + 6m^9z^4 + \text{etc.}\\
\qquad\qquad \text{etc.}
\end{array}$$

ubi coëfficiens cujusque termini indicat, quot variis modis exponens ipsius m dispertiri possit in tot partes, quot exponens ipsius z continet unitates. Singulae autem series horizontales seorsim inveniuntur ex eo, quod

$$\frac{1}{(1-mz)(1-m^2z)(1-m^3z)\ \text{etc.}} = 1 + \frac{mz}{1-m} + \frac{m^2z^2}{(1-m)(1-m^2)} + \frac{m^3z^3}{(1-m)(1-m^2)(1-m^3)} + \text{etc}$$

quae aequalitas eodem quo ante modo ostenditur. Hinc si quaeratur, quot variis modis numerus N in n partes distribui possit, evolvatur expressio

$$\frac{m^n}{(1-m)(1-m^2)\ldots(1-m^n)}$$

donec perveniatur ad terminum νm^N, cujus coëfficiens ν quaesitum partitionum numerum indicabit. Cum igitur haec expressio eosdem praebeat coëfficientes numericos, quos praecedens, sequitur numerum N tot modis in n partes sive aequales sive inaequales distribui posse, quot modis numerus $N + \frac{n(n-1)}{2}$ in n partes inaequales distribui queat. Atque si per hanc scriptionem $(N)^{(n)}$ indicetur modorum numerus, quibus numerus N in n partes sive aequales sive inaequales dispertiri possit, erit $(N)^{(n)} = (N-n)^{(n)} + (N-1)^{(n-1)}$, unde tabula, qua hi partitionum numeri continentur, expedite quousque lubuerit continuari potest. Utrumque ergo problema reducitur ad inventionem harum serierum

	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X
1.	1 +	1 +	1 +	1 +	1 +	1 +	1 +	1 +	1 +	1
2.	1 +	1 +	2 +	2 +	3 +	3 +	4 +	4 +	5 +	5
3.	1 +	1 +	2 +	3 +	4 +	5 +	7 +	8 +	10 +	12
4.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	6 +	9 +	11 +	15 +	18
5.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	7 +	10 +	13 +	18 +	23
6.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	7 +	11 +	14 +	20 +	26
7.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	7 +	11 +	15 +	21 +	28
8.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	7 +	11 +	15 +	22 +	29
9.	1 +	1 +	2 +	3 +	5 +	7 +	11 +	15 +	22 +	30

etc.

Harum serierum plurimae leges progressionis dantur, uti attente eas inspicienti mox patebit. Continuavi autem eas facili negotio eousque, ut affirmare possim numerum 125 in 12 partes inter se inaequales distribui posse 64707 modis. Series autem $1 + 1 + 2 + 3 + 5 + 7 + 11 + 15 + 22 + 30 + 42 +$ etc. et inter horizontales est infinitesima et oritur terminis diagonaliter addendis. Observavi autem aliam proprietatem, cujus ope singulae series horizontales sine superiorum ope formari possunt ex seriebus quarum terminus generalis est

$$\frac{x(x+1)(x+2)(x+3)}{1.2.3.4}\ \text{etc.}$$

nempe ex serie $1 + 2 + 3 + 4 + 5 + 6 + 7 +$ etc.

oritur $1 + 1 + 2 + 2 + 3 + 3 + 4 +$ etc.

ubi bini termini inferioris seriei additi dant terminum superioris. Et ex

$$\begin{array}{rl} & 1+3+6+10+15+21+28+ \text{ etc.} \\ \text{oriuntur I.} & 1+2+4+\ \ 6+\ \ 9+12+16+ \text{ etc.} \\ \text{II.} & 1+1+2+\ \ 3+\ \ 4+\ \ 5+\ \ 7+ \text{ etc.} \end{array}$$

ubi bini termini seriei I additi dant terminum superioris, et terni termini seriei II additi dant terminum seriei I. Ex serie

$$\begin{array}{rl} & 1+4+10+20+35+56+84+ \text{ etc.} \\ \text{oriuntur I.} & 1+3+\ \ 7+13+22+34+50+ \text{ etc.} \\ \text{II.} & 1+2+\ \ 4+\ \ 7+11+16+23+ \text{ etc.} \\ \text{III.} & 1+1+\ \ 2+\ \ 3+\ \ 5+\ \ 6+\ \ 9+ \text{ etc.} \end{array}$$

ubi bini termini seriei I additi dant terminum superioris, et terni termini seriei II additi dant terminum seriei I, et quaterni termini seriei III dant terminum seriei II.

Quod expressio $(1-n)(1-n^2)(1-n^3)(1-n^4)$ etc. evoluta det seriem $1-n-n^2+n^5+n^7-$ etc., in qua alii exponentes non occurrunt nisi qui contineantur in $\frac{3xx \pm x}{2}$, per legitimam inductionem mihi equidem conclusisse videor; interim tamen demonstrationem nullo pacto invenire potui, etiamsi non parum temporis in id impenderem. Inveni autem expressionem $(1-n)(1-n^2)(1-n^3)(1-n^4)$ etc. quoque in hanc seriem transmutari posse

$$1-\frac{n}{1-n}+\frac{n^3}{(1-n)(1-n^2)}-\frac{n^6}{(1-n)(1-n^2)(1-n^3)}+ \text{ etc.}$$

cujus adeo valor aequatur summae seriei $1-n^1-n^2+n^5+n^7-n^{12}-n^{15}+$ etc. Quare cum lex progressionis hujus seriei sit cognita, hinc alterius seriei $1+1n+2n^2+3n^3+5n^4+7n^5+$ etc. indoles ita describi poterit, ut sit recurrens, habens scalam relationis hanc

$$1+1+0+0-1+0-1+0+0+0+0+1+0+0+1+0+0+ \text{ etc.}$$

cujus ope facile continuatur. Quae mihi scripsisti, Vir Amplissime, de investigatione potestatum seriei

$$1+\frac{a}{n+1}+\frac{a^2}{2n+1}+\frac{a^3}{3n+1}+ \text{ etc.}$$

satis declarant, quantopere methodus Tua a priori procedens praestet alteri illi a posteriori, qua usus sum. Ex serie enim, quam pro cubo hujus seriei exhibuisti, difficillimum foret a posteriori ejus summam invenire; eo majores igitur Tibi habeo gratias, quo majorem fructum me ex ea methodo capturum spero. Caeterum occasione illius seriei $1-n-n^2+n^5+n^7-n^{12}-n^{15}+$ etc. mihi in mentem venit, quot veritates in mathesi soli inductioni acceptas referamus, praecipue circa proprietates numerorum. Cujusmodi sunt: omnem numerum esse summam quatuor pauciorumve quadratorum; item, omnem numerum primum formae $4n+1$ esse summam duorum quadratorum; item, summam duorum cuborum non posse esse cubum. Simile theorema quoque nuper occasionem praebente Cel. Goldbachio detexi: hanc expressionem $4nab-a-b$ quadratum esse posse nunquam, siquidem litterae a, b, et n numeros integros affirmativos designent.

Quae in superioribus litteris de investigatione factorum scripsi, non solum insignem habent usum in integratione formularum differentialium rationalium, sed etiam integrari possunt infinitae aequationes differentiales cujuscunque gradus, quae quidem continentur in hac forma

$$0=Ay+\frac{Bdy}{dx}+\frac{Cddy}{dx^2}+\frac{Dd^3y}{dx^3}+\frac{Ed^4y}{dx^4}+ \text{ etc.}$$

posito dx constante. Ad valorem enim ipsius y in quantitatibus finitis expressum inveniendum resolvatur haec aequatio algebraica $0=A+Bz+Cz^2+Dz^3+Ez^4+$ etc. in factores, et quilibet factor dabit partem valoris ipsius y quaesiti, hoc modo

si factor fuerit	erit integralis pars
$(f \pm z)$	$\alpha e^{\mp fx}$, ubi e est numerus, cujus logarithmus $= 1$
$(f \pm z)^2$	$(\alpha + \beta x)\, e^{\mp fx}$
$(f \pm z)^3$	$(\alpha + \beta x + \gamma xx)\, e^{\mp fx}$
etc.	etc.
$ff - 2fz \cos\varphi + zz$	$\alpha e^{fx\cos\varphi} \sin A \,.\, fx \sin\varphi + \mathfrak{A} e^{fx\cos\varphi} \cos A \,.\, fx \sin\varphi$
$(ff - 2fz \cos\varphi + zz)^2$	$(\alpha + \beta x)\, e^{fx\cos\varphi} \sin A \,.\, fx \sin\varphi + (\mathfrak{A} + \mathfrak{B} x)\, e^{fx\cos\varphi} \cos A \,.\, fx \sin\varphi$

hujusmodi enim valores ex singulis factoribus orti conjiciantur in unam summam, sicque prodibit valor ipsius y quaesitus, qui tot quantitates arbitrarias constantes complectetur, quoti gradus fuerit aequatio differentialis, uti integrationis natura postulat. Hinc expedite integrari potest aequatio differentialis quarti gradus $ydx^4 = a^4 d^4 y$, qua exprimitur natura curvae, quam lamina elastica inter oscillandum (si fuerit muro infixa et ad motum vibratorium incitetur) induit. Cum enim sit

$$0 = y - \frac{a^4 d^4 y}{dx^4},$$

oritur haec aequatio resolvenda $0 = 1 - a^4 z^4$, cujus factores sunt $1 - az$, $1 + az$, $1 + a^2 z^2$, ex quibus obtinetur

$$y = \alpha e^{\frac{x}{a}} + \beta e^{-\frac{x}{a}} + \gamma \sin A \,.\, \frac{x}{a} + \delta \cos A \,.\, \frac{x}{a}$$

ob $\cos\varphi = 0$ et $\sin\varphi = 1$, unde sequitur tempora singularum vibrationum esse in ratione duplicata longitudinis laminarum, caeteris paribus.

His, cum spatium supersit, adjungam methodum facilem resolvendi omnis generis problemata, quae ad problema Isoperimetricum referri solent. Quaeratur scilicet inter omnes curvas ea, in qua expressio quaepiam integralis $\int MdN$ sit maxima vel minima, ubi M et N non solum ipsas coordinatas x, y, sed etiam earum differentialia quaecunque involvant. Ponatur $dy = pdx$, $dp = qdx$, $dq = rdx$, etc. atque formula integralis proposita abibit in ejusmodi expressionem $\int Zdx$, in qua Z erit functio ipsarum x, y et p, q, r, etc. Differentietur Z, atque sit $dZ = Mdx + Ndy + Pdp + Qdq + Rdr +$ etc. et sumto dx constante formetur hic valor

$$V = N - \frac{dP}{dx} + \frac{ddQ}{dx^2} - \frac{d^3R}{dx^3} + \text{etc.}$$

quem voco valorem differentialem formulae propositae integralis $\int Zdx$. Atque hic valor differentialis V nihilo aequalis positus praebebit aequationem pro curva quaesita, in qua $\int Zdx$ erit maximum minimumve. Sic cum nuper mihi Celeb. Patruelis Tuus significasset in curvis elasticis $\int \frac{ds}{rr}$ minimum esse oportere, ubi ds elementum curvae et r radium osculi significabat, statim per hanc methodum problema resolvi. Sumtis enim x et y pro coordinatis curvae quaesitae, positoque $dy = pdx$ et $dp = qdx$, erit

$$ds = dx\sqrt{(1 + pp)} \quad \text{et} \quad r = \frac{(1 + pp)^{\frac{3}{2}}}{q}, \quad \text{unde fit } Z = \frac{qq}{(1 + pp)^{\frac{5}{2}}},$$

hincque differentiando

$$M = 0, \quad N = 0, \quad P = \frac{-5qqp}{(1 + pp)^{\frac{7}{2}}} \quad \text{et} \quad Q = \frac{2q}{(1 + pp)^{\frac{5}{2}}};$$

ita ut sit $dZ = Pdp + Qdq$. Erit ergo valor differentialis

$$V = -\frac{dP}{dx} + \frac{ddQ}{dx^2}$$

et pro curva quaesita aequatio $0 = dPdx - ddQ$, quae integrata dat $Pdx - dQ = Adx$. Multiplicetur per q, ob $dp = qdx$, erit $Pdp - qdQ = Adp$; at ex aequatione $dZ = Pdp + Qdq$ est $Pdp = dZ - Qdq$, quo valore substituto habebitur $dZ - Qdq - qdQ = Adp$, quae denuo integrata dat

$$Z - Qq = Ap + B = \frac{qq}{(1+pp)^{\frac{5}{2}}} - \frac{2qq}{(1+pp)^{\frac{5}{2}}} = \frac{-qq}{(1+pp)^{\frac{5}{2}}}.$$

Erit ergo mutato constantium signo

$$q = (Ap + B)^{\frac{1}{2}} (1 + pp)^{\frac{5}{4}} = \frac{dp}{dx},$$

ergo

$$dx = \frac{dp}{(Ap + B)^{\frac{1}{2}} (1 + pp)^{\frac{5}{4}}} \quad \text{et} \quad dy = \frac{pdp}{(Ap + B)^{\frac{1}{2}} (1 + pp)^{\frac{5}{4}}}$$

unde cognita jam aequatio pro curva elastica elicitur.

Si non absolute inter omnes curvas, sed tantum inter isoperimetras, vel eas, in quas certa quaedam expressio integralis $\int Z'dx$ aequaliter competit, quaeratur ea, in qua sit $\int Zdx$ maximum minimumve, tum eadem methodo quaerantur valores differentiales formularum $\int Z'dx$ et $\int Zdx$, qui sint V' et V, erit $\alpha V' + \beta V = 0$ aequatio pro curva quaesita. Sic non impeditur haec mea methodus, etiamsi in formula integrali $\int Zdx$ praeter differentialia coordinatarum x et y, quoque earum differentialia secundi, tertii, aliusve altioris ordinis insint, cujusmodi casus dubito an per solitas methodos resolvi possint. At vero si in Z praeter quantitates $x, y, p, q, r,$ etc. etiam formula quaepiam integralis, puta $\int \mathfrak{Z}dx$, insit, tum neque consueta methodus, neque haec, quam modo exposui, solutioni inservit, sed sequenti modo erit procedendum. Cum Z sit functio quantitatum $x, y, p, g, r,$ etc. et insuper quantitatis $\Pi = \int \mathfrak{Z}dx$, sit $dZ = Ld\Pi + Mdx + Ndy + Pdp + Qdq +$ etc. atque

$$d\mathfrak{Z} = \mathfrak{M}dx + \mathfrak{N}dy + \mathfrak{P}dp + \mathfrak{Q}dq + \text{ etc.}$$

Tum sumatur $\int Ldx$, cujus valor posito $x = a$ fiat H, sitque $H - \int Ldx = T$, erit differentialis valor quaesitus

$$= N - \mathfrak{N}T - \frac{d(P + \mathfrak{P}T)}{dx} + \frac{dd(Q + \mathfrak{Q}T)}{dx^2} - \text{ etc.}$$

De problematis autem huc pertinentibus notandum est, ea non instar priorum absolute resolvi posse, ut curvae portio quaecunque praescripta maximi minimive indole sit praedita; sed longitudo abscissae simul debet assignari, cui haec conditio satisfaciat. Sic si iste modo inventus valor differentialis ponatur $= 0$, aequatio prodibit non pro curva, quae inter omnes alias absolute habeat $\int Zdx$ maximum minimumve, sed quae inter alias omnes pro dato abscissae valore $x = a$ (cujus ratio jam est habita in T) maximum minimumve ipsius $\int Zdx$ valorem exhibeat. Quare si haec abscissae magnitudo a immutetur, alia curva problemati satisfaciens reperitur; qua cautela in problematis prioris generis non erat opus. Ulterius processi, et casus evolvi, cum etiam $\mathfrak{Z}$ denuo formulam integralem $\pi = \int \mathfrak{z}dx$ implicet. Proposita enim formula $\int Zdx$, si sit

$$dZ = Ld\Pi + Mdx + Ndy + Pdp + Qdq + \text{ etc.}$$

existente $\Pi = \int \mathfrak{Z}dx$, et $d\mathfrak{Z} = \mathfrak{L}d\pi + \mathfrak{M}dx + \mathfrak{N}dy + \mathfrak{P}dp + \mathfrak{Q}dq +$ etc. existente

$$\pi = \int \mathfrak{z}dx \quad \text{et} \quad d\mathfrak{z} = \mathfrak{m}dx + \mathfrak{n}dy + \mathfrak{p}dp + \mathfrak{q}dq + \text{ etc.}$$

Sumatur integrale $\int Ldx$, quod sit $= H$ casu quo $x = a$ (ubi a est magnitudo abscissae x illa determinata, cui maximus valor illius $\int Zdx$ respondere debet) sitque $H - \int Ldx = T$. Tum sumatur integrale $\int \mathfrak{L}Tdx$, quod fiat $= \mathfrak{H}$ posito $x = a$, sitque $\mathfrak{H} - \int \mathfrak{L}Tdx = \mathfrak{T}$. His praeparatis erit valor differentialis formae $\int Zdx$ hic

$$N + \mathfrak{N}T + \mathfrak{n}\mathfrak{T} - \frac{d(P + \mathfrak{P}T + \mathfrak{p}\mathfrak{T})}{dx} + \frac{dd(Q + \mathfrak{Q}T + \mathfrak{q}\mathfrak{T})}{dx^2} - \text{ etc.}$$

Ex his autem quousque libuerit ultra progredi, atque abstrusissima problemata resolvere licebit. Qua de methodo quid sentias, Vir Amplissime, etiam atque etiam rogo ut mihi indicare velis. Vale, Vir Celeberrime, mihique favera perge. Dabam Berolini d. 10 Novembr. 1742.

(Responsionem vide *Corresp. T. II. p.* 701.)

4.

Viro Celeberrimo atque Amplissimo N. B. S. P. D. L. E.

Quoniam ex litteris Tuis maximum semper fructum percipio, eo majores Tibi me debere gratias agnosco, quo minus Tibi suppetit otium ad litteras meas respondendi. Quamobrem Te, Vir Amplissime, etiam atque etiam rogo, ut frequentiores meas interpellationes benevole excusare velis.

Quod primum de seriebus divergentibus scribis, earum summas dari omnino non posse, quoniam licet in infinitum continuentur, tamen exhauriri nequeant, non mediocriter jam pridem dubitavi, atque etiamnum ambigo. Interim tamen hoc dubium mihi quidem eximi posse videtur, si ad distinctionem inter numerum infinitum determinatum, atque infinitum absolutum attendatur. Quamvis enim statui non possit

$$\frac{1}{1-x} = 1 + x + x^2 + x^3 + \ldots + x^\infty,$$

quia hic numerus terminorum etsi infinitus, tamen tamquam definitus spectatur, atque adeo series revera terminari censetur; tamen sine errore mihi quidem statui posse videtur

$$\frac{1}{1-x} = 1 + x + x^2 + x^3 + \text{ etc.}$$

in infinitum, hoc est seriei nusquam ullo termino constituto. Sic falsum foret

$$0 = 1 - 3 + 5 - 7 + 9 - \ldots \pm (2\infty + 1),$$

at omni finitionis idea etiam cogitatione sublata, sine errore affirmari potest esse $0 = 1 - 3 + 5 - 7 + 9 -$ in infinitum. In hac autem opinione eo magis confirmor, quod nullus mihi adhuc obtigerit casus, in quo ejusmodi serierum summatio me in errorem deduxisset.

Quod nunc assertum meum circa radicum imaginariarum proprietatem non solum probas, sed etiam demonstrationem mecum communicare voluisti, maximas Tibi ago gratias. Concedo enim lubentissime, quod postulas, omnem radicem imaginariam aequationis quotcunque dimensionum, etiamsi forma ejus penitus sit incognita, tamen considerari posse tanquam functionem hujusmodi expressionum $a \pm \sqrt{-b}$. Interim tamen si quis de hac veritate dubitaret, fateor me nondum videre, quomodo hoc Tuum assumtum demonstrarem. Me quidem in hoc asserto non parum confirmavit singularis modus resolutionem aequationum altiorum graduum absolvendi, similis fere Cartesiano. Sit proposita aequatio $x^4 + px^3 + qxx + rx + s = 0$, quam resolvi pono in has

$$xx + \alpha x + \beta = 0 \quad \text{et} \quad xx + \gamma x + \delta = 0.$$

Sint autem α et γ radices hujus aequationis $zz + pz + u = 0$, et β cum δ radices hujus $zz + tz + s = 0$, est enim $\alpha + \gamma = p$ et $\beta\delta = s$. Per has aequationes erit $\alpha\gamma = u$, $\beta + \delta = t$. Comparata vero aequatione proposita cum factoribus assumtis erit: $p = \alpha + \gamma$, $q = \beta + \delta + \alpha\gamma$, $r = \alpha\delta + \beta\gamma$ et $s = \beta\delta$, seu $q = t + u$; deinde ob $r = \alpha\delta + \beta\gamma$ erit eliminando $rr - prt + ppt + ttu - 4su = 0$. Sunt autem incognitae t et u, quarum altera u sublata dat $t^3 - qtt - (pp - pr + 4s)t - rr + 4sq = 0$. Definitur ergo incognita t vel u per aequationem cubicam, ideoque semper unus datur valor realis pro t et pro u Praevidere autem licebat has incognitas t et u

per aequationem cubicam definiri debere, quia aequatio biquadrata tres tantum diversas resolutiones admittit. Sint enim a, b, c, d radices quatuor, erunt tres ipsius t valores hi: $ab + cd$, $ac + bd$, $ad + bc$. Simili modo si proponatur aequatio sexti gradus $x^6 + px^5 + qx^4 + rx^3 +$ etc. $= 0$ ejusque factores ponantur

$$xx + \alpha x + \beta,\ xx + \gamma x + \delta,\ xx + \varepsilon x + \zeta,$$

atque ut ante α, γ, ε ponantur radices aequationis $z^3 + Azz + Bz + C = 0$, et patebit ex varia sex radicum combinatione quantitatem C quindecim diversos valores induere posse, unde resolutio pendet ab aequatione 15^{ti} gradus. Generaliter vero resolutio aequationis $2n$ dimensionum pendebit ab aequatione $1.3.5 \ldots\ldots (2n-1)^{mi}$ gradus, qui gradus cum sit impar, una semper dabitur resolutio realis. Neque vero hoc ratiocinium adhuc veritatem evincit; interim tamen viam ad demonstrationem apodicticam fortasse parare potest.

Plurimum autem Tibi, Vir Celeberrime, me obstrictum agnosco pro demonstratione elegantissimae Tuae constructionis trajectoriarum orthogonalium, quam in Actis Lips. 1719 publicaveras. Equidem jam pridem in illius demonstratione eruenda desudaveram, neque tamen alium casum elicui, praeter eum, quo

$$\frac{p}{\sqrt{(1+pp)}} \text{ fit functio ipsius parametri } a \text{ tantum.}$$

Quanquam enim quaesivi quantitatem n, per quam aequatio

$$0 = \frac{dy\,(1+pp)}{p} + qda$$

divisa integrabilis reddatur, tamen in mentem mihi non venit, in investigatione ipsius n ipsam aequationem propositam in subsidium vocari posse. Hac igitur methodo Tua plurimae aequationes differentiales expedite integrari possunt. Sit enim proposita aequatio $0 = Pdx + Qdy$, in qua sint P et Q functiones quaecunque ipsarum x et y, ita ut sit $dP = Kdx + Ldy$ et $dQ = Mdx + Ndy$. Quaeratur functio R, quae illam aequationem multiplicans reddat integrabilem, ita ut $0 = PRdx + QRdy$ integrationem admittat. Debebit ergo diff. $PRdx$, posito x constante, aequari diff. $QRdy$, posito y constanti. Sit $dR = Tdx + Vdy$, erit

$$PVdxdy + LRdxdy = QTdxdy + MRdxdy = -PTdx^2 + MRdxdy,\ \text{ ob } Qdy = -Pdx.$$

Ergo erit $Pdx\,(Tdx + Vdy) = Rdxdy\,(M - L) = PdxdR$, ideoque

$$\frac{dR}{R} = \frac{Mdy - Ldy}{P} = \frac{Mdy}{P} + \frac{Ldx}{Q} = -\frac{Mdx}{Q} - \frac{Ldy}{P} = -\frac{dQ}{Q} - \frac{dP}{P} + \frac{Ndy}{Q} + \frac{Kdx}{P}.$$

Quoties ergo ex his formulis functio R definiri potest, aequatio proposita integrari poterit. Sit porposita aequatio $dy + yXdx + y^nVdx = 0$, in qua X et V sint functiones quaecunque ipsius x, erit $Q = 1$, $P = yX + y^nV$, ideoque

$$M = 0,\ N = 0,\ K = \frac{ydX}{dx} + \frac{y^n dV}{dx},\ L = X + nVy^{n-1}.$$

Quare erit

$$\frac{dR}{R} = \frac{Mdy}{P} + \frac{Ldx}{Q} = Xdx + nVy^{n-1}dx = Xdx - \frac{ndy}{y} - nXdx \quad \text{et} \quad lR = (1-n)\textstyle\int Xdx - nly$$

$$\text{et } R = \frac{e^{(1-n)\int Xdx}}{y^n}.$$

Integrabilis ergo erit aequatio

$$\frac{e^{(1-n)\int Xdx}}{y^n}dy + \frac{e^{(1-n)\int Xdx}}{y^{n-1}}Xdx + e^{(1-n)\int Xdx}Vdx = 0$$

integrale enim est

$$+\frac{e^{(1-n)\int Xdx}}{(1-n)\,y^{n-1}} + \int e^{(1-n)\int Xdx}Vdx = \text{Const.}$$

Quae integratio etsi jam satis est cognita, tamen summam regulae Tuae utilitatem luculenter declarat. Vale, Vir Amplissime, mihique favere perge. Dabam Berolini d. 14 Maii 1743.

(Responsionem vide *Corresp. T. II. p.* 708.)

5.

Viro Consultissimo et Excellentissimo N. B. S. P. D. L. E.

Quanquam desiderium meum a Te, Vir Excellentissime, proficiendi summum est, tamen tanta erga Te est veneratio mea, ut nisi otium Tibi suppetat, nullas a Te litteras exigam, quoties autem lubuerit mihi respondere, pro hoc insigni munere Tibi gratias maximas habeam. Exquisitissima sunt monita Tua, quae circa summas serierum divergentium affers, Tibique nunc prorsus assentior, eo modo, quo serierum convergentium summa sit quantitas quasi asymtota, ad quam, quo plures seriei termini actu colligantur, eo propius accedatur, ita ut tandem discrepantia omni assignabili quantitate minor evadat. Scilicet si habeatur series convergens quaecunque $a + b + c + d +$ etc., concipi potest Fig. 69. linea curva *abcde* etc. super axe *AS* ita descripta, ut ejus applicatae ad aequalia intervalla axis constitutae sint

$$Aa = a$$
$$Bb = a + b$$
$$Cc = a + b + c$$
$$Dd = a + b + c + d$$
etc.

quo facto manifestum est hanc curvam habituram esse asymtotam *TV* axi *AS* parallelam, cujus ab axe distantia veram seriei in infinitum continuatae summam repraesentabit. Sin autem series proposita fuerit divergens, quoniam hoc casu nulla datur asymtota axi parallela, nequidem hujusmodi serierum summas concipere licet, atque adeo ipsi ideae summae contradiceret, qui quantitatem finitam tanquam summam assignare vellet. Cum autem omnis expressio sive fracta, sive irrationalis, sive etiam transcendens in seriem infinitam evolvi queat, etiam vicissim concedendum est, proposita quacunque serie sive convergente sive divergente, dari expressionem quampiam finitam, ex cujus evolutione illa ipsa series oriatur. Quare si a naturali vocis *summae* significatione ita recedere velimus, ut cujusvis seriei summam appellemus non aggregatum omnium terminorum, sed valorem illius quantitatis finitae, ex cujus evolutione illa series resultet, non solum consuetum summandi modum, qui alias contradictionem involveret, tueri, sed etiam, quemadmodum summatio serierum divergentium in errorem non inducat, explicare poterimus. Quoniam igitur definitiones vocabulorum sunt arbitrariae (saltem nisi sibi ipsae pugnent), si hac definitione utar, ut dicam seriei cujusque summam esse valorem ejus expressionis finitae, ex cujus evolutione illa ipsa series oriatur, omnis dubitatio atque repugnantia funditus tolletur. Hocque adeo sensu sine ulla contradictione affirmare licebit esse $1 - 4 + 9 - 16 + 25 - 36 +$ etc. $= 0$, quia haec series oritur ex evolutione expressionis $\frac{1-1}{(1+1)^3} = 0$; similique modo erit $1 + 2 + 4 + 8 + 16 +$ etc. $= -1$. Ceterum vero notandum est, quoties series fuerit convergens, tum novam istam summae notionem cum consueta congruere, ex quo nulla confusio ex introductione hujus novae ideae erit metuenda. Hoc posito, quaestio non erit absurda, si quaeram summam hujus seriei maxime divergentis $1 - 2 + 6 - 24 + 120 - 720 +$ etc.; desidero enim valorem quantitatis finitae, ex cujus evolutione ista series oriatur, et cum ista quantitas sit transcendens, sufficiet ejus valorem tantum proxime assignasse. Inveni autem hunc valorem seu summam fore $= 0{,}40478$, sicque minorem quam semissem unitatis. Contra hunc concipiendi modum nihil aliud mihi quidem objici posse videtur, nisi quod ante demonstrari debeat, eandem seriem ex pluribus diversis expressionibus finctis oriri non posse, at vero hoc mihi extra dubium positum videtur.

Si concedatur, radices imaginarias aequationum considerari posse tanquam functiones binomiorum hujusmodi $a + \sqrt{-b}$, tum utique necessario sequitur, aequationes imparium dimensionum semper unam ad minimum habere radicem realem, ac proinde numerum radicum imaginariarum perpetuo esse parem. Verumtamen nondum perspicui quomodo, si posterius concedatur, vicissim et prius consequatur: posterius enim mihi demonstrari posse videtur, nullo habito respectu ad formas radicum imaginariarum. Sit enim proposita aequatio imparium dimensionum quaecunque $x^{2n+1} + \alpha x^{2n} + \beta x^{2n-1} +$ etc. $= 0$, ponoque

$$x^{2n+1} + \alpha x^{2n} + \beta x^{2n-1} + \text{ etc. } = z,$$

atque manifestum est, si statuatur $x = \infty$ fore $z = \infty$, sin autem ponatur $x = -\infty$, fore $z = -\infty$. Tribuendo igitur ipsi x successive omnes possibiles valores inter limites $+\infty$ et $-\infty$ contentos, littera z induet pariter omnes possibiles valores inter limites $+\infty$ et $-\infty$ contentos. Dabitur ergo valor loco x substituendus, qui litterae z valorem inducat $= 0$, isque propterea erit radix ipsius x pro aequatione proposita. Cum igitur hoc summo rigore demonstrari possit, optarem, ut simili modo forma functionalis radicum imaginariarum, quam statuis, demonstrari vel ex hoc ipso fonte derivari posset.

Pro emendatione errorum, quos per festinationem in resolutione aequationis $x^4 + px^3 + qx^2 + rx + s = 0$ commiseram, gratias ago. Ceterum, uti probe mones, realitas factorum trinomialium multo commodius methodo Cartesii, tollendo secundum terminum, docetur, atque adeo meo judicio hanc demonstrationem perfectissime absolvisti. Quanquam enim aequationes altiorum dimensionum, ad quas pervenitur, actu resolvi nequeant, tamen ad institutum sufficiebat ostendisse, illas aequationes semper habituras esse unam ejusmodi radicem realem, ex qua prodeant factores trinomiales reales, etiamsi hi rarissime assignari queant. Aequatio enim

$$x^{m.2^n} + px^{m.2^n - 1} + qx^{m.2^n - 2} + \text{ etc. } = 0$$

uti egregie mones, pro divisore habebit aequationem

$$x^{2^n} + \alpha x^{2^n - 1} + \beta x^{2^n - 2} + \text{ etc. } = 0,$$

ad quem inveniendum coëfficiens α determinabitur per aequationem tot dimensionum, quot hoc productum continet unitates

$$\frac{2^n.m}{2^n} \cdot \frac{2^n.m - 1}{2^n - 1} \cdot \frac{2^n.m - 2}{2^n - 2} \cdots \cdot \frac{2^n(m-1) + 1}{1}.$$

Primum autem patet hoc productum semper exhibere numerum integrum; tum vero quaelibet fractio, siquidem m est numerus impar, reducitur ad ejusmodi formam, ut tam numerator quam denominator fiat numerus impar, ex quo tota expressio evadet numerus impar, atque adeo valor α, cum definiatur per aequationem imparium dimensionum, poterit esse realis: reliqua vero, quae hinc deducis, Vir Celeberrime, negotium, quod agitabam, prorsus conficiunt. Tota enim res perducitur ad resolutionem aequationis

$$x^{2^n} + qx^{2^n - 2} + rx^{2^n - 3} + \text{ etc. } = 0$$

in qua secundum terminum jam deesse pono. Quodsi ergo hujus bini factores ponantur

$$x^{2^{n-1}} + \alpha x^{2^{n-1} - 1} + \text{ etc. et } x^{2^{n-1}} - \alpha x^{2^{n-1} - 1} + \text{ etc. } = 0$$

quia est α aggregatum 2^{n-1} radicum prioris aequationis, definietur α per aequationem tot dimensionum, quot sunt unitates in hoc numero

$$2 \cdot \frac{2^n - 1}{2^{n-1} - 1} \cdot \frac{2^n - 2}{2^{n-2} - 2} \cdot \text{ etc.}$$

donec ultimus denominator sit $=1$. Patet autem hunc numerum fore impariter parem, totidemque α habebit radices, quot unitates in isto numero continentur. Quia autem inter has radices quaelibet habet sui negativam, omnes potestates impares ipsius α in aequatione deerunt; ultimus vero terminus absolutus, propterea quod est factum ex omnibus valoribus ipsius α, inter quos bini inter se sunt aequales et alter alterius negativus, erit quadratum negativum, cujus radix assignabilis erit per coëfficientes q, r, s, etc. Definietur ergo α per hujusmodi aequationem

$$\alpha^{2m} + f\alpha^{2m-2} + \ldots - uu = 0$$

quae semper unam saltem radicem habebit realem; quod sic ostendo: Ponatur $\alpha = \infty$, fietque illa expressio $\alpha^{2m} + f\alpha^{2m-2} + \ldots - uu = \infty$. Tum ponatur $\alpha = 0$, fietque eadem expressio $= -uu$. Tribuendis ergo ipsi α valoribus mediis inter 0 et ∞, expressio ipsa induet omnes valores possibiles medios inter ∞ et $-uu$; dabitur ergo valor loco α substituendus, qui reddet expressionis valorem $=0$, isque erit radix ipsius α. Casus tantum excipi debet, quo $m = 1$, sed non dubito, quin ista demonstratio ita adornari possit, ut nihil contra excipi queat.

Non perspicio, quam ob causam dubites, an hujus differentialis $PRdx + QRdy$ integrale exhiberi queat, etiamsi sit diff. $PRdx =$ diff. $QRdy$, illa scilicet differentiatione ponendo x, in hac vero y constantem. Quodsi enim hoc criterium locum habuerit, integrale non solum mihi videtur assignari posse, sed etiam revera id saltem ope quadraturarum exhibere valeo. Integretur enim differentiale $PRdx$ spectando y tanquam constantem, ita ut integrale evanescat ponendo $x = 0$, quod integrale sit $= Z$. Tum in differentiali $QRdy$ ponatur $x = 0$, atque id integretur, ponaturque integrale $= Y$; quo facto formulae differentialis $PRdx + QRdy$ integrale erit $= Z + Y$. Demonstratio per ea, quae Tu, Vir Excellentissime, docuisti, est facilis, namque differentiando $Z + Y$ Tua methodo, iterum prodit differentiale propositum. Jam dudum autem perspexi hanc speculationem penitus incidere in solutionem problematis: Data aequatione differentiali $dx = pdy$ incompleta, invenire ejus completam $dx = pdy + qda$, quod a Te primum fuisse solutum admonui D^num^ Clairaut aliosque Geometras Gallos, qui hanc inventionem sibi vindicare voluerunt. Interim tamen non dubito, quin hic adhuc insignes proprietates lateant, quae si essent cognitae, ingens lumen in analysi accenderent, cujus rei, ut nullus dubitandi locus relinquatur, communicabo Tecum solutionem problematis cujusdam mechanici, cujus evolutio universa ad hoc genus pertinet; neque, antequam natura hujusmodi formularum differentialium completarum uberius examinetur, ad finem optatum perduci potest.

Problema hoc est: Catenae uniformis ac perfecte flexilis, si super plano horizontali politissimo jacens utcunque projiciatur, assignare situm, figuram et motum ad quodvis temporis momentum. *Solutio.* Fig. 70. Sumto in plano horizontali recta quacunque OZ pro axe, pervenerit elapso tempore t catena in situm AMB. Sit longitudo catenae $AMB = a$, positaque ejus portione quacunque $AM = s$, ducatur ad axem applicata MP, voceturque $OP = x$, $PM = y$. Perspicuum jam est x et y esse oportere functiones binarum variabilium s et t, pariter ac angulum AMP qui vocetur $= \varphi$. Sit igitur differentiando $dx = ds \sin\varphi + Mdt$ et $dy = ds \cos\varphi + Ndt$, quia posito t constante esse debet $dx^2 + dy^2 = ds^2$. His positis erit primo, ponendo t constans,

$$Oa = \alpha t + \beta - \int \frac{(a - s)\, ds \sin\varphi}{a}, \quad Aa = \gamma t + \delta - \int \frac{(a - s)\, ds \cos\varphi}{a}, \quad Ob = \alpha t + \beta + \int \frac{sds \sin\varphi}{a}$$

$$\text{et} \quad Bb = \gamma t + \delta + \int \frac{sds \cos\varphi}{a},$$

posito post singulas has integrationes $s = a$. Porro, si fuerit posito s constante $dM = Pdt$ et $dN = Qdt$, erit

$$\frac{\sin\varphi}{\cos\varphi} = \frac{\int Pds}{\int Qds},$$

spectando in his integrationibus tantum s tanquam variabilem. Aequationes has suppeditaverunt praecepta dynamica, iisque problema perfecte resolvitur, ita ut natura curvae AMB in aequatione

$$\frac{\sin\varphi}{\cos\varphi} = \frac{\int Pds}{\int Qds}$$

contineatur. Interim tamen hanc solutionem ad usum accommodare non possum, ita ut hinc motum catenae, si initio figuram quamcunque datam habuerit, ipsique datus motus impressus fuerit, reipsa determinare mihi liceret. Pendent autem M et N ac propterea quoque P et Q ab angulo φ, quia differentialia illa dx et dy exprimentia sunt completa. Deinde si t constans sumatur atque elementum ds invariabile statuatur, ultima aequatio evolvitur in hanc differentialem secundi gradus

$$Pdd\varphi\cos\varphi + 2Pd\varphi^2\sin\varphi - Qdd\varphi\sin\varphi + 2Qd\varphi^2\cos\varphi - dPd\varphi\cos\varphi + dQd\varphi\sin\varphi = 0.$$

Hac igitur de re ut mihi sententiam Tuam aperire velis, etiam atque etiam rogo. Ceterum solutionem problematis huic affinis, quod mihi Celeb. Patruelis proposuit, quia spatium superest, judicio Tuo subjiciam. In locum catenae superioris problematis, substituit filum inertiae expers tribus aequalibus corpusculis ad aequalia intervalla positis onusti, cujus motus requiritur. Sint Fig. 71. intervalla corpusculorum $AB = BC = a$, atque tempore elapso $= t$ pervenerit filum propositum in situm ABC, unde ad rectam OZ pro axe assumtam demittantur perpendicula Aa, Bb, Cc. Ponatur angulus $ABb = \zeta$ et angulus $BCc = \eta$, sitque $r = \zeta + \eta$ et $s = \zeta - \eta$, quibus positis ex theoria motus elicui has aequationes

$$dt = ds\sqrt{\frac{4-\cos^2 s}{2a-\beta+a\cos s}} \quad \text{et} \quad dr = \beta ds\sqrt{\frac{2-\cos s}{(2+\cos s)\ldots\text{*)}}}.$$

Ope quadraturarum ergo ex tempore t definiuntur quantitates r et s, ex quibus porro erit

$$\zeta = \frac{r+s}{2} \quad \text{et} \quad \eta = \frac{r-s}{2}.$$

Denique vero

$$Oa = At + B - \frac{2}{3}a\sin\zeta - \frac{1}{3}a\sin\eta; \qquad Aa = Ct + D - \frac{2}{3}a\cos\zeta - \frac{1}{3}a\cos\eta;$$

$$Ob = At + B + \frac{1}{3}a\sin\zeta - \frac{1}{3}a\sin\eta; \qquad Bb = Ct + D + \frac{1}{3}a\cos\zeta - \frac{1}{3}a\cos\eta;$$

$$Oc = At + B + \frac{1}{3}a\sin\zeta + \frac{2}{3}a\sin\eta; \qquad Cc = Ct + D + \frac{1}{3}a\cos\zeta + \frac{2}{3}a\cos\eta.$$

Hoc idem problema resolvi quoque, si plura corpora filo fuerint alligata; tum autem separatio variabilium et constructio, uti hic, mihi nondum successit. Ceterum has qualescunque meditationes, ut benevole accipias etiam atque etiam rogo, mihique favere pergas. Vale. Dabam Berolini d. 4 Febr. 1744.

---

*Litterae, quibus **Bernoullius** ad **Euleri** epistolam supra datam respondit, cum in nostra collectione non reperiantur, etiam in **Commercio** (Correspondance) a nobis editio desunt. Sed ipsarum primum autographum, idque curiose scriptum, inter hasce exstat **Euleri** epistolas, quas Bibliotheca Basileensis ex hereditate **Bernoullii** acceptas conservat et nobiscum liberalissime communicare voluit. Ut jam nexus mutui hujus epistolarum commercii elucescat, pro argumenti gravitate, gratum lectoribus id fore confidimus, quod et responsionem **Bernoullianam** hoc loco damus, adjecto etiam postscripto, quod a **Bernoullio** serius **Eulero** missum est, in epistola **Danielis Bernoullii** inclusum.* **Editores.**

*) Vide infra responsionem Cel. Bernoullii.

Viro Celeberrimo Leonhardo Eulero S. P. D. N. B.

Ignosce quaeso quod nondum respondi ad ultimas Tuas litteras ante annum et quod excurrit scriptas. Repeto excusationem jam aliquoties a me allatam, cui et hoc addere debeo, quod per longam desuetudinem ita hebes factus sim, ut vix quicquam proficiam, quando Te in profundis Tuis meditationibus sequi volo. Ne autem diutius in mora sim, postulat donum, quod mihi nuper D. Bousquet jussu Tuo misit, consistens in egregio tractatu Tuo de Isoperimetris, pro quo Tibi maximas ago gratias. Hunc librum avide sed obiter inspexi in plagulis adhuc solutis, attente autem perlegam postquam illum a compactore ligatum recepi. Tantum jam perspexi, ut non possim non Tibi impense gratulari et applaudere de inventa elegantissima et genuina methodo hoc problema in latissimo sensu acceptum tractandi. Ego quoque olim observaveram, methodos ab aliis usurpatas in hoc deficere, quod restrictae sint ad eam hypothesin, quae supponit, minimam curvae particulam eadem qua integer arcus maximi vel minimi proprietate gaudere, quem defectum Tu optime supplevisti. Hac occasione Te rogare audeo (quod tacitum apud me servabo) quid sentias de priori solutione directa Patrui mei, quae extat in Commentariis Academiae Regiae A. 1706. Sane ea mihi videtur esse paralogistica, imo nulla. Casu incidit in solutionem veram problematis 1^mi^, dum posuit dt constantem, quemadmodum etiam casu inventurus fuisset veram solutionem problematis 2^di^, si ibi non dt sed dx posuisset constantem. Analogiae, ad quas problemata 1 et 2 reduxit, non sunt verae proprietates curvae quaesitae, sed quibusvis curvis competunt, prout alia atque alia differentialis pro constanti adhibetur; vel potius nulli curvae competunt, quia hae analogiae dant aequationem ex terminis heterogeneis constantem. Deinde Taylorus recte objecit, inepte sumi angulos $OF\varphi$ et $O\varphi F$ pro dimidio angulo curvedinis in punctis F et φ. Praeterea ipsa hypothesis, per quam duo elementa $FO + O\varphi$, et duo elementa $F\omega + \omega\varphi$ ponuntur isoperimetra, deducere videtur ad absurditates, ita ut non possit consistere cum inaequalitate seu variabilitate angulorum OFJ et ωFJ; mihi enim ex conditione Isoperimetri sequi videtur rationem FJ ad OJ sive angulum OFJ fore constantem, contra hypothesin, quae supponit angulum OFJ mutari posse in angulum ωFJ. Altera Patrui solutio, ut et Hermanniana, quae ambae extant in Actis Lips. A. 1718, quoad fundamentum et methodum conveniunt cum Fratris Jacobi solutione, nec ab ea differunt, nisi quod in illis prolixus Jacobi calculus eleganti compendio concinnior redditus fuerit. Caeterum doleo Jacobum a Fratre nimis inique notatum fuisse, quod plures absurditates et contradictiones in solutione sua admiserit, cum tamen omnia quae Jacobus dixit sano sensu explicari, et apparentes contradictiones conciliari queant. Ex. gr. cum dixit, in omnibus aequationibus Tabulae suae litteras p et q augeri minuive posse quantitate quacunque constante c, id intelligendum est de maximis vel minimis $\int pdy$, $\int pdt$, $\int qdy$, etc. in quibus p vel q significant ipsas ordinatas curvarum, quarum areae debent esse vel maximae vel minimae, non vero de maximis vel minimis

$$\int\frac{dy}{p},\quad \int\frac{dt}{p},\quad \int\frac{dy}{q},\quad \text{etc.}$$

cum enim illa transeant in haec ponendo $\frac{aa}{p}$, vel $\frac{aa}{q}$ pro p et q, patet in his non p vel q, sed $\frac{1}{p}$ aut $\frac{1}{q}$ posse augeri vel minui quantitate constante c. Neque etiam eadem assertio ita accipi debet, ac si aequationes, quae maximum aliquod vel minimum suppeditant, post talem mutationem semper etiam maximum vel minimum respective praebere debeant; possunt enim per talem mutationem maxima degenerare in minima, et vice versa; quamvis ipse Jacobus, sicut ejus frater, ex inadvertentia hoc non observaverit. Ex. gr. quamvis aequatio

$$dy = \frac{pdx}{\sqrt{(aa - pp)}}$$

praebeat maximum $\int pdy$, attamen haec aequatio

$$dy = \frac{pdx - cdx}{\sqrt{(aa - (p - c)^2)}}$$

potest praebere et maximun $\int pdy$, et minimum $\int pdy$, prout p major est vel minor quam c. Sic quoque aequatio

$$dy = \frac{adx}{\sqrt{(bb + 2bp + pp - aa)}}$$

potest dare maximum $\int pdt$, etiamsi crescente x decrescat p, quicquid contradicat Johannes, quotiescunque nempe $b - p$ est quantitas affirmativa. Ita etiam, quamvis aequatio

$$dy = \frac{qdt}{\sqrt{(aa + qq)}}$$

satisfaciat maximo $\int qdy$, tamen aequatio generalior

$$\frac{qdt \pm cdt}{\sqrt{(aa + qq \pm 2cq + cc)}} = dy$$

potest dare et maximum et minimum $\int qdy$, illud nempe si $q \pm c$ fuerit quantitas affirmativa, hoc si $q \pm c$ fuerit quantitas negativa. Ad has praedictas tres aequationes generales, quae exhibent maxima vel minima $\int pdy$, $\int pdt$, $\int qdy$, Patruus meus Jacobus potuisset reducere omnes 11 aequationes Tabulae suae. Sed satis de his. Attingam nunc paucis quaedam ex Tua ultima epistola. Gaudeo Te nunc mihi assentiri circa ea, quae dixeram de seriebus divergentibus. Gratum facies, si mihi indicabis ipsam formulam quantitatis transcendentis $= 0{,}40478$, ex cujus evolutione oritur series

$$1 - 2 + 6 - 24 + 120 - 720 + \text{ etc.}$$

Ipse modus concipiendi seriem divergentem, tanquam ortam ex evolutione quantitatis alicujus finitae, nil quicquam habet absurdi, ut contra eum aliquid objici possit, et si vel maxime eadem series ex pluribus diversis expressionibus finitis oriri posset, hinc non sequeretur ejusmodi concipiendi modum esse absurdum; sed hoc sequeretur, ejusmodi expressiones non posse appellari summam, seu valorem seriei divergentis, et hoc magis confirmaret sententiam meam, qua statuo, seriem divergentem nullum habere valorem.

Ego vicissim Tibi assentior in eo, quod attinet ad integrationem aequationis $PRdx + QRdy = 0$. Si paulo attentius considerassem ea, quae in penultima epistola ipse scripsi, non amplius dubitassem, sed facile vidissem, demonstrationem ibi a me allatam inverti posse. Verum quia aliquis haerere posset in sumtione integralis quantitatis $PRdx$ in casu $x = 0$, mallem ego hunc modum integrationis praescribere: Sit S nota integrationis, quando y ponitur constans, et σ nota integrationis, quando x ponitur constans. Distinguatur $PRdx$ in membra, in quibus y non reperitur, et in ea, in quibus y reperitur; vocentur illa Xdx, haec pdx. Pariter distinguatur $QRdy$ in membra, in quibus x non reperitur, et in ea, in quibus x reperitur; vocentur illa Ydy, haec qdy. Eritque

$$\int PRdx + \int QRdy = \int Xdx + \int Ydy + Spdx = \int Xdx + \int Ydy + \sigma qdy = \text{constanti.}$$

Quod autem sit $Spdx = \sigma qdy$, sic facile demonstro: Sit (Fig. 72.) $AE = CF = dx$, $BE = pdx$ posita constante; per consequens $AG = Spdx$. Sit $AC = FE =$ diff. AG posita x constante, diff. AC positis y et dy constantibus $= DB - AC = DB - FE = DF - BE =$ diff. BE, seu diff. pdx positi x et dx

constantibus. Sed per hypothesin est quantitas R ita comparata, ut diff. pdx positis x et dx constantibus, debeat esse $=$ diff. qdy positis y et dy constantibus; ergo $AC=qdy$, per consequens $\sigma qdy = AG = Spdx$.

Ad ea, quae dixisti de radicibus imaginariis nihil habeo quod reponam, nisi quod existimem, ideam quantitatis imaginariae sive impossibilis involvere ideam radicis quadratae quantitatis negativae, quia eae quantitates sunt impossibiles, quae neque affirmativae esse possunt neque negativae, quarumque quadrata aut ipsa sunt impossibilia, aut saltem negativa. Problemata, quae in fine subjunxisti de projecta catena vel filo tribus corpusculis onusto, nimis difficilia mihi visa sunt. Malo fundamentum solutionis ex Te discere, quam ingeniolum meum hebetatum eorundem examine diu torquere. Quod superest Deum O. M. rogo, ut luctum ex B. Parentis Tui obitu conceptum minuat, Teque cum Tuis quam optime valere jubeat. Dabam Basileae die 20 Apr. 1745.

P. S. d. 1 Maji 1745. Postquam misi nuperam epistolam, cupido me incessit examinandi solutionem Tuam problematis de filo tribus corpusculis onusto. Scribis Te ex theoria motus elicuisse has aequationes

$$dt = ds\sqrt{\frac{4-\cos^2 s}{2\alpha - \beta + \alpha\cos s}} \quad \text{et} \quad dr = \beta ds\sqrt{\frac{2-\cos s}{(2+\cos s)\ldots}};$$

reliqua in denominatore, quae a sigillo epistolae Tuae obtecta sunt, non possum legere. Mihi videtur has duas aequationes ita constituendas esse

$$dt = ds\sqrt{\frac{4-(\cos s)^2}{2\alpha - \beta\beta + \alpha\cos s}} \quad \text{et} \quad dr = \beta ds\sqrt{\frac{2-\cos s}{(2+\cos s)(2\alpha - \beta\beta + \alpha\cos s)}},$$

ut sit $\quad \alpha = \frac{dr^2}{dt^2}(2+\cos s) + \frac{ds^2}{dt^2}(2-\cos s), \quad \text{et} \quad \beta = \frac{dr}{dt}(2+\cos s).$

Disquisitiones, quae jam sequuntur de problemate illo mechanico Joh. ***Bernoullii****, in superiori epistola* ***Euleriana*** *memorato, manu ipsius* ***Nicolai*** *conscriptae leguntur in margine primi autographi, quod postscriptum illud jam ante ad* ***Eulerum*** *missum exhibet, et eo magis mentione dignae sunt, quod nunquam ad* ***Eulerum*** *pervenisse videntur.* ***Editores.***

(Fig. 73.) $\quad AB = BC = ab = bc = 1$

$$AD = l, \quad BE = p$$

$$BD = m, \quad CE = q$$

$$ll + mm = 1 = pp + qq, \quad ldl = -mdm$$

$$pdp = -qdq$$

$$\text{angl. } ABD = \zeta, \quad \text{angl. } BCE = \eta$$

$$A\alpha = dx, \quad a\alpha = dy, \quad B\beta = dx + dl, \quad b\beta = dy + dm, \quad C\gamma = dx + dl + dp, \quad c\gamma = dy + dm + dq$$

tempus per Aa, Bb, $Cc = dt$. Ob motuum corporum A, B, C, et centri gravitatis tempusculo dt uniformitatem est

$$\frac{A\alpha + B\beta + C\gamma}{3} \text{ h. e. } dx + \frac{2}{3}dl + \frac{1}{3}dp = Adt \text{ hinc } x = At + B - \frac{2}{3}l - \frac{1}{3}p$$

$$\text{pariter } \frac{a\alpha + b\beta + c\gamma}{3} \text{ h. e. } dy + \frac{2}{3}dm + \frac{1}{3}dq = Cdt \text{ hinc } y = Ct + D - \frac{2}{3}m - \frac{1}{3}q$$

velocitas secundum $AD = \frac{Aa}{dt} = \frac{dx}{dt} = \frac{Adt - \frac{2}{3}dl - \frac{1}{3}dp}{dt}$, vis acceleratrix secundum $AD = al$

„ „ $AF = \frac{aa}{dt} = \frac{dy}{dt} = \frac{Cdt - \frac{2}{3}dm - \frac{1}{3}dq}{dt}$, „ „ „ $AF = am$

„ „ $C\gamma = \frac{C\gamma}{dt} = \frac{dx + dl + dp}{dt} = \frac{Adt + \frac{1}{3}dl + \frac{2}{3}dp}{dt}$, vis retard. secundum $CG = bp$

„ „ $CH = \frac{c\gamma}{dt} = \frac{dy + dm + dq}{dt} = \frac{Cdt + \frac{1}{3}dm + \frac{2}{3}dq}{dt}$, „ „ $CE = bq$

Posita dt constante est

$$\left.\begin{array}{ll} \text{incrementum velocitatis secundum} & AD = \frac{-\frac{2}{3}ddl - \frac{1}{3}ddp}{dt} = aldt \\ \text{„ „ „} & AF = \frac{-\frac{2}{3}ddm - \frac{1}{3}ddq}{dt} = amdt \end{array}\right\} \text{hinc } \frac{2ddl + ddp}{2ddm + ddq} = \frac{l}{m} = \frac{-dm}{dl}$$

$$\left.\begin{array}{ll} \text{decrementum „ „} & C\gamma = \frac{-\frac{1}{3}ddl - \frac{2}{3}ddp}{dt} = bpdt \\ \text{„ „ „} & CH = \frac{-\frac{1}{3}ddm - \frac{2}{3}ddq}{dt} = bqdt \end{array}\right\} \text{hinc } \frac{ddl + 2ddp}{ddm + 2ddq} = \frac{p}{q} = \frac{-dq}{dp}$$

Praecedentes aequationes reductae praebent

$$\left.\begin{array}{r} 2dlddl + dlddp + 2dmddm + dmddq = 0 \\ dpddl + 2dpddp + dqddm + 2dqddq = 0 \end{array}\right\} \quad \left.\begin{array}{r} 2mddl + mddp - 2lddm - lddq = 0 \\ qddl + 2qddp - pddm - 2pddq = 0 \end{array}\right\}$$

Priores duae additae et integratae praebent $dl^2 + dm^2 + dp^2 + dq^2 + dldp + dmdq =$ Const. seu $d\zeta^2 + d\eta^2 + (dldp + dmdq) =$ (ob $dl = md\zeta$, $dm = -ld\zeta$, $dp = qd\eta$, $dq = -pd\eta$) $d\zeta^2 + d\eta^2 + (pl + qm)\,d\zeta d\eta = d\zeta^2 + d\eta^2 + (d\zeta d\eta \cos(\zeta - \eta)) =$ Const. Ponendo

$$\zeta + \eta = r, \quad \zeta - \eta = s, \quad \text{seu} \quad \zeta = \frac{r+s}{2}, \quad \eta = \frac{r-s}{2},$$

habetur

$$\frac{2dr^2 + 2ds^2 + \cos s\,(dr^2 + ds^2)}{2} = \text{const.} \quad \text{h. e.} \quad dr^2(2 + \cos s) + ds^2(2 - \cos s) = \alpha dt^2.$$

Posteriores duae aequationes additae et integratae praebent

$$2mdl + mdp - 2ldm - ldq + qdl + 2qdp - pdm - 2pdq = 2mmd\zeta + mqd\eta + 2lld\zeta + lpd\eta + mqd\zeta + 2qqd\eta$$
$$+ lpd\zeta + 2ppd\eta = 2d\zeta + 2d\eta + (lp + mq)(d\zeta + d\eta) = (d\zeta + d\eta)(2 + \cos(\zeta - \eta)) = dr\,(2 + \cos s) = \text{Const.}\,\beta dt.$$

6.

Viro Celeberrimo atque Amplissimo N. B. S. P. D. L. E.

Etsi litterae Tuae, Vir Celeberrime, maximo gaudio me afficiunt, summumque mihi fructum afferunt, tamen quoniam non ignoro in aliis diversissimi generis studiis Tibi plurimum esse elaborandum, ne Tibi sim molestus, frequentiores a Te litteras exigere non ausim, sed hoc tantum a Te etiam atque etiam rogo, ut meas benevole accipere, ad easque non nisi cum satis otii fueris nactus, respondere velis. Gratissimum mihi fuit ex Te intelligere opusculum meum de Isoperimetris, vel potius Isodynamis Tibi non displicere; argumentum mihi quidem ita comparatum videtur, ut in eo non errare sit difficillimum. De solutione Celeb. Joh. Bernoullii, quae extat in Comment. Academiae Regiae Parisinae 1706, Tecum plane sentio, neque etiam dubito, quin ipse Auctor, si sententiam suam aperte declarare voluerit, sit dissensurus. Cum autem ejus defensionem semel tanto ardore suscepisset, mirum non est, quod errorem profiteri nunquam voluerit. Ob eandem autem causam omnes occasiones data opera evito, meam sententiam de ista solutione indicandi. Tibi autem, Vir Celeb., maximas gratias habeo, quod Tuum judicium cum tam egregiis animadversionibus mecum communicare volueris. Saepenumero certe difficillimum est dignoscere, utrum formulae cujuspiam inventae valor sit maximus an minimus, praesertim si plures quantitates indefinitae in eam ingrediantur. Tanta est enim affinitas inter maximum et minimum, ut eadem quantitas seu functio V, quae formulam $A + V$ reddat maximam, eadem hanc formulam solo signo mutato $A - V$ exhibeat minimam. Sic cum aequatio

$$dy = \frac{pdx}{\sqrt{(aa - pp)}}$$

praebeat maximum $\int pdy$, vicissim haec aequatio

$$dy = \frac{-pdx}{\sqrt{(aa - pp)}},$$

quae quidem in illa ob signi radicalis ambiguitatem jam continetur, $\int pdy$ faciet minimum, quod clarius patebit si, uti fecisti, pro p scribatur $p \pm c$.

Quod ad valorem seriei divergentis $1 - 1 + 2 - 6 + 24 - 120 +$ etc. attinet, puto equidem dari lineam curvam, cujus abscissa si fuerit $= x$, applicata esse queat

$$y = x - 1x^2 + 2x^3 - 6x^4 + 24x^5 - 120x^6 + \text{ etc.}$$

unde si in hac curva ponatur abscissa $x = 1$, applicata y exhibebit valorem seriei

$$1 - 1 + 2 - 6 + 24 - 120 + \text{ etc.}$$

Potest autem natura hujus curvae per aequationem differentialem exprimi. Cum enim sit

$$\frac{dy}{dx} = 1 - 2x + 6x^2 - 24x^3 + 120x^4 - 720x^5 + \text{ etc.}$$

erit ob utriusque seriei similitudinem

$$\frac{dy}{dx} = \frac{x - y}{xx}, \quad \text{seu} \quad dy + \frac{ydx}{xx} = \frac{dx}{x},$$

quae est aequatio differentialis pro curva quaesita, cujus integrale, si e denotat numerum, cujus logarithmus $= 1$, erit

$$e^{-\frac{1}{x}} y = \int \frac{e^{-\frac{1}{x}} dx}{x},$$

quod integrale ita sumi debet, ut evanescat posito $x = 0$; erit ergo hinc

$$y = e^{\frac{1}{x}} \int \frac{e^{-\frac{1}{x}} dx}{x},$$

hujusque proinde expressionis valor facto $x = 1$ dabit valorem seriei propositae. Erit ergo summa seriei propositae

$$= e \int \frac{e^{-\frac{1}{x}} dx}{x} = \int \frac{e^{1-\frac{1}{x}} dx}{x},$$

posito post integrationem $x = 1$. Ponatur $e^{1-\frac{1}{x}} = z$; erit posito $x = 0$, $z = 0$, et posito $x = 1$, $z = 1$; unde summa seriei erit $= \int \frac{dz}{1 - lz}$, integrali ita sumto, ut evanescat posito $z = 0$, deinde vero facto $z = 1$. Sit porro $z = 1 - t$, erit summa seriei $= \int \frac{-dt}{1 - l(1 - t)}$, integrali ita sumto, ut evanescat posito $t = 1$, tumque facto $t = 0$. Jam ob

$$l(1 - t) = -t - \frac{1}{2}tt - \frac{1}{3}t^3 - \frac{1}{4} - t^4\text{etc.}$$

habebitur summa seriei

$$= \int \frac{-dt}{1+t+\frac{1}{2}tt+\frac{1}{3}t^3+\frac{1}{4}t^4+\text{etc.}}:$$

Sit
$$\frac{1}{1-l(1-t)} = 1+\alpha t+\beta t^2+\gamma t^3+\delta t^4+\text{ etc.}$$

erit integrale

$$= -t-\frac{1}{2}\alpha t^2-\frac{1}{3}\beta t^3-\frac{1}{4}\gamma t^4-\frac{1}{5}\delta t^5-\text{ etc. }+1+\frac{1}{2}\alpha+\frac{1}{3}\beta+\frac{1}{4}\gamma+\frac{1}{5}\delta+\text{ etc.}$$

Fiat jam $t=0$, erit seriei divergentis $1-1+2-6+24-120+720-$ etc. valor

$$=1+\frac{1}{2}\alpha+\frac{1}{3}\beta+\frac{1}{4}\gamma+\frac{1}{5}\delta+\text{ etc.}$$

Est vero series haec valde convergens ob

$$\begin{aligned}
&\alpha \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots = +1\\
&\beta = +\alpha-\frac{1}{2} \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots = +\frac{1}{2}\\
&\gamma = +\beta-\frac{1}{2}\alpha-\frac{1}{3} \ldots\ldots\ldots\ldots = -\frac{1}{3}\\
&\delta = -\gamma-\frac{1}{2}\beta-\frac{1}{3}\alpha-\frac{1}{4} \ldots\ldots\ldots = +\frac{1}{6}\\
&\varepsilon = -\delta-\frac{1}{2}\gamma-\frac{1}{3}\beta-\frac{1}{4}\alpha-\frac{1}{5} \ldots\ldots = -\frac{7}{60}\\
&\zeta = -\varepsilon-\frac{1}{2}\delta-\frac{1}{3}\gamma-\frac{1}{4}\beta-\frac{1}{5}\alpha-\frac{1}{6} \ldots = +\frac{19}{360}\\
&\eta = -\zeta-\frac{1}{2}\varepsilon-\frac{1}{3}\delta-\frac{1}{4}\gamma-\frac{1}{5}\beta-\frac{1}{6}\alpha-\frac{1}{7} = -\frac{3}{70}\\
&\text{etc.}
\end{aligned}$$

ergo seriei propositae $1-1+2-6+24-$ etc.

$$\text{valor} = 1-\frac{1}{2}+\frac{1}{6}-\frac{1}{12}+\frac{1}{30}-\frac{7}{360}+\frac{19}{2520}-\frac{3}{560}+\text{ etc.}$$

$$\text{differentiae } 1^{\text{mae}} \quad \frac{1}{2},\ \frac{1}{3},\ \frac{1}{12},\ \frac{1}{20},\ \frac{1}{72},\ \frac{1}{84},\ \frac{11}{5040},\ \text{etc.}$$

$$\text{differentiae } 2^{\text{dae}} \quad \frac{1}{6},\ \frac{1}{4},\ \frac{1}{30},\ \frac{13}{360},\ \text{etc.}$$

etc.

hujus autem seriei non difficulter summa vero proxima invenitur, prodibitque fere 0,59521. Ceterum non mediocriter gaudeo, Tibi meum series divergentes considerandi modum probari, sic utique rectius dixerim esse 0,59521 valorem illius expressionis finitae, ex cujus evolutione series divergens $1-1+2-6+$ etc. nascatur. Vix autem crediderim ullum dari casum, quo eadem series divergens ex evolutione plurium formularum diversarum oriri queat.

Fundamenta solutionis meae problematis de motu catenae, seu plurium corpusculorum filo connexorum lubentissime judicio Tuo, Vir Amplissime, subjiciam. Utor ad hoc lemmatibus quibusdam, quorum ratio ex dynamicis facillime constat:

I. Si corpus secundum rectam AB motu quocunque feratur, cujus massa sit A; si tempore t elapso confecerit spatium $AP=x$, erit ejus celeritas in $P=\frac{dx}{dt}$, et vis id in P secundum PB sollicitans $=\frac{2Addx}{dt^2}$, posito dt constante.

*

II. Si (Fig. 74) corpus in linea curva EM moveatur utcunque, atque tempore t elapso versetur in M, quod punctum determinetur coordinatis $AP = x$, $PM = y$, corporisque motus resolutus concipiatur secundum directiones Mp et Mm, ipsis x et y parallelas, erit celeritas in directione $Mp = \frac{dx}{dt}$, et in directione $Mm = \frac{dy}{dt}$. Tum vero si massa corporis sit $= A$, erit vis sollicitans corpus secundum $Mp = \frac{2\,Addx}{dt^2}$, et secundum $Mm = \frac{2\,Addy}{dt^2}$.

His jam praemissis sint (Fig. 75) tria corpuscula L, M, N, filo connexa, quae super plano utcunque moveantur. Pervenerint ea elapso tempore t in situm, quem figura exhibet. Sumta recta AB pro axe, ad eumque demissis perpendiculis LP, MQ, NR, vocentur $AP = x$, $PL = y$, $AQ = x'$, $QM = y'$, $AR = x''$, $RN = y''$ et sit longitudo fili $LM = a$, ejus inclinatio ad axem $AB = \varphi$, longitudo fili $MN = a'$ ejusque inclinatio ad axem $= \varphi'$; erit $x' - x = a\cos\varphi$, $y' - y = a\sin\varphi$, $x'' - x' = a'\cos\varphi'$ et $y'' - y' = a'\sin\varphi'$. Tum vero per lemma secundum necesse est, ut corpusculum L sollicitetur

$$\text{secundum } Lp \text{ vi } = \frac{2\,Lddx}{dt^2}, \quad \text{secundum } Ll \text{ vi } = \frac{2\,Lddy}{dt^2};$$

corpusculum M vero

$$\text{secundum } Mq \text{ vi } = \frac{2\,Mddx'}{dt^2}, \quad \text{secundum } Mm \text{ vi } = \frac{2\,Mddy'}{dt^2};$$

corpusculum denique N

$$\text{secundum } Nr \text{ vi } = \frac{2\,Nddx''}{dt^2}, \quad \text{secundum } Nn \text{ vi } = \frac{2\,Nddy''}{dt^2}.$$

Ponatur nunc tensio fili $LM = P$, fili $MN = Q$, atque a vi P corpus L urgebitur secundum Lp vi $= P\cos\varphi$, secundum Ll vi $= P\sin\varphi$; corpus M secundum $M\xi$ vi $= P\cos\varphi$, secundum MQ vi $= P\sin\varphi$. Deinde a tensione Q fili MN corpus M urgebitur secundum Mq vi $= Q\cos\varphi'$, secundum Mm vi $= Q\sin\varphi'$, at corpus N secundum $N\varrho$ vi $= Q\cos\varphi'$, secundum NR vi $= Q\sin\varphi'$. Hae vires nunc illis, quae ex consideratione motus sunt elicitae, aequales esse debent, unde obtinentur sequentes aequationes:

$$\frac{2\,Lddx}{dt^2} = P\cos\varphi, \quad \frac{2\,Mddx'}{dt^2} = Q\cos\varphi' - P\cos\varphi, \quad \frac{2\,Nddx''}{dt^2} = -\,Q\cos\varphi'$$

$$\frac{2\,Lddy}{dt^2} = P\sin\varphi, \quad \frac{2\,Mddy'}{dt^2} = Q\sin\varphi' - P\sin\varphi, \quad \frac{2\,Nddy''}{dt^2} = -\,Q\sin\varphi'.$$

Quae aequationes cum superioribus conjunctae sufficient ad quantitates P, Q, φ et φ' eliminandas, atque problema perfecte solvent, uti facillime perspicies.

Vale, Vir Amplissime, mihique favere perge. Dabam Berolini d. 17 Julii 1745.

P. S. Dum haec de serie divergenti $1 - 1 + 2 - 6 + 24 - 120 + 720 -$ etc. scripsi, in alium modum quantitatem finitam, ex qua nascitur, exprimendi incidi, qui ita se habet

$$1 - a + 2a^2 - 6a^3 + 24a^4 - 120a^5 + \text{etc.} = \cfrac{1}{1 + \cfrac{a}{1 + \cfrac{a}{1 + \cfrac{2a}{1 + \cfrac{2a}{1 + \cfrac{3a}{1 + \cfrac{3a}{1 + \cfrac{4a}{1 + \cfrac{4a}{1 + \cfrac{5a}{1 + \cfrac{5a}{1 + \text{etc.}}}}}}}}}}}$$

ex qua expressione facile limites, inter quos ille valor contineatur, assignantur, qui quantumvis prope libuerit ad rationem aequalitatis accedant. Sic si $a = 1$ valorque quaesitus ponatur

$$1 - 1 + 2 - 6 + 24 - 120 + \text{etc.} \quad = s, \quad \text{erit}$$

$$\left.\begin{array}{l} s < \frac{1}{1},\ s < \frac{2}{3},\ s < \frac{8}{13},\ s < \frac{44}{73},\ s < \frac{300}{501},\ s < \frac{2420}{4051},\ s < \frac{22460}{37633} \\ s > \frac{1}{2},\ s > \frac{4}{7},\ s > \frac{20}{34},\ s > \frac{124}{209},\ s > \frac{920}{1546},\ s > \frac{7940}{13327},\ s > \frac{78040}{130922} \end{array}\right\} \text{etc.}$$

Hinc in fractionibus decimalibus collegi valorem ipsius s contineri intra hos limites 0,5963107 et 0,5963764, quorum posterior multo propior est veritati, quam prior, ita ut revera quasi sit $s = 0{,}5963475922$. Fallax ergo fuit modus a me ante adhibitus, seu saltem non nimis aptus ad appropinquandum, quo inveneram $s = 0{,}59521$. Hoc itaque valore ab 1 subtracto, erit valor (seu uti vocare volueris) seriei

$$1 - 2 + 6 - 24 + 120 - 720 + \text{etc.} \quad = 0{,}4036525,$$

qui in meis praecedentibus perperam erat 0,40478. Simili autem modo inveni fore generaliter

$$1 - ma + m(m+n)a^2 - m(m+n)(m+2n)a^3 + m(m+n)(m+2n)(m+3n)a^4 - \text{etc.} \quad =$$

$$\cfrac{1}{1 + \cfrac{ma}{1 + \cfrac{na}{1 + \cfrac{(m+n)a}{1 + \cfrac{2na}{1 + \cfrac{(m+2n)a}{1 + \cfrac{3na}{1 + \cfrac{(m+3n)a}{1 + \cfrac{4na}{1 + \cfrac{(m+4n)a}{1 + \text{etc.}}}}}}}}}}$$

ex qua expressione arbitror, non contemnendas conclusiones derivari posse.

Habere autem seriem $z - 1z^2 + 2z^3 - 6z^4 + 24z^5 - 120z^6 + 720z^7 -$ etc. valorem determinatum, sequenti modo mihi demonstrare posse videor. Concipiatur curva, cujus abscissa existente $= x$, applicata sit $y = \frac{1}{1 - lx}$, erit hujus curvae area

$$= \int \frac{dx}{1 - lx} = \frac{x}{1 - lx} - \frac{1x}{(1 - lx)^2} + \frac{1.2.x}{(1 - lx)^3} - \frac{1.2.3.x}{(1 - lx)^4} + \text{etc.}$$

quae cum habeat determinatam quantitatem, sequitur quoque hanc seriem valorem determinatum habere.

Quod luctum mihi ex morte Patris mei inflictum consolatione Tua lenire volueris, maximas Tibi ago gratias, Deumque T. O. M. rogo, ut Te cum Tuis incolumem et ab omnibus calamitatibus immunem servare velit!

His absolutis accipio schedulam Tuam litteris Celeb. Dan. Bernoullii inclusam, in qua lapsum formularum mearum recte annotas, quem ipse ignoraveram. In scripto enim meo, unde istas formulas exscripseram, aliis usus eram litteris constantibus, ad legem homogeneitatis nondum accommodatis, quarum loco inter describendum alias litteras substitui, sicque per errorem evenit, ut alteram formulam ponerem

$$dr = \beta ds \sqrt{\frac{2 - \cos s}{(2 + \cos s)(2a - \beta + a\cos s)}},$$

cum scribere debuissem

$$dr = ds \sqrt{\frac{\beta(2 - \cos s)}{(2 + \cos s)(2a - \beta + a\cos s)}};$$

ita ut mihi sit β, quod Tu per $\beta\beta$ in emendatione exprimis. Sic autem formula prior

$$dt = ds \sqrt{\frac{4 - (\cos s)^2}{2a - \beta + a\cos s}}$$

recte se habet.

B. Duae litterae ad Fredericum II, Regem Borussorum, datae annis 1749 et 1763.

1*).

Sire,

Ayant fait l'examen de la loterie italienne dont V. M. a bien voulu me charger si grâcieusement, j'ai premièrement déterminé combien chaque joueur devrait payer pour que l'avantage fût égal tant pour le banquier que pour le joueur, d'où l'on connaîtra d'abord, combien le banquier doit gagner probablement, si le joueur est obligé de payer plus que l'égalité du jeu ne demande.

Suivant le projet, on fait 90 billets marqués des nombres 1, 2, 3, 4 etc. jusqu'à 90, dont on ne tire que 5 au hasard, lorsqu'on juge qu'un assez grand nombre de joueurs s'est engagé. Or on peut prendre part à ce jeu de plusieurs manières différentes, selon que chaque joueur le trouve convenable.

La 1ère est: le joueur choisit à volonté un numéro des 90 proposés, et il détermine lui-même le gain qu'il veut avoir en cas que son nombre se trouve parmi les 5 billets qu'on tirera à la loterie; et en proportion du gain qu'il attend, il est obligé de payer une certaine somme d'argent. Supposant que le joueur fasse prétention à un gain de 100 écus; pour que le parti soit égal, il devrait payer la 18ème partie de 100 écus, c'est à dire 5 Rthlr. 13 gr. 4 pf. Or selon le projet, il doit payer 8 Rthlr. Donc la banque doit s'attendre à un profit de 44 p. cent. Il en sera de même de tous les autres prix que les joueurs demandent par cette manière de jouer. Comme si quelqu'un vouloit gagner 1000 écus, en cas que son nombre se trouvât parmi les 5 qui se tirent, il serait obligé de payer d'avance, pour obtenir cette condition, 80 écus, et ainsi des autres prix, plus hauts ou plus bas, que les joueurs pourroient choisir.

La 2de manière de jouer se fait pas les ambes, ensorte que le joueur choisit deux nombres à la fois, et détermine lui même le prix qu'il veut gagner, en cas que tous les deux nombres se trouvent parmi les cinq numéros qu'on tirera au jour de la loterie. La probabilité que deux nombres, choisis à plaisir, se rencontrent dans les 5 qu'on tire au hasard des 90, n'étant que $\frac{5.4}{90.89}$ ou $\frac{2}{801}$, pour que le parti fût égal, il ne devrait payer que $\frac{2}{801}$ parties du prix auquel il prétend, c'est à dire, s'il demande un prix de 100 écus, il ne paieroit que 5 gr. $11\frac{81}{89}$ pf. ou 6 gr. à peu près. Or, selon le projet, la mise, pour avoir ce gain, est 14 gr., donc la banque gagneroit $133\frac{5}{8}$ p. cent. Or comme ce profit seroit trop considérable, pour mieux encourager les joueurs, on leur accorde 20 p. cent sur chaque prix qu'ils gagneront par une ambe, c'est à dire, au lieu de 100 écus, on leur promet de payer 120 écus en cas que leur ambe vienne à gagner, et partant la banque profitera probablement $94\frac{11}{16}$ p. cent.

La 3ème manière de participer à cette loterie est pas ternes, où le joueur se choisit 3 nombres à la fois,

*) Responsio ad sequens rescriptum regium: «Sa Majesté le Roi de Prusse, notre très gracieux Souverain, fait envoyer ci-joint au Professeur Euler le projet d'une loterie, établie dans la plupart des villes considérables d'Italie, et qui a été présenté à Sa Majesté par un certain Roccolini, pour examiner avec exactitude les calculs algébriques qui entrent dans toutes les pièces de ce projet; mais sourtout de bien approfondir par l'algèbre tous les hasards que l'entrepreneur d'une pareille loterie peut courir, et de même les profits qu'il pourroit faire par là, et d'en faire, aussitôt que faire se pourra, son très humble rapport à Sa Majesté. A Potsdam le 15 septembre 1749.

Signatum: Federic.

P. S. En cas que le dit Professeur Euler ait encore besoin de quelques lumières touchant ce projet, il pourra s'adresser pour cet effet au Lieutenant-général Comte de Mottembourg.»

sous condition de gagner le prix en cas que tous ces trois nombres se trouvent dans les 5 extraits, de sorte qu'il perde, soit qu'aucun de ses nombres ne s'y trouve, soit qu'il s'y en trouve un seulement, ou deux. Dans ce cas, la probabilité de gagner pour le joueur est $= \frac{5.4.3}{90.89.88}$ ou $\frac{1}{11748}$; de sorte que, pour gagner un prix quelconque, il n'auroit qu'à en payer la 11748$^{\text{ème}}$ partie, pour que l'avantage fût égal de part et d'autre. Ainsi, pour gagner par une terne un prix de 100 écus, le joueur ne devroit payer que $2\frac{1}{2}$ pf. Or, selon le projet, le paiement pour ces 100 écus est marqué de 15 pf.; donc la banque gagneroit $511\frac{7}{8}$ p. cent. Mais pour un plus grand encouragement, la banque s'engage de bonifier 80 p. cent sur chaque prix qui se gagne par ternes, et partant le profit de la banque seroit 240 p. cent.

Ce sont les trois principales manières de jouer; mais dans les papiers qui m'ont été communiqués, il est fait mention encore d'autres manières mêlées de celles-ci. Comme p. exemple, un jouer choisit 3 nombres avec ces conditions que, si tous les trois se trouvent parmi les nombres qui seront tirés, il prétend à un prix de 50 écus, par exemple; mais s'il ne s'y rencontre que deux de ses nombres, ou une ambe, il prétend à 5 écus. Pour cette condition on trouve, par la règle des combinaisons, que, pour que le parti soit égal de part et d'autre, il faut payer pour la terne $\frac{1}{11748}$ du prix, et pour l'ambe $\frac{85}{11748}$ du prix: Donc celui-là étant supposé de 50 écus, et celui-ci de 5 écus, le joueur sera obligé de payer, en tout, un peu moins qu'un gros. Je ne trouve pas, combien il faut payer dans ce cas selon le projet; mais il est à présent très facile de le déterminer ensorte, que la banque gagne autant qu'on veut. Comme, si la banque vouloit gagner 100 p. cent, le joueur devrait payer 2 gros, au lieu d'un.

Il sera également aisé de déterminer, tant pour ces manières de jouer que pour toutes les autres qu'on peut imaginer, combien le joueur doit payer pour les conditions qu'il exige, afin que la banque en tire un tel profit, ou autant p. cent qu'on souhaitera. Le profit auquel la banque se pourroit attendre probablement, selon le projet de l'Italien, sera donc assez considérable, puisque sur les simples extraits, elle gagneroit 44 p. cent, sur les ambes 94 et sur les ternes 240 p. cent.

On n'est pas même attaché ni au nombre de 90 billets, ni à celui de 5 qu'on en tire au jour que la loterie se joue. On y peut varier, comme on jugera à propos. Pour le mieux faire voir, j'ajouterai ici un autre projet où le nombre des billets est 100, marqués des nombres 1, 2, 3, 4 jusqu'à 100, desquels on tire au hasard 10, et les conditions du jeu pour les joueurs seront les suivantes, pour que l'avantage soit égal de part et d'autre.

I. Le joueur ne prenant qu'un nombre, pour qu'il gagne 1000 écus, en cas que son nombre se trouve parmi les dix extraits, il doit payer à la banque....... 100 écus.

II. Si le joueur se choisit deux nombres, on pourra faire deux cas:

1) pour qu'il gagne 1000 écus, en cas que tous les deux nombres se trouvent parmi les dix extraits, il doit payer.......................... $9\frac{1}{11}$ écus

2) pour qu'il gagne 1000 écus, en cas qu'un seul de ses nombres se trouve parmi les extraits, il doit payer......................... $181\frac{9}{11}$ écus

III. Si le joueur se choisit trois nombres, on pourra considérer trois cas:

1) pour qu'il gagne 1000 écus, lorsque tous ses trois nombres se rencontrent dans les dix extraits, il doit payer.......................... 18 gros

2) pour qu'il gagne 1000 écus, lorsqu'il ne se trouve que deux de ses nombres dans les extraits, il doit payer.......................... 25 Rthlr. 1

3) s'il veut gagner 1000 écus, pourvu qu'un de ses nombres se trouve parmi les extraits, il doit payer .... 247 Rthlr. 16 gr.

IV. Si le joueur choisit 4 nombres, on pourra considérer quatre cas:

1) pour qu'il gagne 1000 écus, lorsque tous ses quatre nombres se rencontrent dans les dix extraits, il doit payer .... 1 gr. 4 pf.

2) pour avoir le même gain, lorsque trois de ses nombres se rencontrent parmi les dix extraits, il doit payer .... 2 Rthlr. 21 gr.

3) pour avoir le même gain, s'il ne se trouve que deux de ses nombres tirés, il payera.. 47 Rthlr. 10 gr.

4) enfin le même gain lui revient si, parmi les numéros tirés il ne se trouve qu'un seul de ses nombres; mais dans ce cas il faudra qu'il ait payé .... 312 Rthlr. 17 gr.

J'ai supposé ici partout le gain de 1000 écus, mais il est évident qu'on peut appliquer ces résultats à tous les gains possibles que les joueurs pourroient prescrire; car si le joueur prétend à un gain ou plus grand ou plus petit que 1000 écus, il paiera en proportion ou d'autant plus, ou d'autant moins.

Selon les arrangemens marqués, l'avantage seroit parfaitement égal du côté de la banque et des joueurs, mais il est facile d'augmenter les mises des joueurs afin que la banque gagne tant qu'on veut. Comme, si la banque vouloit un profit de 50 p. cent, on n'aurait qu'à augmenter les mises marquées de leur moitié chacune. Si la banque vouloit un profit de 100 p. cent, les joueurs devroient payer le double, et ainsi de suite.

Il seroit convenable de se contenter d'un profit médiocre, comme de 20 p. cent, sur les cas où le joueur est obligé de payer une partie considérable du prix qu'il prétend, comme la 10ème partie et au delà. Mais où la mise est fort petite par rapport au gain qu'on prescrit, on pourra considérablement augmenter le profit, sans que les joueurs en soient découragés. Ainsi, lorsque le joueur ne devroit payer que 18 gr. pour gagner 1000 écus, il ne balanceroit pas beaucoup de payer 2 écus, au lieu de 18 gr., et par ce moyen la banque gagneroit 166 p. cent.

De cette manière le hasard, auquel la banque est exposée, deviendra plus petit; car la banque risque d'autant moins, plus la somme que les joueurs doivent payer, sera considérable.

Pour le risque de la banque il est à remarquer qu'on ne peut pas compter sûrement sur le profit que le calcul montre. Cependant, en général, on peut assurer que plus le nombre des joueurs est grand, plus sera aussi certain le profit marqué par le calcul. Mais si le nombre des joueurs est fort petit, ou que quelqu'un fasse prétention à un gain immense par une mise modique, il pourroit réussir, quelque petite que soit la probabilité, et par ce moyen la banque courroit risque de faillir.

Cette loterie est donc de telle nature qu'il ne seroit pas à propos de s'en mêler, à moins qu'on ne fût assûré qu'un très grand nombre de joueurs y voudraient prendre part, et encore, dans ce cas, la banque devroit être en droit de ne s'engager point à de trop grandes sommes. On ne doit pas non plus accorder, qu'un très grand nombre de personnes choisissent les mêmes nombres pour gagner, puisque en cas qu'ils gagnassent toutes, la banque souffriroit une perte trop considérable.

Dans la persuasion que ces calculs avec les remarques y jointes seront conformes à la haute intention de V. M. je suis avec le plus profond respect etc.

Euler.

2*).

Sire,

Après avoir examiné, par ordre de Votre Majesté, le plan de loterie de M. de Griethausen, je trouve que les avantages que l'Etat en peut espérer pourraient être encore plus considérables que l'auteur n'assûre, et même monter à 8 millions de florins, comme je crois l'avoir prouvé dans les réflexions ci-jointes. Tout revient à savoir, si l'on peut bien s'attendre à ce que cette loterie fut remplie: la somme de 100 fl. pour chaque billet, et de 1000 fl. que la continuation pendant dix ans exige, sera toujours un objet très considérable pour bien du monde, de sorte que la distribution de 50000 billets sembleroit presque impossible, si l'on ne savoit par expérience que de telles loteries réussissent assez bien en Hollande où le crédit affermit la confiance du public. Personne n'apprendra jamais rien de moi sur ce projet. J'ose profiter de cette occasion pour présenter à V. M. mes très humbles et très respectueux remercîments des assurances grâcieuses que V. M. a bien voulu donner à mon fils; j'en suis le plus vivement pénétré, et je meurs avec le plus profond respect, Sire, de V. M. etc. Août 1763.

Euler.

Plan d'une loterie de cinq classes, chacune de 50000 billets qui toutes doivent être tirées dans un an, et réitérées pendant dix ans consécutifs.

Classes.	Mise d'un lot.	Recette.	Nombre des lots.	Somme des prix.	Reste en dépôt.
I.	10 fl.	500.000 fl.	8000	292.880	207.120 fl.
II.	15	750.000	8000	508.967	241.033
III.	20	1.000.000	8000	771.480	228.520
IV.	25	1.250.000	8000	1.047.208	202.792
V.	30	1.500.000	8000	1.524.465	— 24.465
		5.000.000	40.000	4.145.000	855.000

Après le tirage de ces cinq classes, le dépôt de 855000 fl. est employé à faire, pour une sixième classe, des prix de $28\frac{1}{2}$ fl. chacun pour 30000 billets, s'il y en a autant qui n'ont rien gagné dans les cinq classes. Il y a ici une incertitude sur laquelle je fais les réflexions suivantes:

*) Responsio ad sequens rescriptum regium: «Le nommé Griethousen en Hollande venant de M'envoyer un plan de loterie qu'il pense d'établir dans le pays de Clèves, pour aider cette province à se débarasser des dettes qu'elle s'est vue obligée de contracter pendant les troubles de la dernière guerre. J'ai bien voulu vous communiquer ci-joint ce plan, afin que vous l'examiniez dans tout son détail et me marquiez ensuite votre sentiment, si vous le trouvez solide et équitable pour être agréable au public, et pour que la susdite province en trouve le soulagement que l'auteur en fait espérer. J'attends le rapport que vous M'en ferez, auquel vous voudrez bien Me faire le plaisir de joindre le plan susdit avec vos remarques. Je voudrois d'ailleurs que vous n'en fissiez point d'éclat encore, ni qu'il en transpirât quelque chose hors de saison dans le public, tant sur ce qui regarde ce plan, que sur son auteur. Sur ce Je prie Dieu qu'il vous ait en sa Sainte garde. A Potsdam ce 17 d'août 1763.»

Signatum: «Federic.»

1° Si tous les prix dans les cinq classes tomboient sur des billets différents, de sorte qu'aucun n'en gagnât deux, il n'y auroit que 10000 qui entreroient dans la 6ème classe dont chacun retireroit $28\frac{1}{2}$ fl. ce qui faisant 28500 fl., laisseroit un profit de 570000 fl. pour les entrepreneurs ou pour la caisse.

2° Si tous les prix dans chaque classe tomboient sur les mêmes 8000 billets, il y auroit 42000 sans gain, dont 30000 profiteroient du bénéfice de la 6ème classe, et 12000 n'auroient absolument rien. Aussi le profit de l'entrepreneur s'évanouiroit.

3° Or ni l'un ni l'autre de ces deux cas n'existera probablement jamais, et l'on peut supposer à peu près qu'il y aura ordinairement le milieu, c'est à dire 26000 billets sains gains; de sorte que la 6ème classe ne contiendra qu'autant de billets, au lieu de 30000, et par conséquent le profit de l'entrepreneur peut être censé de 114000 fl.

4° Ce profit deviendra encore plus considérable par le § 19 N. B, où la dixième partie de chaque grand lot de 1000 fl. et au dessus doit être partagée parmi les 9 compagnons de la même parcelle, et qui, par conséquent, seront exclus de la 6ème classe. Comme il y a dans les cinq classes 328 tels lots ou primes, il pourroit y avoir 9 fois autant, c'est à dire 2957 qui ne concourroient point dans la 6ème classe. Mais comme plusieurs en seront exclus d'eux mêmes, en comptant la moitié, 1500, le nombre des participants à la 6ème classe en sera diminué, et partant le profit de la caisse devra être estimé à 156.750 fl.

5° Les années suivantes ce profit deviendra plus considérable, parce que ceux qui ont gagné 1000 fl. et au-delà, dans les années précédentes, seront à l'avenir pour toujours exclus de la ressource de la 6ème classe, quoique leurs lots ne gagnent plus rien.

6° L'auteur met ce profit de la caisse par an à 250000 fl., laquelle somme pourroit bien être trop grande; mais comme c'est le hasard dont dépend cette somme qui pourroit également devenir tant beaucoup plus grande que plus petite, on n'y sauroit compter pour sûr. Cependant on le doit regarder toujours comme un objet très considérable.

7° Cet argent mis dans la caisse peut être employé pendant les dix ans et fournir des intérêts à 5 p. cent comme l'auteur suppose; mais au bout de ce temps, il ne dit pas ce que doit devenir ce capital lui-même qui doit monter pourtant à 2.500000 fl. Cette somme, qui semble devoir être un profit réel pour la caisse, n'est pas comprise dans les 7 millions qu'il suppose rester au profit de l'Etat.

8° Il y a encore un autre bénéfice résultant de l'association proposée, où ceux qui en veulent profiter paient pour leurs lots 10 p. cent au-delà de la mise ordinaire, ce qui fait 10 fl. par an sur chaque lot, et ce surplus doit être partagé au bout de 10 ans parmi ceux des associés qui auront perdu, *pro rata* de leur perte. Pendant ce temps, cette somme peut être placée à intérêts qui tomberont au profit de la caisse.

9° Outre cela, on déduit de chaque gain 10 p. cent, ce qui fait 500000 fl. par an, laquelle somme, avec celles des articles précédents, sera mise à intérêt à 5 p. cent, et l'auteur suppose que tout cela pourroit bien monter à 1 million par an dont il rassemble les intérêts qui en écheoient tous les ans. Or, il ne dit pas à quoi ces intérêts sont employés tous les ans: si c'est d'abord au profit du pays pour payer les dettes, ou s'ils doivent rester dans la caisse, auquel cas ils pourroient bien être employés à produire de nouveaux intérêts.

C. Octodecim litterae ad Cel. Lagrange datae annis 1755 ad 1775.

1.

Vir praestantissime atque Excellentissime.

Perlectis tuis postremis litteris, quibus theoriam maximorum ac minimorum ad summum fere perfectionis fastigium erexisse videris, eximiam ingenii tui sagacitatem satis admirari non possum. Cum enim non solum in tractatu meo de hoc argumento methodum mere analyticam desideravissem, qua regulae ibi traditae erui possent, sed etiam deinceps non parum studii in hujusmodi methodo detegenda consumpsissem, maximo sane gaudio me affecisti, quod tuos profundissimas aeque ac solidissimas meditationes super his rebus mecum benevole communicare voluisti, quamobrem tibi me maxime obstrictum agnosco. Statim autem perspixi analysin tuam, quae meas hujusmodi problematum solutiones per sola analyseos praecepta elicuisti, multo latius patere mea methodo ideis geometricis innixa. In universa enim serie valorum ipsius y, qui singulis valoribus ipsius x respondent, donec x dato valori a aequetur, ego unicum valorem ipsius y data quadam particula δy augeri concepi, indeque incrementum in formula integrali $\int zdx$ ortum investigavi, dum tu, Vir clarissime, singulos valores ipsius y incrementa δy capere assumis, quam ob causam, non dubito quin tua analysis, si penitus excolatur, ad multo profundiora mox sit perductura. Cujus quidem praestantiae jam eximia exempla a te feliciter confecta circa lineas citissimi appulsus ad datam lineam, quin etiam de methodo maximorum ad superficies applicata commemoras, quae omnia ut accuratius persequaris etiam atque etiam te rogo. Mea quidem methodo usus, plures hujusmodi quaestiones circa superficies pertractavi in scientia navali, quae duobus voluminibus in 4$^{\text{to}}$ Petropoli pluribus abhinc annis prodiit. Quod autem ad tuam methodum, qua singulis applicatis y incrementa δy tribuis, attinet, antequam hoc ipsum, quod non aperte indicas, animadverti, de consensu tuarum formularum cum meis dubitaveram. Ut enim $\int zdx$ fiat maximum existente:

$$dz = Ndy + Pd^2y + Qd^3y + \dots\dots$$

(ubi quidem pro δx unitatem ponis, non pro x, uti forte lapsu calami notas), necesse est, ut tuo signandi more sit

$$\delta\int zdx, \quad \text{seu} \quad \int \delta zdx = 0.$$

At vero invenis, ponendo tecum 1 pro δx:

$$\delta\int z = \int(N - dP + d^2Q - d^3R \text{ etc.})\ \delta y + (P - dQ + d^2R)\,\delta y + (Q - dR)\,d\delta y \quad \text{etc.}$$

unde concludis esse debere

$$N - dP + d^2Q - d^3R = 0.$$

Cum tamen natura maximorum tantum postulet, ut sit:

$$\int(N - dP + d^2Q - d^3R \text{ etc.})\ \delta y = 0.$$

Verum perspecta amplitudine .... si unicae applicatae y incremen .... $\int(N - dP + d^2Q -)\,\delta y$ alius val .... partes $(P - dQ + d^2R)\,\delta y + (Q$ .... $x = a$ referuntur evanescere, ... sensus deprehendatur.

Vehementer etiam te rogo, Vir clarissime, ut mihi ignoscas, quod ad tuos priores litteras m ...... commercium nostrae urbis cum Italia .... ut nisi per mercatores promoveatur, non .... possit. Quare cum mihi jam mercatorem tuum indicaveris, has litteras ad eum per mercatorem mittens rogo, ad quem etiam tuam responsionem, qua forte me honorare volueris, per tuum mercatorem mittere vellem.

Quod autem in prioribus litteris de analogia differentialium cujusque ordinis formulae xy et terminorum binomii potestatis $(a+b)^m$ attulisti, eam jam a Leibnitzio observatam esse memini, quod nisi fallor in ejus cum Bernoullio commercio reperies. Vale et salve

Dabam Berolini d. 6 Sept. 1755. Tibi addictissimo L. Eulero *).

2.

Vir clarissime atque acutissime

Binas tuas epistolas, alteram circa finem anni elapsi, alteram vero nuper, ad me datas, summa cum voluptate perlegi, summamque ingenii tui perspicaciam maxime sum admiratus. Non solum enim methodum illam maximorum et minimorum, cujus equidem prima quasi elementa exposueram, ex veris iisque subtilissimis principiis elicuisti, verum etiam eandem penitus perfecisse videris, ut nihil amplius, quod in hoc genere desiderari queat, sit relictum. Quamobrem tibi, Vir clarissime, ex animo gratulor, ac te etiam atque etiam rogo, ut quae in hoc genere tam felici cum successu es meditatus, ea omni studio penitius perscrutari ac perficere pergas. Subtilissimae autem hic occurrunt quaestiones, quae non solum omnem ingenii solertiam, sed etiam maximam circumspectionem in ratiocinando postulant, quandoquidem haec methodus nobis objecta plurimis plerumque circumstantiis involuta exhibet, quas nisi calculum ad exempla determinata applicemus, vix distincte perspicere valeamus. Ita cum investigatio curvae maximi minimive proprietate praeditae perduxerit ad hanc aequationem $L=0$, quae scilicet indicat tractu curvae, paululum immutato, variationem inde ortam evanescere, quemadmodum natura maximi minimive postulat, dubito an aequationes $dL=0$, $d^2L=0$, seu $L=\alpha$ vel $L=\alpha+\beta x$ ad eundem sub aliis circumstantiis perducere queant. Neque etiam transformatio formulae

$$\int L\delta y \quad \text{in} \quad L\int\delta y - dL\int^2\delta y \text{ , etc.}$$

novas determinationes mihi quidem suppeditare videtur; sed tantum indicare si sit $L=0$, fore etiam $dL=0$, quod utique verum est, sed conclusio inversa locum non habet. Nam nisi sit $L=0$, ratio maximi vel minimi non amplius versatur; sed fortasse hujusmodi positiones aliis problematis solvendis inservire poterunt. Quod autem brachystochronas per tria plurave puncta data transeuntes attinet, crediderim eas non esse curvas continuas, sed a quovis puncto ad proximum sequens arcum cycloidis duci oportere, quo tempus translationis ab altero ad alterum fiat minimum: si enim corpus celerrime singulas has portiones percurrat, totam curvam sine dubio tempore brevissimo conficiet.

Deinde si non inter omnes curvas, sed eas tantum, quae sub certo quodam genere continentur, quaeratur ea, quae maximi minimive proprietate gaudeat, tua quidem methodus ad hujusmodi quaestiones aequo cum successu adhiberi potest, dum mea nullius est usus, sed evolutio calculi saepenumero maximis obnoxia est difficultatibus; velut si (Fig. 76) super semiaxe horizontali dato AC infiniti describantur quadrantes elliptici AD, AQ, qui ratione semiaxis conjugati CD, CQ, differant, inter eosque quaeratur is AD, super quo corpus in vacuo descensum ex A incipiens, citissime ad rectam CQ perveniat, aequatio infinita pro specie hujus ellipsis invenitur, unde non nisi appropinquando valor semiaxis conjugati CD definiri potest. Adhibitis autem appropinquationibus, reperis esse debere:

$$8CD^2 = 3AC^2, \quad \text{seu} \quad CD = AC\sqrt{\frac{3}{8}}$$

*) Omnes litterae e Berolino datae propria Euleri manu conscriptae sunt.

scire ergo velim, an haec sit vera solutio? et si sit vera, an ea non directe ope methodi cujusdam certae obtineri queat.

Litteras tuas tam profundis meditationibus refertas cum illustrissimo praeside nostro communicavi, qui summam tuam sagacitatem mecum plurimum est admiratus, simulque tibi pro suscepto principii minimae actionis patrocinio, maximas agit gratias: tuoque nomine numerum sociorum academiae nostrae haud mediocriter illustratum iri censet, quod munus ut tibi conferatur prima oblata occasione curabit. De eo quoque mecum est allocutus, ut ex te sciscitarer, an non sedem, qua Taurini frueris, cum alia in Germania sub auspiciis regis nostri munificentissimi, cui te commendare vellet, permutare cupias; qua de re ut me certiorem facias, enixe rogo; mihi enim certe nihil evoptatius exenire potest, quam si tecum coram communicare, tuaque consuetudine frui liceret. Vale et salve, Vir praestantissime

Berolini d. 24 Aprilis 1756. Tibi deditissimo L. Eulero.

3.

Vir clarissime ac praestantissime

Ad litteras tuas mihi quidem jucundissimas prius respondere nolui, quam sententiam tuam cum illustri praeside nostro nunc in Gallia degente communicavissem, qui uti tuum praestantissimum ingenium mecum maxme admiratur, ita mihi mandavit, ut quantocius te Academiae nostrae commendarem, et in numerum sociorum nostrorum adscribi curarem. Quod cum summo applausu hodie sit expeditum, consuetum diploma cum his litteris accipies. Caeterum ill. praeses noster mihi perscripsit, se post reditum suum apud regem nostrum omnem operam esse adhibiturum, ut tuis meritis dignam stationem obtineat. Cum is tam propenso in te sit animo, haud abs re fore arbitror, si ad ipsum litteras dare volueris, quas ita inscibere poteris: *à M. de Maupertuis, président de l'académie royale des sciences et belles-lettres de Prusse*, *à St.-Malo*, quo loco hyemem commorari decrevit. Interim Academia nostra profundissimas tuas meditationes summo cum desiderio expectat, quibus in posterum nostri commentarii exornentur. Vale, Vir clarissime,

faveque ingenii tui sagacissimi admiratori candidissimo

Berolini d. 2 Sept. 1756. L. Eulero.

4.

Vir clarissime ac praestantissime

Inter tot et tam atroces tumultus bellicos, quibus hic undequaque premimur, tantis curis equidem sum districtus, ut fere omne commercium litterarum negligere sim coactus, ex quo imprimis te, Vir clarissime, etiam atque etiam rogo, ut ne mihi meam negligentiam in scribendo vitio vertere velis. Quanquam autem Miscellanea philosophico-mathematica, quorum exemplar mihi benevole destinasti, nondum accepi, nec fortasse tam cito expectare possum, tamen non potui, quin tibi pro hoc testimonio amicitiae gratias agam maximas, simulque meam laetitiam et admirationem declarem, quod tam felici successu tam sublimes ac profundissimas investigationes perfeceris. Litterae tuae mihi demum post obitum dignissimi praesidis nostri sunt redditae, quo casu equidem eo gravius sum perculsus, quod optimum fautorem ac suavissimum amicum amiserim: litteras ergo tuas ad illum directas in nostro conventu academico aperiri, maxime optassem, ut ab ipso superstite responsum accipere posses. Nunc quid tibi scribam nescio? Fama est locum praesidis Alembertio cum maximis emolumentis destinari, quo casu an tuum excellentissimum opus huc mitti consultum sit, ipse judicaveris. Quin potius operam da, ut quam primum prelo committatur; hic enim his turbulentis temporibus vix quisquam bibliopola suam operam esset praestaturus. Genevae putem hujusmodi opus commodissime excudi posse, vel Lausannae, ubi quidem summo otio fruuntur. Lubens cognovi tibi meam solutionem cordae vibrantis probari, quam Alembertus variis cavillationibus infirmare est conatus, idque ob eam solam rationem, quod non ab ipso esset profecta. Minatus est se gravem refutationem esse publicaturum, quod an faceret nescio, putat se per eloquentiam semidoctis fucum esse facturum; dubito an serio rem gerat, nisi forte amore proprio sit penitus occoecatus. Voluit nostris commentariis non demonstrationem, sed nudam declarationem inseri meam solutionem maxime esse vitiosam, ego vero opposui novam demonstrationem omni rigore adornatam, sed praeses noster beatae memoriae noluit ipsi nostram Academiam tanquam palaestram concedere, unde etiam meam confirmationem lubens suppressi. Ex quo judicabis, quantas turbas, si praesidio decoretur, sit aturus, equidem omnia tranquillus expecto, nihil negotii cum illo mixturus.

Analytica tua solutio problematis isoperimetrici continet, ut video, quicquid in hac quaestione desiderari potest, et ego maxime gaudeo, hoc argumentum, quod fere solus post primos conatus quasi post limines tractaveram, a te potissimum ad summum perfectionis fastigium esse avectum. Rei dignitas me excitavit, ut tuis luminibus adjutus, ipse solutionem analyticam conscripserim, quam autem celare statui, donec ipse tuas meditationes publici juris feceris, ne ullam partem gloriae tibi debitae praeripiam.

Quoniam his gravissimis temporibus ab aliis negotiis vacavi, librum de calculo integrali conscribere coepi, quod opus jampridem etiam meditatus, atque adeo Academiae Petropolitanae pollicitus, nunc igitur jam notabilem partem absolvi. Calculum integralem ita definivi, ut esset methodus functiones unius pluriumve variabilium inveniendi ex data differentialium vel primi vel altiorum graduum relatione; unde prout functiones sint vel unius, vel duarum pluriumve variabilium, totum opus in duos libros divisi, ubi quidem pro posteriori vix quicquam est cultum. Eo pertinent scilicet quaestiones de cordis vibrantibus, ubi pro dato tempore t et cordae puncto, cujus situs variabilis, denotetur ejus celeritas et ...... determinari debet: quaeritur enim functio quaedam (r) binarum variabilium t et s ex data relatione formularum $\frac{d^2r}{dt^2}$ et $\frac{d^2r}{ds^2}$, et hujusmodi formulis universa Hydrodynamica innititur. Utilissimum ergo erit hanc partem calculi integralis adhuc fere intactam accuratius evolvi, cujus equidem prima fundamenta jam jecisse videor. Incipiendum autem erat a differentialibus primi gradus, ut functio r binarum variabilium t et s definiatur ex data quacunque relatione inter r et has formulas $\frac{dr}{dt}$ et $\frac{dr}{ds}$ per differentiationem inde derivatas. Ex quo perspicuum est fere omnia, quae adhuc de integrandi methodo sunt prolata, etiamsi binarum variabilium mentio fiat, ad primam tamen partem referri debere, quia altera ut functio alterius tractatur. Alio forte tempore plura de his commemorare continget. Vale, ac fave

Berolini de 2 Oct. 1759.

Tibi addictissimo

L. Eulero.

P. S. Privatam adhuc societatem litterarum Taurinensem mox publicam fieri in augmentum scientiarum magnopere opto.

5.

Monsieur,

Ayant reçu l'excellent présent que vous avez eu la bonté de m'envoyer, je l'ai d'abord parcouru avec la plus grande avidité, et je n'ai pu assez admirer l'adresse avec laquelle vous maniez les équations les plus difficiles, pour déterminer le mouvement des cordes et la propagation du son. Je vous suis infiniment obligé d'avoir mis ma solution à l'abri de toute chicane et c'est d'après vos profonds calculs, que tout le monde doit reconnoître à présent l'usage des fonctions irrégulières et discontinues pour la solution de ces sortes de problèmes. En effet, la chose me paroît à présent si claire, qu'il n'y sauroit rester le moindre doute. Supposons qu'il faille chercher une fonction r des deux variables t et x telle, qu'on ait $\frac{dr}{dt}=\frac{dr}{ds}$, et il est évident que toute fonctions de $t+x$, tant irrégulière que régulière peut être mise pour r: par exemple, ayant tracé a plaisir (Fig. 77) une ligne quelconque AM, si l'on prend l'abcisse $AP=t+x$, l'appliquée PM fournira une valeur pour r, et il en est de même du problème des cordes. A cette occasion j'ai observé, que ma solution n'est pas assez générale; car pour qu'on puisse donner à la corde au commencement une figure quelconque AMB (Fig. 78), ma solution exige que dans cet état, il n'y ait pas de mouvement; mais je puis résoudre à présent le problème lorsqu'on a donné d'abord à la corde non seulement une figure quelconque AMB, mais qu'outre cela on ait imprimé à chaque point M une vitesse quelconque Mm. Je vois que vous avez traité le cas où la corde au commencement est tendue en ligne droite AB, mais je ne sais pas bien si votre solution s'étend aussi au cas où l'on suppose à la corde outre, le mouvement donné, une figure quelconque. Je passe à la propagation du son dont je n'ai jamais pu venir à bout, quelques efforts que j'aie faits pour cela, car ce que j'en ai donné dans ma jeunesse est fondé sur quelque idée illusoire pour mettre d'accord la théorie avec l'expérience sur la vitesse du son. J'ai donc lu votre mémoire sur cette matière avec la plus vive satisfaction, et je ne puis assez admirer votre sagacité en surmontant tous les obstacles. A présent je vois bien qu'on pourrait tirer la même solution de la formule $\frac{d^2r}{dt^2}=\alpha\frac{d^2r}{ds^2}$ en faisant usage des fonctions discontinues; mais alors M. D'Alembert me ferait les mêmes objections que contre le mouvement des cordes. Ce n'est qu'après vos recherches que je pourrai faire valoir cette méthode. J'ai résolu par là le cas où l'on suppose au commencement non seulement un déplacement quelconque a autant de molécules d'air qu'on veut, mais où l'on donne outre cela à chacune un mouvement comme dans les cordes; mais en ne considérant qu'une ligne physique d'air, ou bien un tuyau mince et droit rempli d'air, comme vous l'avez fait. Cette généralisation me paraît d'autant plus utile qu'elle nous découvre plus clairement le mouvement dont toutes les particules d'air sont successivement ébranlées. On peut aussi par là résoudre un doute bien important qui m'a longtemps tourmenté; c'est qu'un ébranlement excité en A (Fig. 79) se répand également des deux côtés du point A. Mais étant parvenu en X, il ne se répand que vers E: on demande donc quelle différence il y a entre un ébranlement primitif en A et un dérivatif en X, pour que celui-là se répande vers D et E et celui-ci uniquement vers E. Ce doute est levé par la solution générale dont nous venons de parler, et qui fait voir que le déplacement primitif des particules en A, avec le mouvement imprimé à chacune pourrait être tel que la propagation ne se fît que dans le sens de E; et on s'apercevra ensuite que cette circonstance a toujours lieu dans les ébranlemens dérivés. Il est bien remarquable que la propagation du son se fait actuellement plus vite que le calcul ne l'indique, et je renonce à présent à la pensée que j'eus autrefois que les ébranlemens suivans pourraient accélérer la propagation des précédens, de sorte que plus un son serait aigu, plus la vitesse serait grande, comme vous l'avez peut être vu dans nos derniers mémoires. Il m'est aussi venu dans l'esprit d'examiner, si la grandeur des ébranlemens n'y pourrait causer quelqu'accélération, puisque dans le calcul on les a supposés infiniment petits: et il est évident que leur grandeur changerait le calcul et le rendrait intraitable. Mais autant que je puis l'entrevoir, il me semble que cette circonstance diminuerait plutôt la vitesse. C'est dommage que ce même problème ne puisse pas être résolu en donnant à l'air trois dimensions ou seulement deux; car on a lieu de douter que la propagation fut alors la même; au moins est il certain que les ébranlemens seraient dans ce cas plus faibles, plus ils s'écarteraient de l'origine. J'ai bien trouvé les formules fondamentales pour le cas où l'étendue de l'air n'a que deux dimensions, ou est contenue entre deux plans. Soit (Fig. 80) Y une particule d'air dans l'état d'équilibre, qui après quelqu'agitation ait été transporté en y; posons $AX = X$, $XY = Y$, $Xx = Yu = x$ et $uy = y$. Cela posé, tant x que y seront certaines fonctions de X, Y et du temps t et partant de trois variables. Je trouve pour leur détermination les deux équations suivantes:

$$\frac{d^2x}{dt^2} = \alpha \frac{d^2x}{dX^2} + \alpha \frac{d^2y}{dXdY} \quad \text{et}$$

$$\frac{d^2y}{dt^2} = \alpha \frac{d^2y}{dY^2} + \alpha \frac{d^2x}{dXdY}$$

de là, si je suppose que l'ébranlement primitif se passe en A (Fig. 81) et qu'il se répande de là en ondes circulaires, de sorte qu'une de ces ondes ZV, dans l'état d'équilibre, ait été, après l'agitation, transportée en zv; posant $AZ = Z$ et $Zz = z$ la quantité r sera une fonction des deux variables t et z pour la détermination de laquelle je trouve cette équation

$$\frac{d^2r}{dt^2} = \alpha \frac{d^2r}{dz^2} + \frac{\alpha}{z}\frac{dr}{dz} - \frac{\alpha r}{z^2}.$$

En rejetant les deux derniers termes, il reste la même équation qui convient au cas où l'air est étendu seulement en ligne droite AE. Or par cette équation il ne paraît pas que la propagation se fasse avec la même vitesse dans les deux cas. Il serait donc fort à souhaiter que l'analyse fut portée au point de pouvoir résoudre ces sortes d'équations; et j'espère que cette gloire vous est réservée. Ce que vous dites des échos est aussi important dans l'analyse que dans la physique. Tout le monde doit convenir que ce premier volume de vos travaux est un vrai chef-d'oeuvre et renferme bien plus de profondeur que tant d'autres volumes des académies établies; jamais société particulière n'a mieux mérité d'être soutenue par son souverain.

Quant aux sons de musique, je suis parfaitement de votre avis, Monsieur, que les sons consonnans, que M. Rameau prétend entendre d'une même corde, viennent des autres corps ébranlés: et je ne vois pas pourquoi ce phénomène doit être regardé comme le principe de la musique, plutôt que les proportions véritables qui en sont le fondement. Je crois encore avoir bien déterminé le degré d'agrément avec lequel on entend deux sons donnés, et de là deux sons dans la raison de 8 : 9 s'aperçoivent plus aisément que s'ils étaient dans la raison de 7 : 8. Mais je crois qu'ici il faut avoir égard à un préjugé par lequel on suppose d'avance la proportion des sons, et alors une aberration est insupposable; comme celui qui accorde un violon, si deux cordes se trouvent dans l'intervalle d'une sexte, les juge fausses, parce qu'il prétend que leur intervalle soit une quinte. Ainsi, pour l'intervalle 7 : 8, il sera fort difficile de le prendre tel qu'il est, on s'imaginera toujours qu'il devrait être celui de 8 : 9, celui-ci étant mal accordé: il ne s'agit que de prévenir ce préjugé, pour mettre en usage l'intervalle 7 : 8; mais il faudrait aussi pour cela des règles particulières de composition.

Je viens d'achever le III[e] volume de ma Mécanique qui roule sur le mouvement des corps solides inflexibles, j'y ai découvert des principes tout à fait nouveaux et de la dernière importance. Pour qu'un tel corps tourne librement autour d'un axe, il ne suffit pas que cet axe passe par le centre de gravité (ou plutot par le centre d'inertie du corps), mais il faut, outre cela, que toutes les forces centrifuges se détruisent. Il est bien évident que dans tous les corps, toutes les lignes qui passent par le centre d'inertie n'ont pas cette propriété. Or j'ai démontré que dans tous les corps quelqu'irréguliers qu'il soient, il y a toujours trois lignes perpendiculaires entr'elles qui remplissent ces conditions; je les nomme les trois axes principaux du corps, par rapport aux quels je détermine ensuite les momens d'inertie. Cette considération m'a mis en état de résoudre quantité de problèmes qui auparavant m'avaient paru insolubles, tels que celui-ci: ayant imprimé a un corps quelconque un mouvement quelconque, déterminer la continuation de ce mouvement, en fesant abstraction de toute force qui pourrait agir sur le corps.

J'espère que vous aurez reçu ma dernière lettre; pour celle-ci, je la fais passer par la main d'un ami a Genève, M. Bertrand qui s'est appliqué aux mathématiques avec un très grand succès.

J'ai l'honneur d'être

Monsieur

Votre très humble et très obéissant serviteur

